Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

KW
300 H48

Nro 100.

505

Dr. L. Ede Ammon.
Kulmbach 20/1 1821.
Const. 18 Groſ. fax.

A. m

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

(9 H L. 584.)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Rec. A°. 1690 p. 245.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

CHRISTOPH. WITTICHII

ANTI-SPINOZA

Sive

EXAMEN ETHICES

BENEDICTI de SPINOZA,

Et

COMMENTARIUS

DE

DEO

Et ejus attributis.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE'SHAGE.

Ern. Sal. Cyprianus.

Lossius.

AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM WOLTERS, MDCLXXXX.

b.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Benigne Lector.

USus invaluit ut, quorum operum editionem Auctoris fata antevertunt, illa non, niſi Præfatione ſtipata, in publicum prodeant, hunc, opinor, in finem ut prodidagmatis neceſſariis Lector adjutus, eò facilius in Autoris conſilium animique ſenſa penetrare, ac de iis judicare queat. Laudatiſſimo huic mori ut & ego morem geram, paucis in hoc limine mihi, Benigne Lector, compellandus eris. CHRISTOPHORI WITTICHII Magni illius nominis lucubrationes ſunt, quas Tibi ſecundùm autographum fideliter typis deſcriptas exhibemus. Complectuntur eædem, uti in frontiſpicio libri legere eſt, Examen Ethices B. D. S. & Commentarium integrum de Deo &c. In priori parte ἀνασκευαστικῶς contra Spinozam, ejuſque errores circa Deum, Deique naturam, attributa & modos diſputat, in poſteriori παρασκευαστικῶς verum de Deo ſenſum adſtruit, atque animo Lectoris ſollicite informat. Spinoza quis fuerit? & quamnam αἵρεσιν ſectatus? Neminem latere poſſe, facilè crediderim. Proſtant ubique ejus ſcripta, & novaturienti ſeculo ſuâ novitate veneunt, improbitate Lectorem alliciunt, obſcuritate in admirationem rapiunt, conſequentiarum trochleis minùs catum cautumque irretiunt.

 Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Nec minùs fertilem poſt ſe reliquit Spinoza ſequacium ſegetem, quàm Græculus quiſque Sophiſta vel Vitilitigator, qui quâ ſunt levitate, ſolâ prurientis ingenii libidine, ac gloriolæ ſtudio ducti, pernicioſa novi Magiſtri dogmata omnibus propalare, longe lateque diſſeminare unicè allabo-rant. Nec ſuis excidere auſis, exiguo enim temporis medio per pleraſque omnes Chriſtiani orbis partes hoc ſe diffudit virus, ac indies latius latiuſque graſſatur ac ſerpit. Ut tamen, quibus ipſa Spinozæ ſcripta verſare nec vacat nec lubet, ejus philoſophandi ratio penitius, ſaltem quantum hoc ſupponit Autor noſter, conſtet, mecum animum ad ſequentia advertant, velim: Duo tantùm, non plura, dari poſſunt Philoſophiæ ſyſtemata: Unum, quod Deum ſtatuit cauſam rerum *tranſeuntem*; Alterum, quod Deum facit earundem cauſam *immanentem*; Illud Deum à Mundo ſollicitè diſtinguit ac ſeparat, hoc Deum cum Univerſo turpiter confundit; Illius fundamentum eſt diſtinctio Mentis & corporis, hujus eorundem confuſio; Illud ex libero beneplacito Mentis infinitæ ac omnipotentis res omnes derivat, hoc ex, neſcio quâ, brutâ cœcaque Naturæ divinæ vel Univerſi neceſſitate; Illud motum & quietem ſpectat ut Dei effecta, hoc ut ad naturam Dei pertinentia, vel potius ut Dei attributa; Illud, ut mentem facit ſubſtantiam cogitantem, ſic quoque eidem, ut cauſæ liberæ, actiones cogitativas, hoc eſt, affirmandi negandi, volendi nolendique tribuit facultatem; hoc, dum mentem, ut Dei (cauſæ immanentis) modum, conſiderat, illam in automa transformat ſpirituale; Illud omnis religioſi cultus, omniſque pietatis fundamenta ponit, hoc funditus evertit ac tollit. Hiſce duobus vulgo tertium addi ſolet, juxta illud Marci Antonini Imperatoris. *Aut eſt neceſſitas fatalis & ordo inviolabilis: Aut providentia placabilis: Aut confuſio temeraria ac Rectoris orba.* Art. 14. lib. ult. *De ſe ipſo.* Verùm hæc confuſio rerum, aut fortuitus concurſus & caſus, qui Atomi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſtis adſcribi ſolet, nec homine rationali, multò minus Philoſopho dignus, nec ſcientiæ, quam omnem tollit, nec ſyſtematis nomen meretur. Primum illud ſyſtema Anaxagoras Ionicæ Scholæ Phil. celebris docuiſſe fertur, ſiquidem illum brutæ inertique materiæ, cui ſoli, teſte Ariſtotele, antiquiſſimi inhæſere Philoſophi, Mentem æternam ac infinitam, Opificem & Architectum hujus Univerſi, Νοῦν Κοσμοποιὸν, adjeciſſe, & inde, quia hæc Mens utramque in ejus diſciplina faciebat paginam, *Mentis* cognomen tuliſſe, multaſque ſententias particulares de Sole, Luna cæteriſque aſtris &c. illi ſyſtemati apprime convenientes, foviſſe; ab Ariſtotele, Plutarcho, Laërtio memoriæ proditum eſt. Quamvìs, ſi quæ fides Ariſtoteli ſit habenda, ille hanc mentem ab ipſo mundo uſque adeo non diſtinxit. vid. Met. L. I. c.3. ſect. d. coll. cum c. 4. ſect. d. Huic accenſere ſolent Pythagoram, Socratem, Platonem; quicquid verò de eorum fuerit ſententia, in confeſſo eſt, Nobiliſſimum Carteſium prius illud ſyſtema Mathematica certitudine ac methodo purè caſteque concinnâſſe: Hoc enim, laudis debetur Carteſio, quòd dum priſcis Philoſophis illud μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος ex uno in aliud tranſilire ſyſtema, ſolenne erat, ille ſolus Philoſophiæ corpus ubique idem, ubique ſibi ſimile, nullibi dehiſcens aut deſciſcens, nullibi ſibi contrarium, magno ſane ingenii acumine, ſecundùm regulas Analyſeos contexuit, ac hoc modo Encyclopædiæ verè Chriſtianæ fundamenta jecit. Alterum, ſi Ariſtoteli credimus, multò antiquius eſt illo & à primis traditum fuit Philoſophis. Met. L. I. c.3. ſect. D. ac E. Non paucos Italicæ Scholæ Philoſophos, eoſque non ignobiles, hoc affectâſſe certum eſt. Horum Coryphæus extitit Democritus Abderites, vir, auctore Cicerone, *magnus*, teſte Plinio *ſagaciſſimus*, judice Spinoza, *Philoſophus Socrati, Platoni, ac Ariſtoteli longe præferendus.* Hunc ſecuti Protagoras, Diagoras, Epicurus, in quo, excepto Lucretio Poëta, qui ducentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

annis poſt demum floruit, hoc impium philoſophandi genus exſpiraſſe, communis vult ſententia. Quamvìs Zeno Cittieus Stoicorum princeps, Epicuro ut ætate ſic gloriâ non multò inferior, nullum aliud quàm hoc, in Stoa ſua (quicquid etiam de Stoicis poſt Hieronimum ſentiat Lipſius & Gatakerus) excoluerit ſyſtema. Hoc nos Laconico, ut ſolet, ſtylo docet L. A. Seneca: *Totum hoc*, inquit Ep. XCII. *quo continemur & unum eſt & Deus*; Et alibi. *Vis illum*, ſummum Deum intelligit non Jovem Capitolinum, ut expreſſe monet, *vocare mundum? non falleris. Ipſe enim eſt totum, quod vides, totus ſuis partibus inditus & ſe ſuſtinens vi ſua*, in Nat. quæſt. Lib. II. c. 1. art. 45. huc quoque collineat durum Stoicorum fatum, *ac inevitabilis neceſſitas rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat*, ut in eodem libro loquitur Seneca: hinc non immerito hoc vitio datur Spinozæ, quòd ut Ariſtoteles in Lucani Ocelli, ſic ille in impuris Stoicorum paludibus piſcatus ſit: & revera ovum ovo, ut ex ſequentibus clarius patebit, non ſimilius quàm Spinoziſmus Stoiciſmo, compares (quod Spinozæ Philoſophiæ βάσις καὶ σύνοψις) Scholium prop. VII. part. II. Eth. cum loco jam jam ex Seneca citato, ac verbis Marci Antonini, quæ habet art: 9. Lib. VII. *De ſe ipſo*, quæ, quia notatu digna, adſcribere nonpiget: Κόσμος εἷς διὰ ἁπάντων, ὁ Θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς. *Mundus*, inquit *unus per omnia & Deus unus per omnia, una ſubſtantia, una lex*, hoc eſt, ſecundùm Stoicorum ſtylum, una Naturæ neceſſitas ac fatum. Defloreſcente tamen ſcholæ Stoicæ propagine, & ipſum illud ſyſtema in oblivionem venit, donec Spinoza non ita pridem illud hominibus in memoriam revocaverit, ac demum recoxerit. Nempe Spinoza, poſtquam Prius ſyſtema ex doctiſſimis Carteſii ſcriptis pure imbiberat, & tantùm non intime perſpexerat, nec pauca nec levia in eo ſe deprehendiſſe vitia ſibi viſus eſt. Hæc, ut ex ejus ſcriptis non obſcure colligere licet, ſequentia

tia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tia fuere, (1) quòd cogitatio ſubſtantialis, quæ ſecundùm Carteſium eſſentiam conſtituit mentis *humanæ* (cui totius ſyſtematis, quod adornabat, moles nititur,) ſit conceptus abſtractus, ens Logicum. Vide Præfationem in Princip. Carteſii Geomet. Methodo à Spinoza dem. pariliter quòd conceptus corporis, quatenus à Carteſio convenienter priori hypotheſi determinatur, contradictionibus non careat vid. Schol. p. XV. p. I. (2) quòd Deus ſecundùm hoc ſyſtema ſit incorporeus, adeoque perfectionum ſubſtantiæ extenſæ expers, contra communem, quam hominés de Deo foveant notionem, qui, ut Spinozæ placet, per Deum Ens omnireale intelligunt, ac ipſiſſimi Carteſii definitionem in Reſp. ad II. ob. ac Med. III. ubi hoc loquitur modo, *quicquid, quod eſt reale & verum, & quod perfectionem aliquam importat, totum in idea (Dei) continetur.* (3) quòd iis inſiſtendo principiis Deus ad certum genus entium reluctante Dei ϖεριλή-ψει ſit referendus. Vid. Ep. 41. (4) quòd dum ſchola Carteſiana Deum Mentem meram, at perfectiſſimam, & infinitam prædicet, Deum cum mente humana, utriuſque attributa confundat vid. Schol. p. 17. I. Eth. Ep. 37. & 60. (5) quòd ex hâc confuſióne innumeri pullulent errores, quos arguat ſyrma illud controverſiarum Metaphyſicarum de Deo, quæ ſummis philoſophis ac Theologis crucem fixere, nec unquam, judice Spinoza, ab iis expediri potuerunt, putà an *intellectus*, *voluntas* & *potentia* Dei differant? an, ſi quæ talis differentia, Deus ſit actus unicus ſimpliciſſimus vel ex pluribus compoſitus? ſi nulla, quomodo poſſit Deus dici cauſa rerum non immanens ſed tranſiens? quomodo ſit cauſa libera non neceſſaria vel phyſica? an rerum eſſentiæ, veritas vel falſitas, bonitas aut malitia ab intellectu vel voluntate Dei dependeant? an voluntas Dei ſit libera libertate indifferentiæ vel ſpontaneitatis? an decreta Dei ſint neceſſaria vel abſolute libera? an illa libertas indiffe-

rentiæ ad extra, quam Dei ſumma perfectio, omniſufficientia beatitudo neceſſariò inferunt, eidem repugnet, dum ex non decernente facit decernentem, adeoque mutationem Deo immutabili inducit, potentiam & actum, aliquid, quod non eſt ipſe Deus, in Deo ponit? quid Dei Bonitas, Sanctitas, Juſtitia? an hæc Naturalis vel arbitraria? Saltem hiſce & longe pluribus, quarum palmarias in Cogitatis ſuis Metaphyſicis attigit Spinoza, enodandis difficultatibus principia Carteſii inſufficientia prorſus eſſe, in præfatione dicti libri Lectorem monitum voluit (6) quòd Menti meræ puræque, licet infinitæ, ſine repugnantia voluntas omnipotens tribui non poſſit; ſiquidem illa præter cogitationem, vel idearum conjunctionem, infinitam nil innuat, hæc verò infinitas ad quemcunque effectum vires in ſuo conceptu involvat; quòd Mens infinita non poſſit eſſe ſubſtantiæ ſaltem extenſæ, ejuſque variationis cauſa, quippe nil commune vel formaliter vel eminenter (quod notio cauſæ ponit) cum eadem habeat. vid. Schol. p. XV. p. I. Eth. (7) quod non magìs intelligi poſſit relatio, quæ Deum inter & ſubſtantiam cogitantem creatam intercedit, ſaltem quomodo hæc arbitrii polleat poteſtate ac uſu, & tamen omnimodo à Deo dependeat, fatentibus cum ipſo Carteſio omnibus, qui illud ſequuntur ſyſtema, nec concipi nec conciliari poſſit. Ep. 62. 34. (8) quòd facultas volendi ejuſque infinita amplitudo, quam Carteſius Menti humanæ ideo, quòd illam ſubſtantiam finxiſſet, in Med. 4. adſcribat, ſit merum ens univerſale ex conceptibus Metaph. abſtractis, non veris prognatum. vid. præfat. in P. Cart. & Schol. p. 49. II. Ep. II. In quâ omnium Cart. errorum ſi Diis placet, fontes indigitat. (1) quod tam longe à cognitione primæ cauſæ & originis omnium rerum, hoc eſt, Dei aberraverit (2) quòd veram naturam humanæ mentis & denique (3) veram cauſam erroris nunquam aſſecutus ſit.

Huic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Huic acceſſit, quòd Sacra Judaica, quibus ab unguiculis innutritus, utpote, exterminato iis Chriſto, non niſi ſuperſtitionis Ægyptiacæ cum Sabæiſmo commixtæ teterrimum fœtorem olentià, nil alti, nil ſublimis, nil Deo digni ſpirantia, adeo ei commovere ſtomachum, ut quicquid Ceremoniarum, religioniſque in mundo erat, nauſeare cœperit: hinc altum illud ſupercilium, quo Sacroſanctam deſpicit Scripturam, ac ſalſus ille riſus & mordax cachinnus, quo auguſtiſſima Scripturæ myſteria exſibilat. Ut itaque à memoratis difficultatibus ſe liberaret Spinoza, nodumque, cui ſolvendo ſe parem non credidit, ſecaret, ſimul verò omnem religionem expectoraret, repudiato priori ſyſtemate, quod ideo, quia Deum à mundo diſtinguit, non tantùm dictis, ut cenſet Spinoza, difficultatibus premitur, ſed & mortales anxiâ placandi Numinis curâ ſolicitat, poſterius, quod dum mundo Deum miſcet, humanum genus religionis pietatiſque vinculis exſolvit, ambabus ulnis amplexus eſt. Eſt illud, ut vidimus, pervetuſtum, bene multos, inter utriuſque Scholæ magni nominis philoſophos, patronos reperit, ab iis non rarò adulteratum variam fortunam ſubiit. Spinoza ut illud purum, & ab omni confuſione immune, ſeræ poſteritati ſiſteret, ut ætatem ferret, ſaltem huic ſeculo mathematico arrideret, ad exemplum Carteſii, methodo mathematicâ, quæ Synthetica audit, & ſolo operandi modo ab Analytica differt, continuâ theorematum ſerie, ex paucis quibuſdam definitionibus, axiomatis ac poſtulatis, illud in Ethica ſua concatenare cœpit. Quâ in re hunc ſervavit ordinem. I. ut ex notione intellectuali Dei, paucis adhibitis definitionibus ac axiomatibus, unicam tantùm in rerum natura eſſe Subſtantiam, eamque Deum, hoc eſt, *Totum hoc* (ut Senecæ verba repetam) *unum eſſe & Deum*, vel ut ipſe in Schol. Lem. VII. p. II. loquitur, TOTAM *Naturam unum eſſe individuum*, demonſtret. II. ut modum, quo omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

huic Subſtantiæ (DEO) inſint, & ex ea emanent, qui ad Divinæ Naturæ neceſſitatem (Stoici vocabant *mundi legem*, *fatum*, *fatalem neceſſitatem*, *ordinem inviolabilem*) redit, declaret. III. ut ex hiſce principiis in prima parte Ethices poſitis, unicum, cùm infiniti ſint, hujus ſubſtantiæ modum, HOMINEM, φαινόμενον ſummis Naturæ interpretibus difficillimum ſemper viſum, in reliquis IV. partibus explicet. Hîc ſubſtitit, ac fundamenta non Sapientiæ, ſed Impietatis Templi, locaſſe ſat habuit. Hoc nunc, quicquid eſt ſyſtematis Spinozæ, poſt multos alios viros Eruditos, ſubvertendum ſibi ſumſit ὁ μακαρίτης Wittichius noſter. Machinas adhibuit non in Lyceo, ſed Schola Carteſiana fabrefactas, & quidem meritò. Tantum enim abeſt, ut Spinozæ error ex doctrina Ariſtotelis, quòd pertendunt alii, refelli poſſit, ut eum mirifice firmet, ſiquidem ipſiſſimus ille Ariſtoteles Stagirites in eodem cum Spinoza hæſit luto. Quòd enim mundum ſupralunarem crediderit Deum, eique omnia divina attributa, exceptâ providentiâ, vindicaverit, totiuſque mundi æternitatem propugnaverit, res jam omnibus nota ac pervulgata eſt. Non minùs autem, quàm Spinoza ex cœcâ brutaque Naturæ neceſſitate res ipſas, rerumque omnium eſſentiam, exiſtentiam, naturam & ordinem arceſſivit. Diſertis hoc fatetur verbis cap. 11. & 12. Lib. II. Nat. Auſc. coll. cum Lib. VIII. cap. 1. art. 23. Huc quoque aurigant omnia ejus principia: hinc motum vitam Naturæ æternam ac immortalem aſſeruit; Naturam æque ac Mentem agere propter finem, vel οὗ ἕνεκα *alicujus gratiâ* (ut loqui amat) ſtatuit; quâ in re licèt verbis diſſentire videatur, tamen re ipſa Spinozæ concinit. vid. Nat. Auſc. Lib. II. c. 10. art. 6. 7. 15. Et Apend. I. Part. Eth. Spinozæ. Hinc duo tantùm principia vel Naturæ agnovit partes, *Materiam* & *formam*, illam dicit *incorruptibilem* vel æternam, hanc ſucceſſive, at neceſſario ortam; hinc ortum ac interi-

tum rerum rotationi orbium cœleſtium adſcripſit, æternumque rerum finxit circuitum; hinc *formis ſubſtantialibus*, *qualitatibus occultis*, *realibus*, *potentiis*, *facultatibus* (ad quas ſimiliter ſecundùm prop. ult. I. p. Eth. non raro confugit Spinoza. vid. Schol. prop. 2. III.) omnia referſit. Huc quoque collimat, quòd Deum definivit, Ἐνέργει ἀνᾶνευ δυνάμεως, *Actum ſine potentia*: quod Spinoza hiſce effert verbis: *Omnipotentia Dei actu ab æterno fuit, & in æternum in eadem actualitate manebit*, in Schol. prop. 3. II. Confer Schol. prop. 17. I. Quemadmodum enim Mundi æternitatem ac neceſſitatem inde elicit Spinoza, ſic quoque Ariſtotelis placitum ejuſdem æternitatem ac neceſſitatem plane infert, quod bene norunt illi, qui eo tanquam argumento Achillæo pro mundi æternitate uſi ſunt. Quin imò, cùm Ariſtot. in eundem conceptum mentis noſtræ cum Spinoza conſentiat, in ipſa principia ac ſyſtematis contextum, ſi quem unquam habuit, hæc enim indivulſo nexu cohærent, conſenſiſſe cenſendus eſt. Spinozæ, & quidem convenienter ſuis principiis, ad quæ etiam provocat, Mens & corpus eſt una eademque res. Lege prop. 2. III. ejuſque Schol. Idem tecte affirmat Ariſtoteles, quando Lib. II. de Anima c. 1. art. 14. dicit: *Ideoque non oportet quærere, an anima & corpus ſint unum, quemadmodum* (ſubintellige quærere non oportet) *de cera & figura.* Quibus verbis nullam aliam inter corpus & mentem agnoſcit differentiam, quàm inter ceram & ejus figuram: quod ipſum exemplo *ſecuris* poſtea confirmat, & tandem quid ſentiat, ingenuè depromit, quando hiſce concludit verbis art. 19. Ὅτι μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ἡ ψυχὴ χωριστὴ τοῦ σώματος, οὐκ ἄδηλον. *Quòd itaque anima à corpore non ſeparabilis, minime obſcurum.* Huc quoque tendunt omnes ejus definitiones animæ, quòd ſit *quidditas* τὸ τί ἦν εἶναι, *forma* μορφὴ, ἐντελέχεια σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ, *complementum vel perfectio corporis naturalis organici.* Vid. c. 1. & 2. Lib. II. de Anima. Magiri Phyſiologiæ Peripateticæ Lib. VI. c. 2. Quæ Ariſtotelis oracula, ut Chri-

 ſtia-

ſtianiſmi jugulum petunt, eumque ſubruunt, ſic ex intimis penetralibus philoſophiæ, quam recudit Spinoza, hauſta. E contra Carteſius ut contrarium, quod veriſſimum, philoſophiæ ſyſtema coluit, ſic non ſolum Scripturæ ſcopo, etenim nec lux luci, nec verum vero, nec Deus ſibi repugnat, ubique litavit, ReligioniqueChriſtianæ ſtudioſè operam navavit,ſed & quoad omnesPhiloſophiæ partes,in contrarium plane àSpinoza abiit.

Jure itaque armis ex ſyſtemate Carteſii depromtis pugnavit NOSTER, & quidem judicio non unius, bonis, quod ajunt, avibus. Hunc in finem, ne cum umbra ſua luctari videatur; primùm genuinum philoſophematum Spinozæ ſenſum ex involutis & tortuoſis definitionibus, iiſque ſuperſtructis epicherematis eruit; erutum deinde ad rationis,principiis utrique indubitatis inſtructæ,lancem expendit,à falſis dubia,à dubiis certa, ſollicite ſecernit; hiſce tandem calculum adjicit, ac ex limpidioribus derivat fontibus, illa obſcuritatis arguit ac convincit, iſta indubitatis argumentis refellit. Hæc omnia in prima Anti Spinozæ hujus parte præſtat, ut autem rem omnibus abſolvat numeris, in ſecunda parte Lectori antidotum propinat: Quippe in hâc *quis* & *qualis* Deus ſit, Deum à Mundo, Dei *ESSE* ab *eſſe* creaturarum, inprimis mentis humanæ, earundemque attributa ab attributis Dei, accurate diſtinguere docet, omneſque difficultates, quæ circa hæc occurrunt, clare ac perſpicue explanat.

Hoc opus, hic ſcopus Autoris. Tuum, B. L., erit eâdem aprobatione, eodem animo, quibus reliquos, quos ipſe, dum in vivis erat, edidit Autor, & huncce WITTICHII fœtum poſtumum, qui iis, ſi rem ipſam, quæ agitur, reſpicias, non cedit, excipere, & ſi quæ forſitan minùs ἀκριβῶς, vel ad rhombum dicta offendas, ea æqui bonique conſulere: Homo enim fuit WITTICHIUS, ac, quod magis eſt, ex hâc vita ad meliorem evocatus, ultimam manum, quod ex animo mecum dolent omnes boni, operi admovere non potuit. Tantum eſt: VALE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EXAMEN ETHICES.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

DE
METHODO
DEMONSTRANDI.

ANtequam nos accingamus ad Examen *Ethicæ*, quam Spinoza ordine geometrico demonſtratam inſcribit, pauca quædam præmittenda de Methodo, qua ipſi placuit hic uti: Synthetica ea eſt, procedens à definitionibus, axiomatibus, poſtulatis ad propoſitiones earumque demonſtrationes, poſt quas non raro corollaria & ſcholia quoque adjungit.

DUPLEX autem demonſtrandi ratio apud Mathematicos eſt recepta, alia quæ per Analyſin, alia quæ per Syntheſin procedit. Analyſis veram viam oſtendit, per quam res methodice & tanquam à priori inventa fuit, quam ſi lector ſequatur & ad omnia accurate attendat, rem non minus intelligit, ac ſi propria ſponte ſine ullius alterius ductu eam inveniſſet: Non autem minùs attentum aut repugnantem impellit ad aſſenſum: Unde ſi quis minùs attendat ac eorum, quæ propoſita ſunt, quicquam ipſi præterlabatur, aſſenſum facile denegabit: At Syntheſis inſtituit viam plane oppoſitam, modum inveniendi Lectori plane occultat, aliam viam arte factam oſtendit, quam ſi Lector ſequutus, quantumvis repugnans & renitens aſſentiri debet demonſtratis: eò quòd oſtendatur, hæc quæ negantur, jam in antecedentibus contineri, & in illis fuiſſe admiſſa: Non tamen ſic ſatisfacit menti,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nec implet ita animos diſcentium ut altera, quoniam medium, quo res fuit inventa, occultat. Methodus Analytica nihil aſſumit, quod quovis modo ſit obſcurum, ſed ex iis, quæ per ſe ſunt clara, ad alia, quæ obſcura ſunt progreditur, atque ita illa ipſa ex claris notionibus elucidat & non minus perſpicua menti reddit, quàm ea, quæ per ſe erant evidentia: Summam autem requirit attentionem, qua poſita, nihil quicquam eorum, quæ per ſe ſunt clara, mentis aſſenſum effugere poteſt. Sic autem ſuſpenſo & tardo gradu procedit, eumque ordinem tenet, quem ipſa natura ſponte ſubminiſtrat. Non congerit ergo notiones cognitas easque ſimul præmittit ignotis, utitur cognitis, quas ſponte ipſum examen rei, quæ inquiritur, offert; nec coacervat Axiomata clara & evidentia, quæ omnibus aliis præponat, ſed uti fuerit opus, ea ex mente depromit & rei præſenti applicat: At Methodus Synthetica cum pro fine habeat potius, ut mentem de veritate convincat, quàm ut clare explicet naturam rei, de qua vult convincere, congerit notiones & veritates natura cognitas, præmittit ſuis demonſtrationibus, definitiones & axiomata evidentia, quorum aſſenſum poſtulat, eoque impetrato, ſi in ſequentibus concluſio obveniat, quæ per ſe aſſenſum non impetrat, ad eum mentem cogit per iſtas definitiones & axiomata præcognita & prius admiſſa. Sic Methodus Analytica non metitur claritatem & evidentiam rei ex eo, quod ei nemo contradicat, ſed ex affectione, qua mens erga illam rem afficitur, dum ad eam accurate attendit; unde non probat ea, quibus contradicitur, ſi ea per ſe clara deprehendit menti attendenti, ſed contradicentem jubet depoſitis omnibus præjudiciis & affectibus animum omni vi ſeſe iſti conſiderandæ applicare: Summum quod facit erga alium eſt, ut explicatione juvet illam rem & cauſam obſcuritatis, quæ eſt in mente alterius, removeat. Sed Synthetica dum ea omnia, quibus ab aliis contradicitur, inſtituit probare, ſæpe ordinem naturæ rerum valde turbat, atque ita agit de iis rebus, de quibus

juxta ordinem naturæ non niſi diu poſt debebat tractari: Atque hæc etiam eſt cauſa, quare Methodus Analytica non ita utatur demonſtrationibus ad abſurdum, quæ frequentiſſime locum habent in Methodo Synthetica, quia tales mentem quidem convincere, ſed nulla claritate affundere queunt. Sic vero mens aſſequitur quidem certum aſſenſum de re quod ſit, ſed quamdiu ignorat quomodo illa ſe habeat, plena animi ſatisfactione eſt deſtituta. Synthetica Methodus etſi non omittat ſpecies generum earum rerum, quæ tractantur, nullis tamen utitur diviſionibus, nec obſervat, genus habere tot ſpecies, neque probat, quod notio generalis generis nequeat recipere niſi tot differentias, ſed iſtas ſpecies tantum ordine quodam collocat & definitiones earum explicat: At Analytica cum ſolicita admodum, ne quicquam ommittatur earum rerum quarum in ſequentibus eſt uſus, incipit à rebus magis generalibus, & ſimplicibus, & ubi omnia explicuit, quæ in communi potuerunt dici de genere antequam ſermo eſſet de ſpeciebus, vel de toto, antequam ageretur de partibus, dividit genus in tot ſpecies, quot illud poteſt admittere differentias, totum in ſuas partes & quamlibet difficultatem propoſitam in omnes ſuas partes. Sic vero Methodus Synthetica ſæpe multum deviat ab ordine naturæ, dum ſupponit, non opus eſſe, ut alius ſervetur ordo, quam ut priores propoſitiones poſſint inſervire ad demonſtrandas ſequentes, unde ſæpe res demonſtrantur per vias admodum difficiles, & non natura duce repertas, ſed longe petitas, coactas, & non niſi artificio aliquo paratas & ſtructas, cujus rei varia exempla in Euclide licet reperire. Contra ea Methodus Analytica ordinem naturæ accurate obſervat, nihil probat niſi per rerum veras cauſas atque vera principia, via recta & breviſſima ducit mentem & propterea facili admodum, quæ menti eſt grata & accepta, quaque duci vult & amat, ut ita plenam & perfectam cognitionem earum rerum, in quas inquirit, conſequatur. Et quemadmodum non parum nocet mentis perſpicuæ perceptio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ceptioni, ſi eam formulis ſyllogiſmi velimus conſtringere, cum ſic diſtineatur in propoſitionibus conſiderandis, quæ obviæ ſunt veritatis & negligat examinare eas propoſitiones, quæ non ita ſunt claræ; ita & vincula illa definitionum & axiomatum à ſuo corpore ſeparatorum & non ſub naturali ſerie collocatorum mentem conſtringunt, ut libertate ſua nequeat gaudere, nec ita ducatur, quemadmodum duci amat, nempe ut prior cognitio ſit gradus ad ſequentem longe remotam, ſed immediate connexam, quod in Methodo Analytica accurate obſervatur. Spinoza, dum in Tract. de Emendatione intellectus agit de methodo, videtur methodum illam per analyſin commendaſſe. Ita p. 367. inquit: *Vera methodus eſt via, ut ipſa veritas, aut eſſentiæ objectivæ rerum aut idea (omnia illa idem ſignificant) debito ordine quærantnr*, quod generale eſt; ſed ei ſubjungit: *Ad id autem opus eſt intelligere, quid ſit vera idea, eam à cæteris perceptionibus diſtinguendo, ejuſque naturam inveſtigando, ut inde noſtram intelligendi potentiam noſcamus, & mentem ita cohibeamus, ut ad illam normam* (voluit dicere *ad normam veræ ideæ*, prout apparet ex ſequentibus) *omnia intelligat, quæ ſunt intelligenda, tradendo tanquam auxilia certas regulas & etiam faciendo, ne mens inutilibus defatigetur.* P. 368. hoc ipſum ſic explicat: *Illa bona erit methodus, quæ oſtendit, quomodo mens dirigenda ſit ad datæ veræ ideæ normam.* Cum autem *præſtantior ſit idea entis perfectiſſimi idea aliarum rerum, perfectiſſima ea erit Methodus, quæ ad datæ ideæ entis perfectiſſimi normam oſtendit, quomodo Mens ſit dirigenda.* Porro p. 386. inquit: *Rectam inveniendi viam eſſe ex data aliqua definitione cogitationes formare, quod eò felicius & facilius procedet, quò rem melius defini verimus.* Quicquid tamen de eo ſit, non putem Spinozam in ſua Ethica id obſervaſſe, ut ad datæ veræ ideæ adeoque entis perfectiſſimi normam omnia dirigeret; multaque exiſtimo admiſiſſe, quæ cum ipſa Methodo Synthetica pugnant, quod in ſequentibus nos clariſſime eſſe demonſtraturos, nulli equidem dubitamus. Hic vero in anteceſſum expendenda proponimus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nimus Lectori, quæ in Epiſtola ad S. J. Vries Anno 1663. ſcripſit, quæ legimus p. 461. Dicit ibi, *diſtinguendum inter genera definitionum: Nempe inter definitionem, quæ inſervit ad rem cujus eſſentia tantum quæritur & de qua ſola dubitatur, explicandum, & inter definitionem, quæ ut ſolum examinetur, proponitur. Illa enim quia determinatum habet objectum vera debet eſſe, hæc vero id non requirit. e.g. Si quis Templi Salomonis deſcriptionem me roget, ipſi veram Templi deſcriptionem tradere debeo, niſi cum ipſo cupiam garrire. Sed ſi ego Templum aliquod in mente concinnavi, quod ædificare cupio, ex cujus deſcriptione concludo, me talem fundum, totque millia lapidum aliorumque materialium emere debere, aliquiſne ſanæ mentis mihi dicet, me male concluſiſſe, ex eo, quod forte falſam adhibui definitionem? vel an aliquis à me exiget, ut meam definitionem probem? Is ſane nihil aliud mihi dicet, quam quod id quod conceperam, non conceperim, vel à me exiget, ut id, quod conceperam, probem, me concepiſſe, quod ſanè eſt nugari. Quare definitio vel explicat rem, prout eſt extra intellectum, & tum vera debet eſſe, & à Propoſitione vel Axiomate non differre, niſi quod illa tantum circa rerum, rerumve affectionum eſſentias verſatur; hoc vero latius, nempe ad æternas veritates etiam ſe extendit: vel explicat rem prout à nobis concipitur, vel concipi poteſt, tumque in eo etiam differt ab axiomate & propoſitione, quod non exigit, niſi ut concipiatur abſolute, non ut axioma ſub ratione veri.* Hæc eſt eadem diſtinctio cum ea, qua alii utuntur inter Definitionem rei & definitionem vocis, quas pro re nata promiſcue adhibet, quibus adjungit definitiones etiam notionum ſecundarum, quarum poſtremis potuiſſet carere, ſi methodo analytica voluiſſet uti. Et cum hic agatur de natura Dei, Mundi, Animæ, Hominis &c. quæ ſunt res vere exiſtentes, nihil attinebat præmittere definitiones vocis vel notionum ſecundarum, quas oportebat omnes eo ſenſu accipere & uſurpare, quo inter homines ſolent ſumi & adhiberi. Certum etiam eſt, quod definitiones à Spinoza adhibitæ ex more Geometrarum debeant inſervire ad explicandum

rem, cujus eſſentia tantum quæritur & proin debeant eſſe veræ: Ita vera eſt apud Geometras trianguli, quadrati, circuli &c. definitio & aliarum rerum ſimilium; habent enim determinatum objectum, de quo quæritur, & explicant res, prout ſunt extra intellectum. Neque poſſent illis ſic inniti propoſitiones, quæ certas illarum ipſarum rerum proprietates declarant. Quod ſi ergo oſtenderimus, multas definitiones à Spinoza adhibitas non explicare res prout ſunt extra intellectum, multaſque definitiones ab ipſo adductas, quibus nullæ res reſpondent extra intellectum, concident utique illæ propoſitiones totaque earum ſeries, quæ huic fundamento innituntur. Forte tamen dicas, non hoc exprobrandum Spinozæ, quod adduxerit definitiones eas rerum, quibus nullæ res reſpondeant, ſed ad ſummum, quod aliter uſus fuerit vocibus, quam in communi uſu ſermonis ſoleant ſumi, ut, quod ille per attributa id intellexerit, quod alii intelligunt per ſubſtantias, quando nempe cuilibet attributo diſtinctam aſſignat eſſentiam, & ſubſtantiam vocat id, quod omnia iſta attributa, quæ diſtinctas habent eſſentias, complectitur, dum nempe ſolum Deum, cui infinita attributa realia aſſignat, appellat ſubſtantiam. Verum enim vero vel hoc ipſum excuſari non poteſt: non enim illi hæc poteſtas eſt conceſſa, ut poſſit vocum ſignificationes pro ſuo lubitu immutare, non magis quam Geometris licet, ut quadrato definitionem, quæ eſt circuli, & ſic porro applicent. Neque tamen hoc ſolum vitium in eo deprehendemus, ſed etiam, quod propoſuerit definitiones, quæ nihil quicquam in re habent veritatis, quibus tamen ædificium ſequentium propoſitionum & demonſtrationum ſuperædificat, quibus propterea debet explicari res, quæ eſt extra intellectum adeoque veræ eſſe, & à Propoſitione vel Axiomate non differre debent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PARTIS PRIMÆ

ETHICÆ SPINOZÆ EXAMEN.

EXAMEN DEFINITIONUM.

DEFINITIO I.

Per cauſam ſui intelligo id, cujus eſſentia involvit exiſtentiam; ſive id, cujus natura non poteſt concipi niſi exiſtens.

EXAMEN.

NOtiones ſecundæ non poſſunt ſpectari ante primas, ſi ordinem naturæ ſequamur, ſunt enim tantum modi quidam conſiderandi generales, & quantum fieri poteſt, abſtracti à rebus particularibus & extantibus, neque cadunt ſub communem notitiam & intellectum hominum, ſed inventæ ſunt à Philoſophis collatione inſtitutâ rerum particularium ſive extantium inter ſe invicem, vel etiam cum rebus non extantibus niſi in cogitatione vel apparentia ſenſuum: Ab his autem graviter erratur, qui putant illas ſingulas ſic abſtractas, quales ſunt Subſtantia, Eſſentia, Subjectum, Attributum, Accidens, Modus, Cauſa, Effectum &c. per ſe habere aliquam determinatam & immobilem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mobilem naturam, quæ ſit omnibus communis atque apta ſit de pluribus prædicari, non advertentes, ea poſſe inter ſe invicem permutari, quando mutato nomine & conceptu alia inſtituitur comparatio ſeu conſideratio, quâ ſolâ hæ Logicæ notiones accipiunt ſuum nomen & formam. Sic verò confunditur natura *conceptus* cum natura *Rei*, fallacia accidentis: Univerſalia igitur iſta quidem ſunt *Res quæ ſunt*, quatenus ad conceptum & nomen rei exiſtentis, quam conſideramus, accedit nomen & conceptus modi conſiderandi, qui eſt notio ſecunda illam ipſam rem involvens; ſed univerſalia *non ſunt Res* prout ſunt univerſalia & modi conſiderandi ſive notiones ſecundæ, quo ſenſu non aliter quàm in conceptu & nomine ſunt. Quod ſi igitur diſtincte & ordine voluiſſet progredi Spinoza particulares res prius debuiſſet conſideraſſe, quæ cadunt ſub intellectum communem, Deum, Mentem, &c. & poſt realia obſervata attributa etiam notiones ſecundas varias Cauſæ, Subſtantiæ, &c. formare. Et quantum attinet ad hanc definitionem *Cauſæ ſui* ea non debuiſſet proponi, niſi prius cognita, re particulari, cujus collatione cum alia inſtituta notio *Cauſæ* potuiſſet abſtrahi, oppoſite ad aliam rem particularem, quæ ut *Effectum* hujus potuiſſet conſiderari. Hoc autem inſtituto conſiderandi modo apparuiſſet, cauſam valdè generaliter acceptam denotare id, à quo aliquid eſt, quod admodum abſtractum & confuſum eſt, adeo ut ſub eâ generali acceptione intelligi poſſit quævis ratio prior, propter quam aliquid in re reperitur. Sic obſervavit Carteſius, vocem illam *cauſa* ſolêre paſſim uſurpari ab omnibus, qui ratione utuntur in quæſtione, qua inquiritur, cur res aliqua exiſtat, tum generali notione, ut ea cauſæ efficienti & formali ſit communis, ita ſcilicet, ut quod eſt *ab alio* ſit ab ipſo tanquam à cauſa efficiente, quod autem eſt *à ſe* ſit à ſe tanquam causâ formali, hoc eſt, quia talem habet eſſentiam, ut cauſa non indigeat efficiente. Et ſane apud Geometras vox *Cauſa* adeo late ſumitur, ut quamvis deſignet rationem, propter quam talis proprietas, alicui rei competat, quæ ſemper ab ejus eſſentia ſumitur: Sic quando Deus dicitur cauſa ſui, vel, quando ejus eſſentia, hoc eſt, omniſufficientia & ſumma perfectio dicitur cauſa quare exiſtat, hoc tum ato ſenſu vox Cauſa ut accipiatur, oportet. Cùm enim de omnibus aliis rebus exiſtentibus poſſit quæri, quare illæ exiſtant, nulla ratio eſt, quæ impediat ut non illa quæſtio de Deo quoque inſtituatur.

tur. Si igitur quæratur de Deo, quare ille exiſtat, omnes reſpondebunt, Deum nullâ causâ extra ſe ad exiſtendum indigere; verum id non ſatisfaciet omnino, ac proptera ſic tantum dabitur occaſio ulterius quærendi, quare Deus nullâ causâ externâ indigeat, ad quam quæſtionem non poterit aliter reſponderi, niſi dicendo, cauſam ſive rationem iſtius eſſe derivandam à Dei naturâ, quæ tam immenſam habeat potentiam, ut illa ſibi ipſi ad exiſtendum ſufficiat, ſive, ut propter eam exiſtat. Atque hoc modo demum poterat venire in conſiderationem *Cauſa ſui*, à quâ tamen etiam poſſumus abſtinere, cum multi fuerint, qui eâ voce à Carteſio uſurpatâ fuerint, offenſi, & dicere, rationem quare Deus exiſtat non aliunde poſſe deſumi, quam ab ejus perfectiſſimâ eſſentia, qua ſibi ipſi & aliis omnibus ad exiſtendum ſufficiat. Sed, uti dixi, definitio Dei vera fuiſſet præmittenda definitioni terminorum abſtractorum & notionum ſecundarum, ne hæ cum rebus confundantur vel pro ipſis rebus habeantur, quarum ſunt involucra, ſicut aliâs conſuevit fieri: Verum nec hoc factum eſt ab auctore, & ille tantum abeſt, ut veram Dei definitionem nobis dederit, ut eam planè confuderit cum Mundo, ſicut in ſequentibus plenius oſtendetur. Sic ergo juxta ipſum cauſa ſui erit Mundus, quo faciunt illa, quæ legimus in Epiſtolâ ad Oldenburgium IV. Anno 1661, ubi inquit: *Rerum, quæ nihil commune habent inter ſe unam alterius cauſam eſſe non poſſe, Deum autem multa formaliter communia habere cum rebus creatis.* Nam ſi hæc ſequamur, Deus propterea erit cauſa rerum creatarum, quia multa formaliter communia cum rebus creatis habet. Sic erit cauſa rei extenſæ, quia ipſe eſt extenſus, cauſa item rei cogitantis, quia ipſe eſt cogitans, & quoniam omnes illæ res creatæ ſimul ſumtæ non differunt à Deo, *Cauſa* erit *ſui*, quia cùm creaturæ exiſtant, & ille ſit earum exiſtentiæ cauſa, eo ipſo erit dicendus *Cauſa ſui*. Huc nos ducit totum Syſtema Spinozæ, ut credamus, Mundum eſſe Deum, ſicque verum Deum abnegemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

DEFINITIO II.

Ea res dicitur in ſuo genere finita, quæ alia ejuſdem naturæ terminari poteſt. Explicat Spinoza iſtam Definitionem exemplis. *Ex. Gr. corpus dicitur finitum, quia aliud ſemper majus concipimus. Sic cogitatio alia cogitatione terminatur. At corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore.*

EXAMEN.

HÆc Definitio iterum eſt termini abſtracti, qui non ſatis poteſt intelligi antequam cognoſcantur particularia à quibus iſta notio abſtracta fuit. Et abſtractio quoque iſta nimis eſt generalis & confuſa, atque hic ipſe terminus valdè ambiguus, ne nunc dicam quod ſit terminus plane negativus. Finitum enim dicitur vel generatim id, quod non habet omnem perfectionem, vel uſurpatur ſpeciatim de certa quadam perfectione, quæ ipſa etiam adhuc limitata eſt & reſtricta. Sic datur finita cogitatio, quæ non omnia intelligit; ita finitum dicitur corpus, quod certa menſura ſive terminis terminatur, ut ulterius ſe non extendat. Sed ille hanc ambiguitatem relinquit intactam adeòque rem definitam relinquit obſcuram. Quæ obſcuritas augetur, quod non dicat *quæ aliâ ejuſdem naturæ* terminatur, ſed *terminari poteſt*. Finitum enim eſt, non quod terminari poteſt, ſed quod terminatum eſt. Exemplum *Cogitationis*, quod affert, non omnino quadrat definitioni. Cogitatio enim quâ cogitatio eſt, non involvit terminum ſeu finem; ergo non neceſſario cogitatio alia cogitatione terminatur. Si enim concipiatur cogitatio, quæ omnes res cognoſcibiles exhauriat, eaſque perfectiſſime percipiat atque de iis ſtatuat liberrime ea non terminabitur alia cogitatione; quæcumque enim alia fingatur, ea jam continetur in illa. Sed cogitatio finita eſt, quæ non exhaurit omnia cognoſcibilia, & propterea ab alia ſequente diſtingui debet, qua iterum aliud quod cognoſcible

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

vel aliam formam iſtius, cognoſcibilis apprehendit. Sic optime Deum diſtinxiſſet à rebus quibuſvis aliis cogitantibus. Quod poſtea dicit : *At corpus non terminatur cogitatione, nec cogitatio corpore*, id non abſolute verum eſt. Poteſt dici corpus terminari cogitatione quatenus corpus non habet eam perfectionem,quæ eſt in cogitatione quæ tamen ſimpliciter eſt perfectio, ſive in ſuo genere, qua phraſi ipſe utitur; ſimili ratione quoque poteſt dici cogitationem terminari corpore, quatenus cogitatio non habet eam perfectionem, quam habet corpus; quamvis id non debeat extendi ad cogitationem infinitam, quæ etſi non habeat extenſionem habet tamen ſimpliciter omnem eamque infinitam perfectionem, quod ea eminenter contineat omne id, quod eſt perfectionis in rebus creatis, ſive, quod ea contineat id, quod longe quid majus eſt, quam omnis perfectio omnium rerum creatarum. Quod vero attinet ad cogitationem ea tamen longe perfectior eſt corpore etſi non habeat extenſionem, corpus enim extenſum nullum ex ſe habet actum, ſed ſi quem habeat, cujuſmodi eſt motus, eum extrinſecus accipit, at mens actum cogitandi ex ſemetipſa, eo quod mens eſt, habet, quæ longe major eſt perfectio, quam extenſionis.

DEFINITIO III.

Per Subſtantiam intelligo id quod in ſe eſt & per ſe concipitur; hoc eſt id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debet.

EXAMEN.

Vitium idem hîc obſervare licet ab auctore commiſſum, quod ad definitionem I notavimus ſcilicet,notionem ſecundam conſiderari abſtractam à ſuis particularibus,antequam illa particularia fuerint intellecta, quo modo agendi fit, ut umbram captemus pro re & vim faciamus humanæ cogitationi, quia omnes homines per ſubſtantiam in extantibus rem particularem intelligunt, Deum, Mentem, Corpus, in his particularibus conſiderantes id, quod reale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

eſt, inveniunt in Deo cogitationem infinitam, in mente cogitationem finitam, in corpore extenſionem. Quod ſi jam Philoſophus ſuper his animum reflectat & cogitet, ac hæc omnia, cogitationem infinitam, cogitationem finitam & extenſionem, quæ realia ſunt & extantia, animadvertat, ita per ſe & ſeorſim intelligi, & in ideâ repræſentari, ut in illis non ſuperſit quicquam quo referri poſſint, deprehendet, hæc ſola rei ſubſiſtentis plenam formam habere, atque ſic ſubſtantias appellabit & notionem ſubſtantiæ ſic abſtractam formabit, quòd ſit *Res, quæ per ſe & ſeorſim intelligitur, atque ideo per ſe eſt ut in illâ non ſuperſit quicquam, quo referri queat*; quæ tamen notio, uti apparet ex dictis, non intelligitur ſatis clarè, niſi mente reflexâ ad unum vel alterum ex illis particularibus. Debet aliquod particulare unà cum iſtâ notione mentem noſtram ſubire, ne mens noſtra evaneſcat & illam ipſam notionem pro re exiſtente habeat, ſicque umbram pro corpore captet. Atque ſic notio ſubſtantiæ ſtrictè dictæ legitimè erit abſtracta & commodè hoc dicto modo intelligetur, atque à ſubſtantia latè acceptâ rectè diſtinguetur: Solet enim hæc aliàs confundi cum ſubſtantia latè accepta. Res enim aliqua vel verè eſt per ſe, uti Deus, Mens, Corpus, vel noſtro tantùm conſiderandi modo, ut figura quadrata, motus &c. quatenus habent aliquam certam formam, rationem naturam, eſſentiam, quæ æquipolleut ſubſtantiæ latè acceptæ, adeo ut ſubſtantia latè accepta idem ſit quod rei alicujus eſſentia, οὐσιάν Ariſtoteles dixit, forma, natura. Atque hac ratione una eademque res poteſt ſubſtantia dici, poteſt etiam accidens appellari. Sic figura eſt ſubſtantia late accepta, accidens autem debet dici, ſi cum ſubſtantia ſtricte accepta comparetur. At cum hæc definitio à Spinozâ in eum finem ſit adducta, ut conficeret poſtea, unam tantum eſſe ſubſtantiam, Deum; reliqua omnia eſſe tantum modos illius ſubſtantiæ, voluit procul dubio ſubſtantiam ſtricte dictam hic definire. Hic vero operæ pretium fuerit, ut rem iſtam magis diſtincte intelligamus, atque notionem ſubſtantiæ à re, quæ eſt ſubſtantia, diſtinguamus, attendere ad originem iſtius abſtractionis & nomen quo illud abſtractum effertur. Subſtantia, ſi ad originem vocis attendas, dicitur à *ſtare*, quod eſt per ſe conſiſtere, & à præpoſitione *ſub*, atque ita ſignificat, eam & per ſe conſiſtere, & ſubjectum eſſe alterius, quod ita per ſe non ſtat, & propterea accidens appellatur.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Cum autem ſubſtantia dicatur *per ſe eſſe* illud *Eſſe* quid ſit rite evolvendum. Dicendum autem hic eſt, verbum *Eſt*, in prima & ſimpliciſſima ſua ſignificatione ſignificare tantum, quo animo ſimus affecti erga iſtam rem, ut nihil aliud ſit quam primus voluntatis actus ſive affirmatio, quæ nihil ponit in re, quod non prius ſupponatur fuiſſe intellectum. Ita voluntas agnoſcit & amplectitur hoc, quod intellectus ſine confuſione & obſcuritate affirmandum & agnoſcendum proponit. Sic præter intellectum in quo eſt idea, accedit actus voluntatis, quo illud, quod intellectus in idea deprehendit, agnoſcit, quam agnitionem voluntatis primo ſignificat verbum *Eſt*. Sed hoc admodum generale eſt & commune, uſurpatur enim & de apparentibus, & de cogitatis, & de extantibus extra cogitationem. Quando de cogitatis & apparentibus adhibetur, ut quando dico *Calor eſt*, *Dolor eſt*, conſideratur idea in ſuo eſſe actuali potius quam repræſentativo, prout eſt aliquid in mea mente, prout eſt actus mei intellectus, atque harum Propoſitionum ſenſus eſt. Illa idea, quæ mihi repræſentat aliquid, quod vel doloris vel caloris nomine appello, revera eſt in meo intellectu; adeo ut tunc intellectui, quo percipitur iſta idea, tantum accedat voluntas, quæ ad illum ipſum intellectum & non extra eum refertur, atque in illo ipſo intellectu id tantum agnoſcit, quod intellectus apprehendit. Sed quando de extantibus extra intellectum uſurpatur, idea conſideratur in ſuo eſſe repræſentativo, & quatenus ſupponitur pro ipſa re repræſentata, ut dum dico, *Triangulum eſt*, *Corpus eſt*, non tantum ſignificatur, triangulum vel corpus eſſe in cogitatis, ſed præterea, (quoniam idea trianguli & corporis, quæ eſt in cogitatis repræſentat aliquid extra cogitationem) triangulum vel corpus eſſe extra cogitata, eſſe in extantibus. Atque ibi etiam verbum *Eſt* nihil quidem aliud ſignificat, quam actum voluntatis, qua agnoſcitur id, quod intellectus repræſentavit, ſed agnoſcitur non tam cum illa relatione exiſtentiæ ad intellectum, quam cum relatione exiſtentiæ extra illum, atque ita, quando dico, triangulum eſt, corpus eſt, ſignifico, revera illi ideæ, quam habeo in intellectu, non aliquid in ipſo intellectu extans reſpondere, ſed aliquid extra intellectum. Nunc autem illud exiſtens extra intellectum iterum diſtinguendum venit; aliud enim idea repræſentat tanquam tale, ut de eo poſſimus dicere *eſſe per ſe*, aliud vero tanquam tale, ut dicere queamus, illud *eſſe in alio*,

 atque

atque illud *eſſe per ſe*, id eſt, quod naturam ſubſtàntiæ ſtricte dictæ conſtituit, cum *eſſe in alio* poſſit locum habere in ſubſtantia late accepta. Quando ergo aliquid ita exiſtit extra intellectum, ut ſit in ſe & non in alio, adeoque ab alio tanquam, à ſubjecto non dependeat, dicitur illud eſſe per ſe. Sic vero quod *per ſe eſt* non eſt in alio, ut nec ab alio ſit nec ab eo tanquam ſubjecto dependeat, quod αὐθυπαρξία dici poteſt: Quod tamen non ulterius eſt trahendum, quaſi ad ſubſtantiæ conceptum requiratur, ut dependeat ab alio tanquam à cauſa, quo ſenſu Spinozam hanc definitionem ſuam accipere, tum ex eo patet, quod conficere conetur in ſequentibus Deum ſolum eſſe Subſtantiam, res vero creatas tantum eſſe iſtius ſubſtantiæ quoſdam modos, tum ex iis quæ legimus in Tractatu de Emendatione intellectus p. 386. *Si res ſit* in ſe, *ſive ut vulgo dicitur, cauſa ſui tum per ſolam ſuam eſſentiam debet intelligi, ſi vero res non ſit in ſe, ſed requirat cauſam ut exiſtat, tum per proximam ſuam cauſam debet intelligi.* Sed fas non erat ipſi phraſin illam *in ſe* & *per ſe eſſe* trahere in ſenſum plane alium, quo ſenſu ab aliis uſurpari non ſolet. Saltem ea, quæ ſunt extra intellectum res extantes, vel talia ſunt ut ſint in alio, vel ut non ſint in alio tanquam ſubjecto ſed ſint in ſemetipſis, vel ita ſunt, ut nulla cauſa extrinſeca ad exiſtendum indigeant, ſed ſuâ natura & ſumma potentia ad exiſtendum ſibi ipſis ſufficiant. Hæc tria ſane ex natura rei diſtinguuntur, & per conſequens, ſicut primum non ſecundo, ita nec tertium cum ſecundo debet confundi, contra quam fit à Spinoza. Prius eſt id quod accidens ſolet dici, alterum eſt ſubſtantia, tertium ſubſtantiæ increatæ & independentis nomine inſigniri, neque cum ſubſtantiis creatis confundi debet. Ficta ergo procul dubio eſt idea ſubſtantiæ, quam habet Spinoza, quæ proin juxta ea, quæ de ideis philoſophatur Tract. de *Emendatione Intellectus*, vera non erit, adeoque ipſa definitio ſubſtantiæ ſenſu Spinozæ accepta non exprimet veram ideam, & per conſequens illa ipſa definitio vera non erit. *Eane* ergo erit principium & fundamentum, cui illam ſtructuram demonſtrationum & variarum veritatum quæ in rebus reperiuntur ſuperædificemus? Vera definitio juxta ipſum, uti vidimus in præfatione de methodo demonſtrandi, debet habere determinatum objectum, neque ſufficit, ſi quis dicat, ſe per aliquam vocem tale quid intelligere, quod recedit à communi uſu. Neque enim licet, quando de rebus, quæ revera ſunt in rerum natura agitur,

agitur, per voces, quibus illæ res vulgo exprimi & ſignificari ſolent, aliquid aliud, quam ſolent omnes homines ratione utentes, intelligere, niſi quis velit cenſeri inter eos homines, qui non de rebus, quæ ſunt in mundo, ſed de ſui cerebri figmentis ſuaviter philoſophantur, ſive delirant.

DEFINITIO IV.

Per Attributum intelligo id, quod intellectus de ſubſtantia percipit tanquam ejuſdem eſſentiam conſtituens.

EXAMEN.

ATtributi vox latius longe patet, quam ut debeat vel poſſit hac definitione reſtringi. Æquivalet ea voci accidentis, quando accidens in ſenſu logico ſumitur pro eo, quod opponitur ſubſtantiæ, quo ſenſu ſubſtantia dicitur *ſubſtare accidentibus*, quæ ſic dicuntur ſtare ſuper ſubſtantia, tanquam ſuper baſi & fulcro, ſicut ſubſtantia ſtat, ſub illis ea ſuſtinens & ſuſtentans. Sunt iſtiuſmodi accidentia ſive attributa duorum generum; alia vera ſunt & realia, alia à quibus ſubjectum tantum denominatur, tum revera in illo non ſint ſubjecto, ſed vel in apparentibus tantum vel in cogitatis. In apparentibus ſunt ea, quæ ex. gr. in noſtro corpore vel in aliis videntur eſſe, quum tamen nonniſi in ſenſuum noſtrorum ſint perceptionibus, ut dolor, calor &c. In cogitatis ſunt varii conſiderandi modi, qui per errorem ſæpe tanquam in rebus ſpectantur, ac de iis affirmantur, quia ab his ſæpe nomina imponimus rebus, quæ tamen in rebus non ſunt ſed in noſtra tantum cogitatione; nec poſſunt hi conſiderandi modi ad certum numerum revocari. Huc ſpectant primum omnes notiones Logicæ & Metaphyſicæ, quatenus ut ſumma rerum genera & ut affectiones rerum ſpectantur; dein omnes relationes, ſive illæ fundamentum habeant in rebus particularibus quibus aſſignantur, ſive in rebus aliis, quæ cum his noſtris, quibus ea attributa aſſignamus, comparantur. Quantum attinet ad attributa vera & realia, ea iterum dividi debent: Alia enim ſunt attributa eſſentialia, quorum in qualibet ſubſtantia unum tantum eſt, quod iſtam ſubſtantiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

conſtituit & ab alia diſtinguit, alia vero ſunt modi, quibus ſubſtantia aliter atque aliter ſe habet. Habent autem hæc realia attributa hoc iterum commune, quod ratione ſui ſubjecti ſemper aliquam notionem ſubſtantiæ involvunt: Eſſentiale enim attributum idem eſt quod ipſa ſubſtantia, neque aliter niſi logice à ſubſtantia differt, quando ſubſtantia ut ſubjectum, attributum vero illud ut prædicatum ſubſtantiæ inhærens conſideratur, reipſa vero idem eſt quod ſubſtantia & cum illa reciprocratur; at modus in ſuo conceptu aliquid involvit ſubſtantiæ, neque ſine ſubſtantia, cujus eſt modus, concipi & intelligi poteſt, etſi ſubſtantia poſſit intelligi ſine hoc vel illo modo, unde cum ſubſtantia non reciprocatur.

DEFINITIO V.

Per modum intelligo Subſtantiæ affectiones, ſive id, quod in alio eſt, per quod etiam concipitur.

EXAMEN.

EX his, quæ ad ſuperiorem definitionem annotavimus, facile apparet, hanc non eſſe legitimam modi definitionem, quæ ſic plane confunditur cum attributo eſſentiali, cui hæc definitio poteſt applicari.

DEFINITIO VI.

Per Deum intelligo ens abſolute infinitum, hoc eſt, ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.

EXAMEN.

DUbitari poteſt, an Spinoza per iſtam definitionem voluerit exprimere rem, quæ extra noſtrum intellectum extet & iſti definitio-

nitioni reſpondeat, an vero tantum voluerit oſtendere, quid ille per vocem iſtam *Deus* intelligat, etſi alii omnes homines per illam longe aliud concipiant? ſi poſterius ſenſit, quo videtur ducere phraſis ab ipſo adhibita, *per Deum intelligo* &c. jus ſibi ſumſit voces à recepta & uſitata ſignificatione ad aliam pro lubitu traducendi, quod nemo conceſſerit. Sed ſi cogitemus eum hac definitione in ſequentibus niti tanquam fundamento ad demonſtrationem variarum propoſitionum, dicendum erit priori ſenſu eam accepiſſe, quo poſito debebat ea eſſe vera & à notione & axiomate communi non differre, cujus contrarium nos mox oſtendemus eamque manifeſtarum abſurditatum convincemus.

Explicatio etiam Spinozæ, quæ adjicitur, eam nihil juvat. *Dico abſolute infinitum, non autem in ſuo genere: quicquid enim in ſuo genere tantum infinitum eſt infinita de eo attributa negare poſſumus; quod autem abſolute infinitum eſt ad ejus eſſentiam pertinet, quicquid eſſentiam exprimit, & negationem nullam involvit.* Quid vero quæſo hoc ſibi vult, *eſſe in ſuo genere tantum infinitum*? Forte cogitatio infinita ipſi erit tantum infinitum in ſuo genere; verum quomodo probabit, illa eſſe infinita in ſuo genere, de quibus attributa infinita negare poſſumus? Poſſum ego de quadrato negare omnia attributa Trianguli, Circuli, Ellipſeos, Hyperboles aliaque infinita, an propterea dicam, quadratum eſſe in ſuo genere infinitum? Eſt hoc commune finito & infinito, ut de iis poſſint negari infinita attributa. Quod ſubjungit, id non minus à veritate recedit ac prius. *Quod autem*, inquit, *abſolute infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinet quicquid eſſentiam exprimit & negationem nullam involvit.* Scilicet ex mente ipſius *cogitatio* exprimit eſſentiam & negationem nullam involvit: *extenſio* exprimit eſſentiam & negationem nullam involvit; pertinent ergo ad eſſentiam Dei. Idem putat de aliis attributis infinitis, quæ tamen non novit, & de quibus id propterea citra rationem aſſerit? Concedamus id de cogitatione, quatenus ut cogitatio ſpectatur, unde vero probabit id quoque de extenſione? Extenſio ſane actuoſitatem nullam ex ſe habet: ſi quam aliquando habet, aliunde & extrinſecus accipit, eaque in motu conſiſtit. Involvit ergo in ſua natura negationem actus & ratione ejus dependentiam aliunde. Supereſt, ut ad eſſentiam Dei nihil aliud dicamus pertinere, quam cogitationem infinitam, quæ propterea eſt perfectiſſimus actus omnem perfectionem comprehendens, adeoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

etiam hanc, quod alia omnia ab illo plane & omnibus modis dependeant.

Explicatio etiam iſta non ſatis convenit cum iis, quæ alibi habet: In epiſtola ad Oldenburgium inquit p. 397. Deum *definio eſſe Ens conſtans infinitis attributis, quorum unumquodque eſt infinitum, ſive ſumme perfectum in ſuo genere.* Sic illa, quæ in ſuo genere tantum ſunt infinita, conſtituent ens abſolute infinitum, atque adeo plura, non abſolute infinita, ſi fuerint inter ſe invicem conjuncta, conſtituent unum abſolute infinitum, quod profecto abſurditatem continet maximam. Si enim ſint in ſuo genere tantum infinita, eo ipſo non erunt infinita abſolute, & tamen inter ſe invicem juncta conſtituent ens abſolute infinitum, adeoque id quod non habent, conferent alteri. His adjungit loco citato: *Ubi notandum, me per attributum intelligere omne id quod concipitur per ſe & in ſe, adeo ut ipſius conceptus non involvat conceptum alterius rei. Ut ex. gr. extenſio per ſe & in ſe concipitur; at motus non item. Nam concipitur in alio & ipſius conceptus involvit extenſionem.* Sic antea definiverat ſubſtantiam, quam ab attributo diſtinguebat; nunc attributum eodem modo ab ipſo definitur, ſicut antea definita erat ſubſtantia, de quo nunc nolimus cum ipſo contendere, cum jam antea ad Defin. IV. obſervaverimus, attributum eſſentiale & ſubſtantiam non niſi logice & modo tantum conſiderandi differre, cum in re plane ſint idem: Sed hoc non convenit cum aliis ipſius hypotheſibus; revera enim hinc ſequitur, attributum rei eſſentiale totam rei ſubſtantiam exhaurire, & per conſequens, unum tantum eſſe unius ſubſtantiæ, adeoque multiplicatis iſtiuſmodi attributis multiplicari etiam ſubſtantias. Quoniam autem Deus juxta ipſum eſt: *Subſtantia conſtans infinitis attributis*, erit ergo Deus *ſubſtantia conſtans infinitis ſubſtantiis*, ſicque non unica erit ſubſtantia, ſed infinitæ, contra quàm alibi docet.

Quoniam vero nos exegimus iſtius definitionis VI. probationem eamque non adjunctam reperiamus, videamus, num id alibi tentaverit. Sic vero legimus in epiſtola ad S. J. Vries p. 462. *Quod autem dicis, me non demonſtrare ſubſtantiam (ſive ens) plura habere poſſe attributa, forte ad demonſtrationes noluiſti attendere: Duas enim adhibui; prima, quod nihil nobis evidentius, quam quod unumquodque ens ſub aliquo attributo à nobis concipiatur, & quo plus realitatis aut eſſe aliquod ens habet, eo plura attributa ei ſunt attribuenda.* Sed hæc prætenſa demonſtratio eſt merus para-

paralogiſmus, ad quem reſponſio poteſt peti ex iis, quæ ad Defin. IV. ſuperius obſervavimus. Conſtat ex iis, unum tantum eſſe attributum eſſentiale unius cujuſque ſubſtantiæ, modos poſſe eſſe plures, ſi modorum ſit capax, ſed infinita poſſe eſſe attributa notionalia. Realitas vero vel major vel minor ſubſtantiæ non conſiſtit in pluribus aut paucioribus attributis realibus, quorum ſingula diverſam habent eſſentiam, ſic enim non una, ſed plures forent ſubſtantiæ, vel una ſubſtantia compoſita ex pluribus, cum attributum eſſentiale à ſubſtantia non differat, niſi modo conſiderandi & logice tantum. Ut autem cognoſcamus quare aliquod Ens dicatur habere majorem realitatem altero, aliud minorem, quid ſit realitas alicujus rei rite expendendum. Realia ſunt & dicuntur ea, quæ exiſtunt extra noſtram cogitationem, ſive, quæ ſunt vera, aut quæ per veram non fictam ideam repræſentantur. Unaquæque igitur res, quatenus habet ſuum attributum eſſentiale, per quod revera eſt in extantibus extra noſtram cogitationem habet ſuam realitatem, qua ab alia re, quæ etiam habet ſuum attributum eſſentiale, diſtinguitur. Sic vero, quia una tantum eſt realitas unius cujuſque rei, non poteſt dici, unum habere plus realitatis quam habet alterum, niſi id hoc ſenſu dicas, ut ſignifices, habere majorem realitatem. Scilicet maxima realitas eſt ſummi entis, in quo nulla eſt mixtura non entis ſive imperfectionis. Major igitur vel minor realitas non à pluralitate attributorum, ſed à ſeparatione ab omni non ente & imperfectione dependet. Sic Deus maximam realitatem habet, quia in eo nulla eſt imperfectio, nullum non ens, nihil quod vel umbram imperfectionis vel non entis redoleat, etſi propterea ei non ſint adſcribenda infinita attributa realia. Sed homo ille non diſtinguit ſubſtantiam puram & ſimplicem à ſubſtantia compoſita, quæ cum habeat tantum unitatem compoſitionis poteſt habere attributa eſſentialia plura, quia ex pluribus eſt compoſita ſubſtantiis. Videtur quoque non ſatis diſtinxiſſe inter attributa realia & notionalia, quod colligere licet ex iis, quæ ſcripſit Anno 1676. in quadam epiſtola, ubi hæc p. 598. & 599. legimus: *Quod autem addis, nos ex definitione cujuſque rei conſideratæ unicam tantum proprietatem deducere valere, locum habet in rebus ſimpliciſſimis, vel entibus rationis (ad quæ figuras etiam refero) at non in realibus. Nam ex hoc ſolo, quod Deum defnio eſſe ens, ad cujus eſſentiam pertinet exiſtentia, plures ejus proprietates concludo: nempe quod neceſſario exiſtit, quod ſit*

 unicus,

unicus, immutabilis, infinitus &c. & ad hunc modum plura alia exempla afferre poſſem, quæ impræſentiarum omitto. Deus enim, non minus, quam alia quævis ſubſtantia pura & ſimplex, prout unicam tantum habet eſſentiam, ita unum habet tantum eſſentiale attributum vel proprietatem (hæc enim diverſa tantum ſunt nomina unius ejuſdemque rei) quæ variis modis poteſt denominari pro diverſis conſiderandi modis, quæ tamen variæ denominationes non debent cenſeri diverſa eſſe attributa eſſentialia, niſi Deum velis eſſe quid compoſitum ex variis ſubſtantiis. Quod enim Deus neceſſario exiſtat, quod ſit unicus, immutabilis, infinitus &c. ea omnia non repræſentant nobis diverſa attributa eſſentialia, ſed unam & ſimpliciſſimam Dei eſſentiam, ſub variis conſiderandi modis atque inde ortis diverſis denominationibus. Infinitas Dei non conſiſtit in infinitis attributis realibus tota eſſentia inter ſe invicem diſtinctis, ſed in tanta realitate, quæ eminentia ſua omnem realitatem finitam ſuperat & excedit, ita ut ad eam quoque pertineat ſumma ſimplicitas, quod vel ipſe Spinoza agnoſcit in epiſt. 40. ubi, quando proprietates entis neceſſariam includentis exiſtentiam explicat, illi enti tribuit, quod ſit ſimplex, non vero ex partibus compoſitum & tamen dicit, illud habere omnes perfectiones. Infinita illa eſſentia divina ita ſuperat captum finitum, ut non niſi diverſis conceptibus ad eam reflectendo illam ſub diverſis relationibus, negationibus apprehendat, nunquam comprehendat.

Sequitur nunc Spinozæ altera demonſtratio. *Secunda,* inquit in eadem epiſtola p. 463. initio, *& quam ego palmariam judicio eſt, quod quo plura attributa alicui enti tribuo, eò magis cogor, ipſi exiſtentiam tribuere, hoc eſt, eo magis ſub ratione veri concipio, quod plane contrarium eſſet, ſi ego chimæram, aut quid ſimile finxiſſem.* Sed ſupponit Spinoza, illud magis exiſtere, quod plura habet attributa, non probat. Ficta ſunt, quibus tribuit mens exiſtentiam, quam extra mentem non habent. Non tamen finguntur ſimplicia, ſed compoſita, vel potius ipſa compoſitio fingitur, quando ſimplicia componuntur & ſic compoſita judicantur exiſtere. Ita chimæra non eſt fictum quid quoad ſuas partes, ſed tantum ficta eſt iſtarum partium compoſitio. Sic fingo ignem ſub concavo Lunæ, non tamen ignis ipſe eſt quid fictum, ſed tantum ficta eſt compoſitio, quod ignis collocatur ſub concavo Lunæ & conjungitur ſuperius cum Luna & inferius cum aëre, cum qui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quibus in rerum natura conjunctus non exiſtit, & ſic de aliis. Non eſt major unius rei exiſtentia, quando plura ſunt attributa eſſentialia, ſed eſt exiſtentia plurium rerum. Quotuplex eſt eſſentia, ſive, quotuplex eſt attributum eſſentiale, totuplex eſt exiſtentia. Certus ſum exiſtere me cogitantem ex immediata conſcientia; certus ſum exiſtere Deum, ex ejus idea, quæ mihi repræſentat exiſtentiam inſeparabilem ab eſſentia; certus ſum exiſtere corpus ex ſenſuum perceptionibus, ſed iſta omnia ſunt diverſa, quia ſunt attributa eſſentialia diverſa, & propterea etiam habent diverſam exiſtentiam.

Ita nihil adhuc promovimus, nec potuit homo ille omnibus ſuis explicationibus & prætenſis demonſtrationibus probare, illam ſuam definitionem Dei eſſe veram. Facile autem poteſt ex dictis origo ejus erroris animadverti. Non attendit, attributum eſſentiale unius cujuſque ſubſtantiæ non eſſe niſi unum, illudque à ſubſtantia non niſi logice tantum & ratione modi conſiderandi differre. Impoſſibile enim alias fuiſſet, ut non videret, poſitis infinitis attributis realibus poni infinitas ſubſtantias. Talem ergo Deum nobis formavit, qualem nullum reperire licet, ei tribuens attributa infinita, quæ tamen qualia ſint, fatetur ſe ignorare. Novit Deum eſſe infinitum inde collegit infinitam ei realitatem eſſe aſſignandam, hanc autem concepit ut infinitam numero & ſic formavit conceptum infinitorum Dei attributorum; quoniam vero res creatas à Deo dependere cogitavit, conſideravit ens ut modos, non attendens, ad ſubſtantiam ſufficere quod ſit in ſe non in alio, neque ab alio tanquam ſubjecto dependeat, non vero requiri, ut non ſit aliunde tanquam à cauſa, quia ergo aliunde tanquam à cauſa dependere novit, negavit eſſe ſubſtantias, modos eſſe voluit. Deus ergo juxta ipſum eſt origo naturæ habens infinita attributa realia: horum attributorum unum quodlibet concepit ſemetipſum modificare, adeoque ſic fluere ex divina natura. Sic diſtinxit inter Originem naturæ & naturam ipſam, per eam intelligendo res creatas. Videre hoc licet p. 381. collata cum p. 570. *Quod autem attinet ad cognitionem* Originis naturæ, *minime eſt timendum, ne eam cum abſtractis confundamus.* Et poſt: *Nulla eſt metuenda circa ideam* Originis naturæ *confuſio: eſt nimirum hoc ens unicum, infinitum, hoc eſt, eſt omne eſſe & præter quod nullum datur eſſe.* Et p. 570. *Dico igitur, ut jam modo dixi, mundum divinæ naturæ neceſſarium effectum, eumque for-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

fortuito non eſſe factum. Melius adhuc id patet ex p. 449. ubi dicit, *ſe de Deo & natura fovere ſententiam longe diverſam ab ea, quam Neoterici Chriſtiani defendant. Deum enim rerum omnium cauſam immanentem, ut ajunt, non vero tranſeuntem ſtatuere. Omnia inquam in Deo eſſe & in Deo moveri cum Paulo affirmare, & forte etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo; & audere etiam dicere cum antiquis omnibus Hebræis quantum ex quibuſdam traditionibus, tametſi multis modis adulteratis, conjicere liceat.* Item ex pag. 453. *Deum nullo modo fato ſubjicio, ſed omnia inevitabili neceſſitate ex Dei natura ſequi concipio eodem modo, ac omnes concipiunt, ex ipſius Dei natura ſequi, ut ſemetipſum intelligat.* Et videtur ſic collegiſſe, vel debent omnia eſſe à Deo, ut ab ipſo ex nihilo fuerint facta, vel ut ex ipſius natura ſequantur: At illam productionem ex nihilo habuit pro abſurda & contradictoria, ad alterum ergo modum maluit deflectere. Is tamen cum recta ratione nullo modo poteſt conciliari. Scilicet creaturæ debent eſſe in Deo, ſicut in ipſo à nobis concipiuntur Dei decreta, & ſicut Dei intellectio, dum dicitur ſemetipſum intelligere, eſt in Deo: at hæc omnia tantum modo conſiderandi differunt à Deo; idem eſt decretum Dei & Deus decernens, idem Dei intellectio, quod Deus intelligens; ſic ergo mens mea, mens tua erunt ipſe Deus mentem meam mentem tuam formans; ita rana, mus, lumbricus erit ipſe Deus ranam, murem, lumbricum formans. Quis ſanæ mentis, cui hæc non quam abſurdiſſima videantur? Si Deus eſt omnium rerum cauſa immanens, non tranſiens creaturæ igitur, ſive, omnes res ſunt Dei ideæ, Dei decreta; horum enim Deus ſolet appellari cauſa immanens; vel potius, quia in creaturis cauſa immanens dicitur mens reſpectu ſuorum conceptuum, perceptionum volitionum, ſi terminus ille cauſa immanens transferatur ad Deum, creaturæ nihil erunt extra Deum, ſed erunt Dei conceptus, Dei ideæ, Dei volitiones: idem ergo erit homo, quod Dei volitio; idem lapis quod Dei volitio, & ſic porro, adeoque cum volitio Dei ſit ipſe Deus, lapis erit Deus, homo erit Deus, quæ ſi quis poſſit concoquere, non erit, quod impoſterum cogitemus vel de Philoſophia, vel de ulla diſciplina, imo vel de uſu rationis, quia hæc omnia diſtinctionem rerum & à ſe invicem & Deo ſupponunt. Abſit ut Apoſtolo Paulo viro ſapientia divina illuſtrato hæc venerint in mentem, cujus verba Act:

XVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

XVII.cap. Spinozæ plane non auriguntur. Docet ibi Apoſtolus, Deum ſe ita manifeſtaſſe hominibus, ut vel palpando illum invenire poſſint. Viſus eſt ſenſus, qui ad cognitionem multarum rerum ſenſibilium nos ducit, quo qui carent multa ignorant, ut lumen, colores &c. poſſunt tamen illi palpando quædam obſcure & imperfecte cognoſcere; ſic docet, Deum etiam ab iis poſſe cognoſci, qui magnam imperfectionem cognitionis habent: hoc autem probat Apoſtolus ex eo, quia non longe abeſt ab unoquoque noſtrum, cum ab ipſius operatione continuo pendeamus, quod in ipſo vivamus, moveamur & ſimus, quod ſane non poteſt intelligi hoc ſenſu quaſi ſic ſimus in Deo, uti intellectio divina eſt in ipſo, ſic enim eſſemus ipſe Deus, à quo tamen nos Apoſtolus Paulus ubivus docet diſtinctos. Ἐν αὐτῷ igitur apud Paulum idem eſt, quod *per ipſum* quo ſenſu particulam ἐν ſæpiſſime accipi nemini poteſt eſſe ignotum. Quid ergo dicemus! Si abſurdum eſt Deum omnes res creatas produxiſſe ex nihilo & abſurdum quoque omnia ſic fluere ex Deo ut intellectio fluit ex Deo intelligente, prout in antecedentibus oſtendimus, dicendumne falſum eſſe, quod omnia ſint à Deo? Abſit ut cogitemus. Examinemus potius an vere ſit abſurdum Deum omnia produxiſſe ex nihilo? Caveamus vero oportet, ut ſtatim pro abſurdo habeamus id quod captum noſtrum ſuperat, quaſi noſter intellectus ſit menſura rerum atque ita nos transformemus in Deum, cogitemus potius & revocemus ſæpius ad animum noſtrum nos eſſe finitos, potentiam vero divinam eſſe infinitam, adeoque illam multo plura poſſe efficere, quam nos unquam intelligendo poſſumus aſſequi; quod ſi ergo non intelligamus operationem illam, qua Deus facit aliquid ex nihilo, an hæc erit ſufficiens cauſa illam negandi? an igitur putamus, nos omnia debere intelligere! an non Spinoza ipſe fatetur, ſe aliqua non intelligere, quomodo fiant, quæ tamen fieri ſtatuit! ſic inquit in Tract. de Emendatione Intellectus p. 388. *Seriem rerum ſingularium mutabilium impoſſibile foret humanæ imbecillitati aſſequi, cum propter earum omnem numerum ſuperantem multitudinem, tum propter infinitas circumſtantias in una & eadem re, quarum unaquæque poteſt eſſe cauſa, ut res exiſtat, aut non exiſtat. Quandoquidem earum exiſtentia nullam habet connexionum cum earundem eſſentia, ſive (ut jam diximus) non eſt æterna veritas. Verum enim vero neque etiam opus eſt, ut earum ſeriem intelligamus.* Ita p. 439. *Cognoſcere, quomodo partes naturæ revera*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

vera cohæreant, & quomodo unaquæque pars cum ſuo toto conveniat, id me ignorare dixi in antecedenti mea Epiſtolâ; quia ad hoc cognoſcendum requireretur, totam naturam omneſque ejus partes cognoſcere. Ipſi interim certum eſt, dari ſeriem aliquam rerum ſingularium mutabilium, item partes naturæ revera inter ſe invicem cohærere & cum ſuo toto convenire. Etſi igitur non intelligamus nos quoque modum, quo Deus fecit omnia ex nihilo, jus tamen hinc nobis non naſcitur illud ipſum negandi. Operatio divina eſt omnipotens, nos autem omnipotentiam Dei, ſive potentiam infinitam non intelligimus propter imbecillitatem noſtri intellectus, qui cum finitus ſit infinitum comprehendere nequit; nec ergo omnipotentem ejus operationem, quæ eo ipſo eſt infinita, comprehendere poſſumus. Dein obſervandum, huc totam iſtam rem redire, ut ab eo qui negat, res omnes creatas factas eſſe ex nihilo, oſtendatur] repugnantia & contradictio in terminis, quod nimirum hæc Propoſitio: *Res omnes creatæ factæ ſunt à Deo ex nihilo*, implicet contradictionem, quo non facto, fruſtra id dicetur rationi repugnare; hæc enim eadem ſunt plane, *rationi repugnare*, &, *involvere contradictionem*. Nulla hâc in re eſt repugnantia, ut Deus faciat aliquid ex nihilo, ſed eſt repugnantia, ut creatura faciat aliquid ex nihilo. Hæc duo confuſa ſunt inter ſe invicem, & ex his factus eſt abſtractus conceptus, *implicare contradictionem aliquid fieri ex nihilo*, quod tamen fieri prohibet Spinoza in Tract. de Emendatione intellectus p. 380. dum inquit: *Talis deceptio ex eo oritur, quod res nimis abſtracte concipiunt: nam per ſe ſatis clarum eſt, me illud, quod in ſuo vero objecto concipio, alteri non poſſe applicare.* Verum objectum hujus rei ſunt creaturæ, & verum eſt, creaturas non poſſe aliquid ex nihilo producere, at male applicatur, Deo, ſi dicatur, Deum non poſſe aliquid ex nihilo producere, ſicque male fit abſtractio, ſi dicatur in genere, *Ex nihilo nihil poſſe fieri.* Sic igitur nulla eſt repugnantia, ut *Deus* faciat aliquid ex nihilo. Quod ut oſtendamus, obſervandum eſt quando dicitur, *aliquid à Deo fieri ex nihilo*, ſive; *Deum facere aliquid ex nihilo*, id non ita intelligi quaſi τὸ nihil ſit illa materia ex qua aliquid fit, quæ materia manet, quando mutatur forma, ſicut, quando ex ligno fit ſcammum, ex argento fit poculum; ſed τὸ nihil ſeſe tantum habere negative, nihilque aliud his verbis ſignificari, quam, quod, cum ab æterno præter Deum nulla res, hoc eſt, nihil eſſet, Dei potentia ſit factum, ut

res

res fieret, & ſic quaſi ex nihilo emergeret & prodiret, & ſimul cum ea tempus quaſi ex æternitate exoriretur. Quid hic eſt repugnantiæ, ut, cum præter Deum ab æterno nulla res fuerit, ſicque Deus omnes res præceſſerit, ſicut & æternitas præceſſit omne tempus, nunc & ſint res aliæ præter Deum & tempus ſive illarum rerum duratio à certo quodam initio ad hoc uſque momentum. Oſtendatur hic contradictio ſi quis id poſſit; quod ſi fieri nequeat, nemo etiam contradictionem dicat ineſſe iſti axiomati: *Ex nihilo aliquid factum eſt omnipotentia divina.* Potentia creaturarum, quantacumque ſit, ſemper habere debet pro objecto materiam aliquam, in quam agat, eaque major dicitur potentia, quæ in majorem partem materiæ agit, ut quæ majorem molem poteſt loco movere, item, quæ velocius & citius poteſt effectum producere. Ita magna vis ſive potentia tribuitur igni, aquæ, tonitrui, vento &c. In rebus intelligentibus dicuntur illæ res habere majorem vim & potentiam, ad quarum nutum ſive voluntatem plura fiunt ſive ſequuntur. Rex ille dicitur potentiſſimus, qui magnas poſſidet opes, qui magno pollet exercitu, vel multis miniſtris & ſubditis ejus juſſa exſequentibus, quæ tamen ejus potentia non eſt niſi improprie talis, non enim proprie & directe vim habet in eorum voluntatem, ſed indirecte tantum, quatenus illi attendentes ad commoda, quæ ad ſe redeunt, ſi exſequantur, quæ juſſerit, & incommoda, ſi non fecerint, ea ſic libere exſequuntur. Sunt igitur connexæ res creatæ cum aliis rebus, atque ita in res habent poteſtatem, adeoque rerum creatarum potentiæ objecta non ſunt alia niſi ea quæ jam ſunt, non illa quæ non ſunt; non eſt connexa rerum creatarum potentia cum non rebus, cum nihilo. Dei potentia omnis exſeritur per ejus voluntatem, ad ejus juſſum omnia parata ſunt, nullam requirit rem nullam materiam, in quam agat, quin imo ſi requireret, omnipotens non eſſet; dum agit, rem format, efficit materiam, in quam poſtea porro agat. Major enim potentia eſt, quæ non prærequirit materiam ad agendum, quam quæ requirit. Hæc enim ſupponitur à materia dependere. Quæ ergo nullo modo à nulla re dependet, ea etiam poteſt ex nihilo producere quæcumque voluerit. Quando enim dicitur aliquid ex nihilo produci, nihil aliud ſignificatur, quam, quod illa potentia, quæ producit, à nulla re dependeat. Hæc meditari ſi quis animo attento voluerit, videbit hæc eſſe æquipollentia, *ex nihilo producere,*

re, &c, *in operando à nulla re pendere.* Quemadmodum autem potentia Dei infinita requirit, ut omnes res ipſe juxta dicta ex nihilo producat, ita rei natura quoque poſtulat, ut ea, quæ producuntur à Deo per iſtam infinitam potentiam producantur in tempore. Si enim res creatæ ſunt factæ, per iſtam productionem ſive operationem divinam conſecutæ ſunt ſuam exiſtentiam : Ergo ante iſtam effectionem eam non habuerunt. Hæc ergo effectio, eo ipſò, quo talis eſt, non poteſt aliter conſiderari, quam facta eſſe in tempore. Quod vi ſuæ naturæ habet exiſtentiam habet eam ab æterno. Hæc eſt unica ratio exiſtentiæ æternæ; ſemper enim concipitur exiſtentia, quando concipitur ejus natura ſive eſſentia. At cujus natura poteſt concipi ſine exiſtentia, ejus eſſentia quidem poteſt concipi cum æternitate conjuncta, quatenus ea eſt in mente Dei æterni, ſed non ejus exiſtentia poteſt cum æternitate juncta concipi : Ergo res illa non poteſt aliter concipi niſi ut exiſtens in tempore, adeoque niſi ut habens aliquod initium; quod enim eſt in tempore illud eo ipſo cenſetur habere aliquod initium. Sic ergo tantum abeſt, ut res dependentes, quales ſunt omnes res præter Deum, poſſint concipi factæ ab æterno, ut nequeant intelligi factæ niſi in tempore. Cum igitur omnes res creatas ex nihilo factas fuiſſe ſit demonſtratum, non cogitandum eſt nobis de neſcio quo fluxu rerum creatarum ex natura Dei, quem vellet Spinoza.

DEFINITIO VII.

Ea res libera dicetur, quæ ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, & à ſe ſola ad agendum determinatur : Neceſſaria autem vel potius coacta, quæ ab alia determinatur ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione.

EXAMEN.

HAbemus hic duas definitiones oppoſitorum Neceſſarii & Liberi, quarum utraque, ut apparet, non eſt ex illis, quæ inſerviunt ad rem explicandam, cujus eſſentia quæritur, adeoque non poſſunt habe-

ri

ri pro fundamentis, quibus ſequens ædificium propoſitionum & demonſtrationum, quibus ipſas res explicare & probare conatur, inniti poſſit, cui tamen fini adducuntur ambæ. Ac quantum attinet ad definitionem *Neceſſarii:* Philoſophi hactenus per neceſſarium non intellexerunt id, quod neceſſitatem exiſtendi habet aliunde pendentem, id enim multum imminuit iſtam neceſſitatem potius quam auget. Et ſi ad neceſſitatem exiſtendi reſpiciatur, majori cum jure id dicetur neceſſarium, quod ipſe liberum vocavit; ſed per neceſſarium intellexerunt id, quod ex intrinſeca ſua natura determinatum eſt ad hoc potius, quam ad aliud quid agendum. Hoc ſenſu ignis intrinſecus per ſuam naturam determinatus eſt ad urendum. Abutitur igitur voce iſta Spinoza præter vulgarem acceptionem & uſum, nulla ad id inſtructus auctoritate. Confundit etiam perperam neceſſarium cum eo, quod dicitur *coactum*, quod ſolet uſurpari de hominibus, qui habent voluntatem, ac quid agunt quod cum ipſorum voluntate pugnat, non per mentem, ſed per corpus, quod vi aliqua externa ratione membrorum ſuorum ad aliquid agendum determinatur.

Altera definitio *liberi* ejuſdem plane eſt commatis, dependens plane ab arbitrio definientis, adeoque inepta, ut tanquam principium conſideretur, cui propoſitiones & demonſtrationes innitantur. Liberum non dicitur quid ratione ſuæ exiſtentiæ, ſed ratione operationis. Liberum eſt, quod non ſentit ſe extrinſecus determinari ad agendum ab ulla vi externa, ſed quod pro lubitu agit vel non agit. Hæc eſt natura liberæ rei cujuſcumque quæ diſtingui ſolet in eam, quæ à nulla alia re dependet, quæque à ſe ſola ad agendum determinatur, & hæc res eſt ſolus Deus; ac in eam, quæ etſi determinatur à Deo, vim tamen in eo nullam ſentit, ſed pro lubitu agit vel non agit id, ad quod potentiam agendi vel non agendi habet.

Sed videamus quid alibi Spinoza de libertate dicat in epiſt. 60. p. 584. ſic legimus : *Ego eam rem liberam eſſe dico, quæ ex ſola naturæ neceſſitate exiſtit & agit. Coactam autem, quæ ab alio determinatur ad exiſtendum & operandum certa ac determinata ratione. Ex gr. lapis à cauſa externa ipſum impellente certam motus quantitatem accipit, qua poſtea, ceſſante externæ cauſæ impulſu, moveri neceſſario perget. Hæc igitur lapidis in motu permanentia coacta eſt, non quia neceſſaria, ſed quia impulſu cauſæ externæ definiri debet. Porro concipe, jam ſi placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare & ſcire, ſe, quantum poteſt conari, ut moveri pergat. Hic*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſane lapis, quandoquidem ſui tantummodo conatus eſt conſcius, & minime indifferens, ſe liberrimum eſſe, & nulla alia cauſa in motu perſeverare credet, quàm quia vult. Et paulo poſt p. 585. *Nam quod* amicus tuus *cum Carteſio ait, illum liberum eſſe, qui à nulla cauſa externa cogitur, ſi per hominem coactum intelligit eum, qui invitus agit, concedo, nos quibuſdam in rebus nullatenus cogi, hocque reſpectu habere liberum arbitrium; ſed ſi per coactum intelligit, qui quamvis non invitus, neceſſario tamen agit (ut ſupra explicui) nego, nos aliqua in re liberos eſſe.* Atque hæc poſtrema talia ſunt, ut facile à nobis queant admitti, uti patet ex ſuperius à nobis dictis. Neque enim vel Carteſius, vel ullus dictorum Carteſianorum, vel Theologus ullus, qui Pelagianiſmo & Semipelagianiſmo renunciavit, alio ſenſu dicit, homines habere liberum arbitrium, niſi hoc reſpectu, quod non agant inviti; & omnes concedunt, homines tamen agere neceſſario, quatenus divinitus illi ad agendum determinantur. Si hoc modo *Rem liberam* hoc in loco definiviſſet, uti factum eſt p. 578. nihil fuiſſet controverſiæ, & libenter iſtiuſmodi definitionem admiſiſſemus. Ab his non abludunt, quoque quæ habentur epiſt. 60. p. 578. *Quod* neceſſarium ac liberum *duo contraria ſunt, non minus abſurdum & rationi repugnans videtur: nam nemo negare poteſt Deum ſe ipſum & cætera omnia libere cognoſcere, & tamen cuncti communi ſuffragio concedunt, Deum ſe ipſum neceſſario cognoſcere. Quare mihi nullam inter coactionem, vel vim, & neceſſitatem differentiam conſtituere videris.* Ex quibus poſſumus colligere, quare hic neceſſarium ac liberum plane aliter definiverit, ac iſtæ voces accipi ſolent. Quod tamen non excuſari poteſt, cum non liceat aliam vocabulis affingere ſignificationem quam vel ex uſu recepto obtinere ſolent, cum penes hunc uſum ſit vis & norma loquendi. Interea verum eſt, neceſſarium ac liberum non eſſe omnino contraria, ea tamen neceſſitas opponitur libertati, quæ neceſſitas dici ſolet Naturalis, per quam res intrinſecus & ſua natura determinata eſt ad unum agendum, ut aliud agere non poſſit, quod antea exemplo ignis declaravimus. Dubitari etiam poteſt, an recte dicatur, *Deum ſe ipſum & cætera omnia libere cognoſcere?* Libertas enim non tam cognitioni, quam voluntati competit, adeo ut id non poſſit niſi hoc dici ſenſu, quatenus voluntas & cognitio divina idem ſunt; quod imprimis verum erit, ſi per cognitionem divinam non intelligatur mera perceptio, ſed judicium divinum, quo Deus de omnibus

bus rebus ſtatuit & judicat, quas res proin ita eſſe oportet, prout judicat, adeo ut hinc neceſſitas oriatur in ipſis rebus potius, quam in Deo qui non determinatur in ſua cognitione à rebus, ſed potius per ſuam voluntatem omnes res determinat. Quod vero adjicit eadem pag. *Si affirmamus, Deum potuiſſe rem non velle, & non potuiſſe non eam intelligere, Deo tribuimus diverſas libertates, alteram neceſſariam, alteram indifferentem, ſicque Dei voluntatem ab eſſentia ſua ſuoque intellectu diverſam concipimus*, hoc veritatem habet ſuam, de qua alias agemus, tum in Tractatu noſtro de Deo, tum in ſequentibus ad Spinozæ Ethicam obſervationibus. Paſſim etiam leguntur multa apud Spinozam hinc & inde diſperſa, quæ illam arbitrii libertatem ſtabiliunt. Ita p. 249. inquit: *Qui itaque ſuos affectus & appetitus ex ſolo libertatis amore moderari ſtudet, is quantum poteſt nitetur virtutes earumque cauſas noſcere &c.* Huc facit tota Pars V. Ethicæ, ubi præſcribit modum, quo poſſimus affectus per rationem moderari. Si enim homo poſſit moderari affectus, ſi poteſt niti ut noſcat virtutes earumque cauſas, oportet ut liberum habeat arbitrium, quod ab illa potentia non differt. Ita quoque in Tract. Theologico Politico inquit p. 272. *Subditi eatenus non ſui, ſed civitatis juris ſunt, quatenus ejus potentiam ſeu minas metuunt.* Et poſtea quærit? *Quibus præmiis aut minis induci poteſt homo, ut credat, totum non eſſe ſua parte majus, aut quod Deus non exiſtat &c.* Similiter in Operibus Poſthumis pag. 281. *Ea omnia, ad quæ agenda nemo præmiis aut minis induci poteſt ad jura civitatis non pertinent.* Si enim locum poſſunt habere præmia apud hominem, ſi minæ poſſunt in homine operari in aliquibus, cenſendum utique eſt, hominem in illis ipſis libero arbitrio non eſſe deſtitutum. Ita p. 351. in fine ſupponit, *cauſam aliquam poſſe evitari prudentia humana*, quæ profecto locum habere non poterit, ſi homo omni libertate arbitrii careat. Nec poteſt intelligi, quomodo poſſimus *cavere ab iis perceptionibus; quas ex auditu aut ab experienta vaga habemus*, (quod ut faciamus p. 380. ſuadet) niſi habemus talem cavendi poteſtatem, quæ ad liberum arbitrium ſeu voluntatem pertinet.

Sunt tamen non pauca apud Spinozam, quæ libertatem iſtam arbitrii ſic admiſſam funditus tollere & evertere videntur. Ita inquit p. 585. *Hæc humana illa libertas eſt, quam omnes habere jactant, & quæ in hoc ſolo conſiſtit, quod homines ſui appetitus ſint conſcii, & cauſarum, à quibus determinantar, ignari. Sic infans ſe lac libere appetere credit*

dit, puer autem iratus vindictam velle, & timidus fugam. Ebrius deinde credit, ſe ex libero mentis decreto ea loqui, quæ poſtea ſobrius tacuiſſe vellet. Sic delirans, garrulus, & hujus farinæ plurimi, ſe ex libero mentis decreto agere, non autem impetu ferri credunt. Et quia hoc præjudicium omnibus hominibus innatum eſt, non ita facile eodem liberantur. Nam quamvis experientia ſatis ſuperque doceat, homines nihil minus poſſe, quam appetitus moderari ſuos, & quod ſæpe, dum contrariis affectibus conflictantur meliora videant, & deteriora ſequantur, ſe tamen liberos eſſe credunt, idque propterea, quod res quaſdam leviter appetant, & quarum appetitus facile poteſt contrahi memoria alterius rei, cujus frequenter recordamur. In Tractatu de Emendatione intellectus p. 384. ſic loquitur . *Veteres nunquam, quod ſciam, conceperunt, uti nos hic, animam ſecundum certas leges agentem, & quaſi aliquod automa ſpirituale.* Et paulo poſt: *Quando quidem novimus . operationes illas, â quibus imaginationes producuntur, fieri ſecundum alias leges, prorſus diverſas â legibus intellectus, & animam circa imaginationem tantum habere rationem patientis.* Verum enim vero ſi hæc conferantur cum iis, quæ antea ex Spinoza citavimus, nihil aliud evincere videntur, quam quod mens noſtra determinetur aliunde per cauſas externas, ut neceſſario hoc potius, quam illud velit, adeoque hac ratione neceſſario agat, ſed cum juxta ipſum hæc neceſſitas cum libero arbitrio queat conſiſtere & in his omnibus ſentiat homo ſe libenter agere, quæ agit, nondum puto, per hæc everti illa ipſa, quæ ſupra vidimus, illum de libero Arbitrio admiſiſſe. Non tamen poſſumus probare illas phraſes duriores, quæ, niſi per illa, quæ in ſuperioribus ex ipſo laudavimus, emolliantur, non poſſunt ulla admitti ratione. Non in eo ſolo conſiſtit *libertas humana, quod homines ſui appetitus ſunt conſcii, & cauſarum, â quibus determinantur ignari*, ſed in eo imprimis, quod in nobis habeamus principium agendi, voluntatem, quodque ſentiamus nos non agere invitos, ſed cum lubentia & animi delectatione, quod & ex verbis Spinozæ p. 585. quæ paulo ante citavimus, poteſt patere. Experientia docet quidem, homines non ita facile moderari ſuos appetitus, id tamen eorum naturæ non repugnare, eadem oſtendit, dum videmus eos, qui id per naturam non poſſunt, diſcere diſciplina; quod ipſe ſupponit fieri poſſe, dum præcepta Ethica præſcribit, imprimis vero id diſcere ſanctos gratia divina inſtructos eorum exempla laudata clamant. Ut anima concipiatur *tanquam au-*

toma

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

toma aliquod, neſcio quod, *ſpirituale* non permittit ejus natura & conſcientia, quæ conſcia ſibi eſt illum actum voluntatis, quacunque etiam ratione in ſe à Deo producatur, nihilominus tamen eſſe ſuum actum, ſingulari quodam modo à ſe ſub regimine divino editum vel elicitum, non vero alterius. Leges intellectus quaſdam eſſe vel potius ipſius mentis, quæ res eſt intellectualis, non equidem dubito; morales illæ ſolent appellari, nihilque aliud continent, quatenus ipſi homini præſcribuntur, quam media, quibus queat homo virtutis habitum ſibi comparare; quæ præter has ſunt aliæ, juxta quas Deus in noſtram agit mentem, illæ nobis ſunt ignotæ; tales tamen eſſe non dubitandum, ut nullam vim inferant noſtræ voluntati, quippe quod illius nulla ratione ſimus conſcii. Pag. 399. epiſt. 2. ad Oldenburgium ita loquitur: *Voluntas differt ab hac & illa volitione eodem modo ac albedo ab hoc & illo albo, ſive humanitas ab hoc & illo homine; adeo ut æque impoſſibile ſit concipere, voluntatem cauſam eſſe hujus & illius volitionis, atque humanitatem eſſe cauſam Petri & Pauli. Cum igitur voluntas non ſit, niſi ens rationis, & nequaquam dicenda cauſa hujus & illius volitionis; & particulares volitiones, quia ut exiſtant, egent cauſa, non poſſint dici liberæ; ſed neceſſario ſint tales, quales à ſuis cauſis determinantur; & denique ſecundum Carteſium, ipſiſſimi errores ſint particulares volitiones, inde neceßario ſequitur errores, id eſt particulares volitiones non eſſe liberas, ſed determinari à cauſis externis, & nullo modo à voluntate, quod demonſtrare promiſi.* Hæc videntur tollere omnem voluntatis libertatem, imo omnem plane voluntatem evertere. Ex his igitur, ut nos expediamus obſervamus, mentem non eſſe hanc vel illam volitionem, ſic enim tot mentes forent, quot ſunt volitiones, vel, quot ſunt cogitationes. Mens hæc mea manet eadem, variata hac vel illa cogitatione, ſicut hæc cera manet hæc cera, etſi variis modis mutetur ejus figura. Mens hæc eſt id, quod habet omnes iſtas particulares volitiones & cogitationes, ſicut hæc extenſio eſt id quod habet has, vel illas particulares extenſionis variationes. Id quod facile poterimus intelligere, ſi attendamus ad modum, quo Carteſius in Medit. II. examinat ceram aliquam ſingularem. Separat ab ea ſaporem, odorem, colorem, figuram, magnitudinem, calorem, duritiem, ſonum &c. quibus ſeparatis manet idem individuum, manet eadem cera ſingularis, non fit quid univerſale: ſimiliter igitur ſeparemus à mente noſtra, (quod quotidie

tidie facimus, dum unus actus una cogitatio alteri continuo ſuccedit) hanc volitionem, hanc perceptionem, hoc judicium, hunc actum affirmandi, hanc cupiditatem, hoc gaudium &c. an id, quod remanet in mente, actus nempe cogitandi, qui uno *modo* ſublato alio *modo* afficitur, non eſt eadem mens ſingularis? ſecus ſi eſſet, nec eadem cera ſingularis remaneret, ſublatis illis modis omnibus & ſubſtitutis aliis, quod utique non niſi abſurdiſſime quis dixerit. Dices forte, ceram eo ipſo, quo cera eſt, habere conſtantem talem diſpoſitionem & ſitum certarum particularum, quæ inter ſe invicem manent certo ordine connexæ, & quoad formas & iſtum nexum invariatæ. Sic manere eandem ceram, etſi figura externa variis modis mutetur, quia hæc non facit ad ceræ eſſentiam, ſecus quam eſt in volitione, quia mens ſine hac volitione plane eſt nihil, nec ullas habet conſtantes volitiones vel cogitationes particulares, quæ ſemper manent, nihil ſic igitur fore, quod poſſit eſſentiam mentis conſtituere, præter has vel illas perceptiones & volitiones, atque ita mentem omnino eſſe quid univerſale, merum ens rationis, quale etiam ſit voluntas. At ſi ita ſe res haberet, quid dicemus de cogitatione infinita, cujus ex ſententia Spinozæ, hæ particulares cogitationes modi quidam debent appellari, quomodo illam cogitationem infinitam tunc concipiemus? an non eadem de hac necti poterit difficultas? an non ſimiliter poterit dici: Cogitatio illa infinita non magis differt ab omnibus illis infinitis cogitationibus, quam humanitas ab omnibus individuis humanis; erit igitur illa ens rationis, neque poterit dici cauſa hujus vel illius particularis volitionis & cogitationis? An non idem quoque poterimus concludere de extenſione infinita, quam Spinoza ſpectat tanquam alterum attributum Dei ex ejus attributis infinitis. Extenſio infinita non differt aliter à particularibus omnibus corporibus, quæ ſunt infinita, quam humanitas ab omnibus humanis individuis. Ergo illa extenſio infinita erit ens rationis, & ſic non erit cauſa hujus vel illius particularis extenſionis, atque ita nulla erit particularis extenſio, & ſimiliter nulla, ob eandem rationem, erit particularis & finita cogitatio? Quod enim nullam habet cauſam, nec tamen eſt à ſe, illud plane non eſt. Hoc ergo argumentum nimis, ut dici ſolet probat, quia dum tollit voluntatem humanam tollit eadem opera omnes res, nihil in mundo relinquit. Ita enim nec Deus erit, nec mundus, quia ſic nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nihil eſt aliud, ex ipſius mente, quam particulares omnes cogitationes & corpora ſimul; vel erit dicendum, non habere quidem Deum pro attributis extenſionem vel cogitationem, quod cum Spinozæ ſententia pugnat, ſed alia attributa infinita, quæ nemo novit. Sic Deus omnibus erit ignotus, imo nullæ res nobis erunt notæ. Sic nos ipſi non erimus, cum finita non exiſtant à ſe ipſis, nec tamen juxta illum aliam ullam habeant cauſam. Sic purus putus introducetur ſcepticiſmus, imo quod illo pejus eſt. Dicendum igitur eſt, in noſtra mente, quæ re non differt à noſtra voluntate, eſſe quid conſtans, quemadmodum in cera, quod tamen ſit quid particulare ſive ſingulare, quod efficit ut una mens ab altera queat diſtingui, quod non poſſimus niſi communi nomine vel mentis vel cogitationis, vel voluntatis vel intellectus vel actus exprimere, hæc enim omnia inter ſe invicem re ipſa non differunt, quamvis illud revera non ſit quid abſtractum, uti eſt humanitas, ſed aliquid particulare & ſingulare, quo una mens ab alia diſtinguetur.

Conſideremus etiam illa, quæ habet in Tract. Politico p. 272, ubi inquit: *Sed experientia ſatis ſuperque docet, quod in noſtra poteſtate non magis ſit, mentem ſanam, quam corpus ſanum habere. Deinde quandoquidem unaquæque res, quantum in ſe eſt, ſuum eſſe conſervare conatur, dubitare nequaquam poſſumus, quin, ſi æque in noſtra poteſtate eſſet, tam ex rationis præſcripto vivere, quam cæca cupiditate duci, omnes ratione ducerentur, & vitam ſapienter inſtituerent, quod minime fit. Nam trahit ſua quemque voluptas.* Hæc iterum evertunt ea, quæ ſuperius vidimus Spinozam de libertate arbitrii conceſſiſſe. Non videtur intellexiſſe, quid ſit mentem in ſua poteſtate habere. Ea dicimur habere in poteſtate, quæ, dum volumus, agimus, eo tempore, quo alia poſſumus velle & agere. Quando volumus amare Deum amamus, neque tamen tunc repugnat menti noſtræ, ut loco iſtius amoris habeamus amorem creaturarum. Sic eo ipſo tempore, quo quis vult ſequi cupiditatem, non repugnat ei, ut poſſit velle ſequi rationem Et quid proderunt præcepta Spinozæ Ethica, quibus hominem vult ducere, ut ſequatur rationem, quem ſtatum hominis vocat *libertatem* & omittat ſequi cupiditates & affectus, qui ſtatus ab ipſo recte dicitur *ſervitus*, ſi non ſit in poteſtate hominis ſequi rationem? ſic enim omnia procul dubio vana & fruſtranea erunt. Ego vero plane puto, iſtud argumentum debere inverti. Si enim aliqui homines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

vivant ex ratione, inter quos ſemetipſum Spinoza retulit, alii vero non vivant ex ratione, ſed ſequantur ductum affectuum, cum par ſit omnium hominum natura, utique ſequitur, eſſe in hominis poteſtate ſequi rationem vel ſequi ductum affectuum. Poſſumus tamen hanc ejus objectionem corroborare iis, quæ legimus in Operibus poſtumis p. 586. ubi ſic inquit : *Nego, me ulla abſoluta cogitandi potentia cogitare poſſe, quod vellem, & quod non vellem ſcribere. Sed ipſius conſcientiam appello, qui ſine dubio expertus eſt, ſe in ſomnis non habere poteſtatem cogitandi, quod vellet & quod non vellet ſcribere, nec cum ſomniat, ſe velle ſcribere, poteſtatem habet non ſomniandi, ſe velle ſcribere.* Verum enim vero hæc omnia eo nituntur fundamento, quaſi cauſa aliqua externa, quæ determinat voluntatem, tollat libertatem, & quaſi omnis neceſſitas etiam externa pugnaret cum voluntate, quod tamen ſuperius vidimus ipſum rejicere Spinozam, ut ita iſta omnia, quæ paſſim adducuntur à Spinoza contra libertatem voluntatis, tantum pugnent cum eorum ſententia, qui naturam voluntatis in indifferentia conſtituunt, quam ſententiam rejicimus cum Theologis Reformatis. Qui ſomniat, ſe *velle ſcribere*, is eo tempore, quo hoc ſomniat, revera vult, ſed qui ſomniat ſe *ſcribere*, non hoc eo ipſo facit, quia poſſumus falli ratione uſus noſtri corporis & membrorum, & imaginari nos ambulare, ſcribere, moveri, quando quieti jacemus in lecto, ſed non poſſumus falli ratione operationum mentis, ut quando ſomniamus, nos hoc cogitare, judicare, velle, illud tunc temporis non cogitemus, judicemus, velimus. Porro verbum *ſomniare* eſt ambiguum & duplicem habet ſignificationem. Somniat aliquis dum putat, ſe facere corpore ſuo, quod revera non facit, qui ſic fallitur, ſed hoc ſenſu nemo poteſt dici ſomniare, ſe cogitare vel operari quicquam mente ſua, quod non cogitat, non operatur, prout antea jam vidimus. Somniare etiam dicitur is, qui dum corpus dormit, aliquid cogitat mente ſua illudque ipſum per ſomnium connectit cum rebus, cum quibus revera non eſt connexum : quo in caſu falſa quidem eſt connexio talium rerum, cum iſto actu mentis, ſed propterea falſum non eſt, nos iſtum actum mentis habere. Non habet homo in ſomnio poteſtatem non ſomniandi quod ſcribat, quando non ſcribit : Sed habet poteſtatem in ſomnio non ſomniandi quod velit, quando non vult. Et quamvis poſſit in ſomnio homo determinari ad hoc vel illud volendum, à cauſis externis, ſi-
cut

cut etiam à cauſis externis determinari poteſt ad volendum quando vigilat, non tamen propterea vis infertur ulla voluntati, quo minus lubens velit. Sed inſtantiæ loco expendamus ea, quæ in Tractat. Politico p. 272. leguntur, ubi inquit: *Nec, Theologi hanc difficultatem tollunt, qui ſcilicet, ſtatuunt, hujus impotentiæ cauſam humanæ naturæ vitium ſeu peccatum eſſe, quod originem à primi parentis lapſu traxerit. Nam ſi etiam in primi hominis poteſtate fuit tam ſtare quam labi & mentis compos erat & natura integra quî fieri potuit, ut ſciens prudenſque lapſus fuerit.* ℞. Theologi potentiam humanæ voluntatis eandem dicunt eſſe poſt lapſum ac fuit ante lapſum, quantum attinet ad ipſam voluntatis naturam, ad quam ſi attendatur, ſemper poteſt dici, hominem habere in ſua poteſtate vel ductum rationis vel ductum affectuum ſequi, quatenus id dicitur eſſe in noſtra poteſtate, quod facimus quando volumus. Si enim homo etiam poſt lapſum velit rationis ductum ſequi, eo ipſo ſequetur, ſi velit ſequi ductum affectuum, etiam hoc ipſum facturum. Docent autem ſimul Theologi, homines à primi parentis lapſu traxiſſe pravum habitum, qui junctus voluntati ſe habeat tanquam aliquod pondus, quod illam trahat deorſum & inclinet ad terrena & ad peccandum; hunc habitum dicunt efficere, ut humana voluntas habeat impotentiam ad bonum, non eam, quæ eſt trunci aut lapidis, ſed eam quæ voluntatem ſupponit, quam ſubjugat. Homo tamen primus non lapſus eſt ſciens prudenſque ſed dum lapſus eſt, ſcientia prudentiaque non fuit uſus. Integra quidem fuit natura & mentis compos, ſed non habebat naturam immutabilem, non erat voluntas confirmata eo habitu ſive ſapientiæ ſive rectitudinis, qui impediret, ne laberetur. Dum lapſus eſt reliquit iſtam integritatem & ſe corrupit. Quid quæſo in eo eſt impoſſibilitatis, ut quis, qui rectus erat, ab illa rectitudine deſciſceret? Quid in hoc, ut ſapiens erraret? non fecit id ſciens prudenſque, ſed dum erravit, ab illa ſcientia & prudentia receſſit. Dicit Spinoza de Emendatione Intellectus p. 380. *Stoicos in eo erraſſe*, quod dicerent, *mentem eſſe ſubtiliſſima corpora*, *& ab hoc errore nos liberari*, *dum conamur ad normam datæ veræ ideæ omnes noſtras perceptiones examinare*; Sic ſimiliter dicemus, primum hominem ſuas perceptiones non examinaſſe ad normam datæ veræ ideæ Dei, cum qua pugnabant illa, quæ dum lapſus eſt, judicavit. Ipſe Spinoza Tractat. Polit. p. 277. §. 20. *Solemus tamen id etiam peccatum*

 tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tum appellare, quod contra ſanæ rationis dictamen ſit, & obſequium, conſtantem voluntatem moderandi appetitus ex rationis præſcripto; ſed addit, *ſe omnino id probaturum, ſi humana libertas in appetitus licentia & ſervitus in rationis imperio conſiſteret. Sed quia libertas humana eo major eſt, quo homo magis ratione duci & appetitus moderari poteſt, non poſſe, niſi admodum improprie, vitam rationalem vocare obſequium, & peccatum id, quod revera mentis impotentia; non autem contra ſeipſam licentia eſt, & per quam homo ſervus potius, quam liber poteſt dici.* Huc vero argumentum Spinozæ debet redire: Quod non fit contra libertatem humanam non debet peccatum appellari.: Atqui quod fit contra ſanæ rationis dictamen non fit contra Libertatem humanam. Hanc aſſumtionem videtur ſuper hoc firmare fundamento, quaſi ex noſtra ſententia, quando liberum arbitrium in potentia agendi quod lubet conſtituimus, ſequatur libertatem conſiſtere in appetituum licentia. At ſic affingit nobis ſententiam, quæ plane non eſt noſtra, & ludit in ambiguitate vocis *Libertas*. Sumitur aliquando Libertas hoc ſenſu, ut deſignet, nos libere agere, quando non agimus coacti, non inviti, qualem libertatem ipſe concedit hominibus, uti ſupra jam vidimus. Hæc libertas eſt eſſentialis voluntati, neque ab ea poteſt ſeparari, eamque noſtri Theologi ſolent conſtituere in eo, quod per eam homo id agat, quod lubet. Sed per hanc phraſin non intelligunt, quod per eam homo agit id, quo nos appetitus ducunt neque illis iſta lubentia eſt idem, quod licentia affectuum, ſed tantum agere non coactum, non invitum id ipſum quod agit, ſive ad agendum incitemur per impetum affectuum, ſive per ductum rationis. Alio ſenſu accepta libertas opponitur ſervituti, quo ſenſu & apud Spinozam eſt uſus iſtius vocis Part. V. Ethices, ubi præcepta præſcribit, quomodo iſtam libertatem conſequamur. Hæc libertas non eſt voluntati eſſentialis, ſed virtus ejus ſingularis conſtituens naturam virtutis moralis, quam non habent homines omnes. In argumento igitur Spinozæ concedimus, non debere peccatum appellari id quod fit contra libertatem humanam priori ſenſu acceptam, ſive id, quod quis coactus ſeu invitus facit, ſed nego, non debere peccatum appellari id, quod fit contra libertatem humanam ſenſu poſteriori acceptam, quin imo hoc ipſum, eſt peccatum ſi quis ſerviat affectibus & non obſequatur rationi; quo modo apparet inſtantiam Spinozæ plane collabi. Ipſemet Spinoza poſtea §. ſequentibus 21

&

& 22. peccatum agnoſcit tum in Imperio, tum etiam in Religione & inquit: *Quatenus non ad naturæ ordinem, quem ignoramus, ſed ad ſola rationis dictamina, quæ Religionem concernunt, attendimus, & ſimul conſideramus, eadem nobis à Deo, quaſi in nobis ipſis loquente, revelari, eatenus more humano loquendo dicimus, hominem Deo obſequi, qui ipſum integro animo amat, & contra peccare qui cæca cupidine ducitur.* Hæc revera ſufficiunt ad conſtituendum peccatum, neque ei obſtat, *quod ſimus in Dei poteſtate, ſicut lutum in poteſtate figuli, & quod contra Dei æternum decretum nihil agere poſſumus*, quod poſtea urget: nam nihilominus agimus contra ordinem à Deo nobis præſcriptum, atque ita peccamus. Actionum noſtrarum norma non eſt æternum Dei decretum, ſed Deus nobis loquens vel per dictamen rationis, vel per verbum aliquod externum, à quo ſi recedimus à norma nobis præſcripta deviamus, & cum id faciamus non inviti, ſed libentes, eo ipſo à peccato non poſſumus excuſari, quicquid etiam ſit de Dei æterno decreto atque ſuprema Dei in omnes poteſtate, quod hic non venit conſiderandum. Conferantur cum his quæ ad Schol. Prop. XV. Lib. I. & ad Schol. Prop. XLIX. Lib. II. annotavimus.

DEFINITIO VIII.

Per æternitatem intelligo ipſam exiſtentiam, quatenus ex ſola rei æternæ definitione neceſſario ſequi concipitur. Explicatio, quam ſubjungit eſt: *Talis enim exiſtentia, ut æterna veritas, ſicut rei eſſentia, concipitur, proptereaque per durationem, aut tempus explicari non poteſt, tametſi duratio principio & fine carere concipiatur.*

EXAMEN.

IN his nihil habemus, quod reprehendere velimus vel jure queamus.

EXAMEN AXIOMATUM.

AXIOMA I.

Omnia, quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt.

EXAMEN.

OPponi in hoc axiomate tanquam à ſe invicem realiter diſtincta, quæ tantum diſtinguuntur diverſo conſiderandi modo, quod ex iis, quæ ad Defin. III. & IV. annotavimus, intelligi poteſt. Attributum enim eſſentiale alicujus ſubſtantiæ, cum ſit idem plane quod ipſa ſubſtantia, & tantum logice vel modo conſiderandi ab ea differat, ſic quidem *eſt in alio* logice à ſe diſtincto, ſed non in alio realiter diſtincto, & per conſequens poteſt etiam dici *in ſe eſſe*. Ita extenſio eſt in corpore, quod ab extenſione eſt tantum logice diſtinctum, quatenus in hac propoſitione. *Corpus eſt extenſum*, corpus eſt ſubjectum, extenſum eſt Prædicatum; quia tamen corpus ab extenſione non differt poteſt etiam extenſio dici eſſe in ſe ſi dicatur, *extenſum eſt diviſibile*. Quod ſi tamen hoc ſenſu iſtud axioma non accepit auctor poſſumus illud admittere dextre intellectum.

AXIOMA II.

Id quod per aliud non poteſt concipi, per ſe concipi debet.

EXAMEN.

EAdem hic oppoſitio occurrit de qua ad præcedens diximus Axioma, unde ea quæ jam à nobis ſunt dicta ei rite poſſunt applicari.

AXIO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

AXIOMA III.

Ex data cauſa determinata neceſſario ſequitur effectus & contra, ſi nulla detur determinata cauſa impoſsible eſt ut effectus ſequatur.

EXAMEN.

HOc axioma admittimus ſi vocabulum *determinata* rite fuerit intellectum.

AXIOMA VI.

Effectus cognitio à cognitione cauſæ dependet & eandem involvit.

EXAMEN.

HOc axioma admittimus, ſi intelligatur de plenaria & perfecta effectus cognitione; falſum eſt cætero quin ſi ſumas de qualicunque cognitione ejus rei, quæ effectus eſt. Sic poſſumus multas proprietates herbarum, ferri magnetis &c. cognoſcere, etſi neſciamus modum adeoque cauſas generationis harum rerum.

AXIOMA V. VI. VII.

Quæ nihil commune cum ſe invicem habent, etiam per ſe invicem intelligi non poſſunt, ſive conceptus unius alterius conceptum non involvit.

Idea vera debet cum ſuo ideato convenire.

Quicquid, ut non exiſtens, poteſt concipi, ejus eſſentia non involvit exiſtentiam.

EXAMEN.

HÆc tria axiomata citra difficultatem admittimus.

His axiomatibus nunc ſuccedunt apud Spinozam propoſitiones, quarum priores decem plane ſunt generales, de ſubſtantia in abſtracto conſiderata agentes, adeoque præpoſtero ordine hic adductæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ctæ. Non eſt ejus, qui naturas rerum particularium vult explicare, incipere à notionalibus & abſtractis quæ non poſſunt intelligi, niſi prius intelligantur realia, quæ in rebus particularibus reperiuntur quod jam prolixius oſtendimus in Examine Definitionis primæ. Ille vero à ſubſtantia in genere conſiderata & affectionibus ejus auſpicatur, idque in eum finem, ut evincat ſolum Deum eſſe ſubſtantiam, creaturas vero eſſe hujus ſubſtantiæ tantum modos, quod qua faciat felicitate videamus.

EXAMEN PROPOSITIONUM.

PROPOSITIO I.

Subſtantia prior eſt natura ſuis affectionibus.

EXAMEN.

PEr affectiones hic Autor videtur intelligere modos, quum ad probationem ejus citet Defin. V. quæ eſt modi. Patet tamen vocabulum *affectionum* longe latius, adeo ut etiam ſub ſe complectatur attributa eſſentialia, ſed eſt tamen adhuc ambigua tota propoſitio. Vel enim ſubſtantia & affectiones ſumuntur in abſtracto & ut notiones ſecundæ, vel conſiderantur in particularibus. Si poſteriori accipiantur modo, ſenſus erit: Quando rei particulares extantes extra intellectum conſideravimus, & invenimus, quæ in iis ſunt realia, prius natura eſt id quod earum naturam conſtituit, poſterius id, quod illam modificat. Si priori modo ſumas, ſenſus fuerit: Ubi particularia notionibus ſecundis inſignivimus, alterum conſiderantes ut ſubſtantiam, alterum ut modum, prius natura eſt ſubſtantia, quam affectiones. Admittimus utroque ſenſu acceptam iſtam propoſitionem, quamvis rejiciamus demonſtrationem Spinozæ, quod nitatur Defin. III. & V. non ſatis veris, uti ante hac vidimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO II.

Duæ ſubſtantiæ diverſa attributa habentes nihil inter ſe commune habent.

EXAMEN.

OBſcura admodum eſt hæc propoſitio initio Philoſophiæ propoſita adeoque difficilis intellectu, cum tamen humana mens cupiat duci per clara & facilia. Vocabulum ſubſtantiæ abſtractum eſt, neque aliud quid ſignificat, quam rem quandam ſingularem quæ ita exiſtit extra intellectum, ut ſit in ſe non in alio, adeoque ab alio tanquam ſubjecto non dependeat. Quando ergo audimus de ſubſtantiâ, non audimus niſi conceptum quendam communem ſive notionem ſecundam ; & quando audimus numerari & dici duas ſubſtantias, nullum poſſumus formare conceptum de numero binario duarum ſubſtantiarum, niſi ſaltem confuſe cogitemus de ſubſtantiis ſingularibus , adeoque ſupponamus, duas eſſe poſſe , ſive, poſſe eſſe duas res particulares ſeu ſingulares, cui utrique conveniat nomen & notio ſubſtantiæ. Quod quidem Auctoris inſtituto plane repugnat, qui vult, non niſi unicam eſſe & ſingularem ſubſtantiam, quæ ſit Deus, reliqua omnia, quæ ſunt præter illam ſubſtantiam eſſe tantum unius iſtius ſubſtantiæ quoſdam modos, prout in ſequentibus videbimus. Interea ſi hæc propoſitio in particularibus ſubſtantiis conſideretur, uti id fieri oportet , certa eſt ejus veritas. Revera enim ſubſtantia extenſa & ſubſtantia cogitans, quia diverſum plane eſt attributum extenſionis & cogitationis, nihil habent in particularibus commune. Unum tantum eſt reale cujuslibet rei attributum, quod naturam ejus conſtituit. Sic ergo duæ ſubſtantiæ diverſa habentes attributa, eo ipſo inter ſe ſunt diverſæ, nec poſſunt ullum reale attributum habere commune : Quælibet enim unum tantum habet attributum reale, quo tota natura abſolvitur ſubſtantiæ iſtius ; hoc autem cum ſit diverſum ab alterius ſubſtantiæ attributo, eo ipſo nullum reale attributum poterit remanere commune. Hoc tamen non obſtante poſſunt his duabus ſubſtantiis multa attributa notionalia eſſe communia, quale vel hoc ipſum eſt , quod utraque dicatur *ſubſtantia* , & quæ ſunt ſimilia.

 Demon-

poſſint dari duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi, cum oſtenſum ſit contrarium, dari in rerum natura plures ſubſtantias, quæ habeant communia ſive eadem attributa ſpecifica & generica, & Propoſitione II. *quod duæ ſubſtantiæ diverſa habentes attributa nihil inter ſe commune habeant*, quam etiam oſtendimus eſſe falſam, ſic igitur iſtis fulcris ſubtractis neceſſario cadit, noſque eam ut falſam rejicimus. Sic etiam falſum eſt Corollarium, *ſubſtantiam ab alio produci non poſſe*, quod injurium plane eſt in creationem, quam in ſuperioribus oſtendimus, non tantum non eſſe abſurdam, quod vult ille homo, ſed etiam plane neceſſariam. Aliam tamen demonſtrationem hujus Corollarii ſubjungit: *Si ſubſtantia ab alio poſſet produci ejus cognitio à cognitione ſuæ cauſæ deberet pendere (per Axioma* I.) *adeoque (per Defin.* 3.) *non eſſet ſubſtantia*. Ex qua cognoſcimus inſidias Spinozæ, quas jam ad Definit. III. eramus ſubodorati, quod nimirum conceptus ſubſtantiæ dependentis egeat conceptu Dei, quatenus is conſideratur ut cauſa, & illa ſubſtantia conſideratur ut dependens, ſed non prout conſideratur ut ſubſtantia. Nego ergo, quod ſi ſubſtantia dependens à cognitione ſuæ cauſæ deberet pendere, quatenus eſt dependens, ideo non poſſit eſſe ſubſtantia, quia ad conceptum ſubſtantiæ, quatenus talis, id non requiritur.

PROPOSITIO VII.

Ad naturam ſubſtantiæ pertinet exiſtere.

EXAMEN.

DEmonſtratio hujus propoſitionis nititur Coroll. Propoſ. præced. quod falſum eſſe diximus.

PROPOSITIO VIII.

Omnis ſubſtantia eſt neceſſario infinita.

EXAMEN.

DEmonſtratio iſtius propoſitionis inter alia nititur Prop. V. quæ falſa eſt & Prop. VII. quæ itidem falſa. Ex his tamen propoſitio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tionibus tantùm concludit : *Erit ergo de ipſius natura vel finita vel infinita exiſtere,* quæ quidem concluſio ut propoſitio quædam poteſt admitti, nec tamen idem ſonat quod propoſitio præſens ab illo demonſtranda : *Omnis ſubſtantia neceſſario eſt infinita.* Jam vero ulterius conatur oſtendere, quod *exiſtere non ſit de natura finita* quod quidem verum eſt, ſed probatio, quam ſubjungit, non incedit rectis talis. Sic inquit : *Nam (per Defin.* II.) *deberet terminari ab alia ejuſdem naturæ, quæ etiam neceſſario deberet exiſtere (per Propoſ.* VII.) Quando enim Defin. II. dicitur res in ſuo genere finita, quivis id intelligit de ſubſtantia in ſuo genere finita, quam dicit, *alia ejuſdem naturæ terminari poſſe,* & exemplum adducit *corporis*, quod *finitum* dicatur, *quia aliud ſemper majus concipimus*, adeoque videtur ſupponere, dari exiſtere ſubſtantiam finitam, corpus finitum, quo aliud majus ſemper concipimus. Et revera non poteſt concipi corpus finitum, niſi illud dicatur ſubſtantia finita extenſa, qua alia major extenſio concipi poteſt. Sed ſic non probatur id, quod probare intendebat, *non eſſe de ſubſtantia finita exiſtere*, quod longe facilius ſic probaſſet, quia ſubſtantia finita non eſt à ſe, ſed aliunde dependet ejus eſſentia & exiſtentia. Sed & alia ratione conatur Scholio I. demonſtrare, quod *omnis ſubſtantia eſt neceſſario infinita*, hoc modo : *Cum finitum eſſe revera ſit ex parte negatio & infinitum abſoluta affirmatio exiſtentiæ alicujus naturæ, ſequitur ex ſola 7. Propoſ. omnem ſubſtantiam debere eſſe infinitam.* Sed hic confunditur ipſa negatio cum re, cui illa adeſt. Id quod finitum eſt habet aliquam realitatem, cui adjuncta eſt negatio, quæ impedit, ne ea ulterius ſe extendat. Quod tamen & ipſemet videtur concedere, quando dicit: *finitum eſſe ex parte negationem*; unde ſane non ſequetur id, quod intendebat. Si enim finitum nihil aliud ſit niſi negatio, ſi nihil reale includat, tunc demum ſequetur omnem ſubſtantiam debere eſſe infinitam; ſed non ſequetur, ſi finitum includat aliquam realitatem.

Accedimus ad Scholium, quo Propoſitionem VII. conatur illuſtrare. *Non dubito*, inquit, *quin omnibus, qui de rebus confuſe judicant, nec res per primas ſuas cauſas noſcere conſueverunt, difficile ſit Propoſ.* VII. *concipere; nimirum quia non diſtinguunt inter modificationes ſubſtantiarum & ipſas ſubſtantias, neque ſciunt, quomodo res producuntur. Unde ſit, ut principium quod res naturales habere vident ſubſtantiis affingant.* At hæc eſt quæſtio, an extenſio finita & cogitatio finita ſint modificationes

tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

hujus & illius ſapphiri diſtinctio numerica, qua unum individuum ab alio diſtinguitur ſumitur à diverſis modis utriuſque, qui tamen omnes ſimul ſumti conſtituunt ſubſtantiam hujus vel illius ſapphiri.

PROPOSITIO V.

In rerum natura non poſſunt dari duæ aut plures ſubſtantiæ ejuſdem naturæ ſive attributi.

EXAMEN.

FAlſa eſt propoſitio ſi intelligatur illa *eadem natura ſive attributum* de identitate ſpecifica, non vero de identitare numerica. Demonſtratio ſimiliter ambigua eſt propter ambiguitatem Prop. IV. qua nititur. Sic enim inquit: *Si darentur plures diſtinctæ, deberent inter ſe diſtingui vel ex diverſitate attributorum vel ex diverſitate affectionum, (per Prop. præced.) Si tantum ex diverſitate attributorum concedetur ergo, non dari, niſi unam ejuſdem attributi*; Ad quæ reſpondeo, duas ſubſtantias poſſe diſtingui ex diverſitate attributorum individualium, quæ poſſunt conſiderari tanquam affectiones ſive modi ſubſtantiæ prout generatim concipitur. Ita mentes diſtinguuntur Petri & Pauli. Ita duo corpora. Sic Carteſius jam diu obſervavit Princip. I. §. 63. *Cogitationem & extenſionem poſſe concipi ut conſtituentes naturas ſubſtantiæ intelligentis & corporeæ, tumque non aliter concipi debere, quam ipſam ſubſtantiam cogitantem & extenſam* & §. 64. *Cogitationem & extenſionem ſumi etiam poſſe pro modis ſubſtantiæ, quatenus ſcilicet una & eadem mens plures diverſas cogitationes habere poteſt; atque unum & idem corpus retinendo ſuam eandem quantitatem pluribus diverſis modis poteſt extendi.* Hoc igitur obſervato, ſequetur: ſi dantur plures diſtinctæ ſubſtantiæ ex diverſitate attributorum individualium, quamvis commune habeant attributum ſpecificum, non dari niſi unam ejuſdem attributi individualis; cui non obſtat, quo minus plures ſubſtantiæ individuæ poſſint dari diſtinctæ attributis individualibus & habentes commune attributum ſpecificum. Pergit ſic in ſua demonſtratione Spinoza: *At ſi ex diverſitate affectionum* diſtinguerentur ſubſtantiæ, *cum ſubſtantia ſit prior natura ſuis affectionibus (per Propoſ. I.) depoſitis ergo affectionibus & in ſe conſiderata, hoc eſt, (per Definit. III. & VI.)*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

vere conſiderata, non poterit concipi ab alia diſtingui, hoc eſt, (per Propoſ. praced.) non poterunt dari plures, ſed tantum una. Q. E. D. Ad quæ obſervo, poſſe iſtas affectiones, prout diſtinguunt ſubſtantias, conſiderari tanquam earum attributa eſſentialia, etſi, prout illæ duæ ſubſtantiæ in genere conveniunt, & ſic una ſpecie vel genere poſſint dici ſubſtantia, queant ſpectari tanquam affectiones iſtius ſubſtantiæ in genere conſideratæ. Ita figura motus, quies; ſitus ſunt affectiones ſubſtantiæ extenſæ, ſed ſunt quoque attributa hujus vel illius ſubſtantiæ, quatenus ejus particulæ certam quandam habent quietem vel motum, certam figuram & ſitum inter ſe invicem, qua ab alia ſubſtantia extenſa differunt. Myſterium etiam videtur latere in his verbis: *Subſtantia in ſe conſiderata, hoc eſt, (per Definit.* III. *&* VI.) *vere conſiderata.* Definitio III. talis eſt: *Per ſubſtantiam intelligo id quod in ſe eſt, & per ſe concipitur: hoc eſt id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, à quo formari debet.* Definitio vero VI. ſic habet: *Per Deum intelligo ens abſolute infinitum, hoc eſt, ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit.* Debet nempe probari, *ſubſtantiam in ſe conſideratam eſſe ſubſtantiam vere conſideratam*, id probat ex iſtis duabus definitionibus; Hoc non video, quomodo procedat, niſi dicatur, priori definitione exprimi id quod *in ſe eſt ſubſtantia* & per alteram *id quod vere eſt ſubſtantia*, & ſic iſtas duas definitiones eſſe ejuſdem rei, ſicque ſubſtantiam & Deum eſſe plane unum idemque. Id quod etiam ſuperius ad iſtam Definit. III. obſervavimus. Sed modus tamen probandi non eſt evidens, non eſt Mathematicus; quod enim ſic probatur per Definitiones à Mathematicis, illud expreſſis verbis in iſtis definitionibus dicitur: at in neutra iſtarum definitionum hoc expreſſis verbis in iſtis definitionibus dicitur, quod *in ſe eſſe ſubſtantiam* idem ſit cum eo, quod *eſſe vere ſubſtantiam*: debet ergo illud non niſi conjectura quadam colligi.

PROPOSITIO VI.

Una ſubſtantia non poteſt produci ab alia ſubſtantia.

EXAMEN.

Demonſtratio iſtius Propoſitionis nititur duabus propoſitionibus falſis, propoſitione præcedente, *quod in rerum natura non*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Demonſtrationem Spinozæ merito rejicimus; nititur enim Defin. III. ſenſu Spinozæ accepta, quam ſupra jure rejecimus.

PROPOSITIO III.

Quæ res nihil commune inter ſe habent, earum una alterius cauſa eſſe non poteſt.

EXAMEN.

HÆc propoſitio ſi ſumatur eo ſenſu, ut per verba *commune inter ſe* intelligatur commune aliquod attributum reale, uti procul dubio eam vult intellectam Spinoza, falſa eſt omnino. Huc enim tendit, uti ex ſequentibus patet, ut evincatur, Deum, niſi eſſet extenſus, non poſſe eſſe cauſam corporum, quod falſiſſimum eſſe ſuperius probavimus, quando demonſtravimus, Deum ex nihilo omnia feciſſe.

Videri poſſet hanc propoſitionem æquivalere iſti axiomati: *Nihil poteſt dare cauſa effectui, quod ipſa non habet.* Sed ſi illud axioma rite intelligatur, facile percipietur, hanc propoſitionem non æquivalere iſti axiomati. Senſus enim eſt: *Nihil poſſe dare cauſam effectus niſi id, quod ipſa cauſa habet vel formaliter vel eminenter.* Quid ſit *habere aliquid formaliter* per ſe patet. At quid ſit *habere eminenter* non ita manifeſtum. Rex habet formaliter nummos, fundum, domum &c. quæ mihi donat non habet formaliter doctoratum, munus Secretarii, munus Profeſſoris, quod in me confert, ſed dicitur habere illa eminenter h. e. habet jus illud mihi dandi. Ita Deus eminenter habet extenſionem, quam tamen ex nihilo producit ut ſuo loco oſtendimus.

Demonſtratio Spinozæ nititur axiomate V. & VII. adeoque probat tantum, quod, *ſi res nihil commune* late acceptum, ſive reale ſive notionale *habeant*, *earum una alterius cauſa eſſe non poſſit*, quo ſenſu illam propoſitionem libenter admittimus, nihil tamen facturam ad Spinozæ ſcopum.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO IV.

Duæ aut plures res diſtinctæ vel inter ſe diſtinguuntur ex diverſitate attributorum ſubſtantiarum, vel ex diverſitate earundem affectionum.

EXAMEN.

HÆc propoſitio ob ſuam generalitatem & abſtractionem ſatis eſt obſcura, quam, ut intelligamus, conferemus cum demonſtratione. *Omnia quæ ſunt, vel in ſe, vel in alio ſunt* (per axiom. I.) *hoc eſt* (per defin.III.& V.) *extra intellectum nihil datur præter ſubſtantias ejuſque affectiones. Nihil ergo extra intellectum datur, per quod plures res inter ſe diſtingui poſſunt præter ſubſtantias, ſive quod idem eſt* (per axiom.4) *earum attributa, earumque affectiones.* Quam demonſtrationem qui confert cum ipſa propoſitione putare poteſt, ſenſum iſtius propoſitionis eſſe, quod duplex poſſit dari inter res diſtinctio, ita nimirum, ut res inter ſe invicem diſtinguantur vel ut diverſæ ſubſtantiæ, vel ut unius ejuſdemque ſubſtantiæ diverſi modi. Atque hoc ſenſu ſi acciperetur iſta propoſitio, poſſemus eam, ut & demonſtrationem illius admittere. Verum ex uſu iſtius propoſitionis, in ſequentibus longe aliud apparet. Statuit Spinoza unam tantum poſſe dari ſubſtantiam propter vocabulum ſubſtantiæ defin: III.nimis reſtrictum, ut ſcil. denotet demum illam rem, quæ à ſe eſt, uti ad illam propoſ. vidimus. Senſus igitur iſtius propoſitionis hic tantum poteſt eſſe: Res diſtinguuntur vel per attributa, ita ut plura poſſint eſſe unius ſubſtantiæ attributa realiter inter ſe invicem diſtincta, quorum neutrum in conceptu alterius continetur, vel per modos, quo ſenſu iſtam Propoſitionem merito rejicimus. Statuimus enim, tot eſſe ſubſtantias, quot ſunt attributa realiter inter ſe invicem diſtincta, ut unius conceptus in alterius conceptu non contineatur. Hoc quoque obſervamus, unam, eandemque rem poſſe dici vel modum alicujus rei vel attributum ſubſtantiam conſtituens pro diverſo reſpectu. Sic adamantis & ſapphiri attributa eſſentialia, per quæ una gemma ab alia diſtinguitur, ſunt tantum certi quidam modi extenſionis ſive rei extenſæ. Ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tantum ſubſtantiæ & non ipſæ quoque ſint ſubſtantiæ? etiam hoc quæritur, nec demonſtratum eſt ab ipſo, poſſe eandem ſubſtantiam habere diverſa infinita attributa, quorum duo tantum novimus extenſionem & cogitationem. Et quomodo res producantur, neſcio an ipſe melius concipiat, quam illi more vulgari concipiunt, & jam ſuperius vidimus ad Defin. VI, aquam hærere Spinozæ, ubi debuit explicare, quomodo res fluant ex Dei natura, quod ipſe per modum productionis intelligit. Sed & poſtea novus dabitur hac de re agendi locus. Etiam res naturales à ſubſtantiis naturalibus diſtinguit, ſic ergo oportet, ut per res naturales tantum intelligat modos, de quo mox. Exempla poſtea adducit quarundam cogitationum confuſarum, quæ admittimus.

Sed de iis, quæ ſubjungit, ulterius diſpiciendum. Ita inquit p. 6. *Si autem homines ad naturam ſubſtantiæ attenderent, minime de veritate* Prop. VII. *dubitarent; imo hæc Prop. omnibus axioma eſſet, & inter notiones communes numeraretur. Nam per ſubſtantiam intelligerent id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, hoc eſt, id, cujus cognitio non indiget cognitione alterius rei. Per modificationes autem id, quod in alio eſt, & quarum conceptus à conceptu rei, in qua ſunt, formatur: quocirca modificationum non exiſtentium veras ideas poſſumus habere; quandoquidem, quamvis non exiſtant actu extra intellectum, earum tamen eſſentia ita in alio comprehenditur ut per ideas concipi poſſint.* Quæ mira revera ſunt, ſi attendamus ad illam diſtinctionem inter genera definitionum, quam jam antea obſervavimus initio *de Methodo demonſtrandi*. Cum enim illæ definitiones ſubſtantiæ & modi, ad quas hic provocat, ſint tantum *tales, quæ ad examinandum proponuntur, neque inſerviant ad rem, de cujus eſſentia quæritur, & de qua ſola dubitatur explicandum*, uti ſuperius audivimus ipſum loquentem p. 461. hic nunc adducuntur tanquam tales, quæ inſerviant ad eſſentiam ipſam rei, de qua quæritur, explicandum. Nondum tamen video, quomodo ex illa definitione ſequatur, *ad ſubſtantiæ naturam pertinere exiſtere*, niſi illud in ſe eſſe & per ſe concipi ita intellexit, ut denotet ita eſſe, ut ſibi ſufficiat ad exiſtendum & ut ſit cauſa ſui, verbo ut in ſe eſſe idem ſit quod à ſe eſſe, quod ad Def. VI. refutavimus; qua ratione aliud quid plane intelligit per ſubſtantiam, quam quod vulgo intelligi ſolet. Sic ergo Deus ſolus exiſtet, quod omnino eſt abſurdum. Et ſi Deus ſolus ſit ſubſtantia, dicendum erit, quod reliqua omnia ſint Dei modifica-

tiones

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tiones, quod ſane neſcio quomodo concipi queat: nam omnia reliqua erunt partes Dei, quomodo ergo modificationes poterunt dici? Non enim intelligi poteſt, quomodo pars ſit modificatio ſubſtantiæ & non potius ipſa ſubſtantia una cum certa modificatione, qua diſtinguitur ab alia parte & ſic ab alia ſubſtantia.

Pergit Spinoza: *Verùm ſubſtantiarum veritas extra intellectum non eſt, niſi in ſe ipſis, quia per ſe concipiuntur. Si quis ergo diceret, ſe claram, & diſtinctam, hoc eſt, veram ideam ſubſtantiæ habere, & nihilominus dubitare, num talis ſubſtantia exiſtat, idem hercle eſſet, ac ſi diceret, ſe veram habere ideam, & nihilominus dubitare, num falſa ſit (ut ſatis attendenti ſit manifeſtum); vel ſi quis ſtatuat, ſubſtantiam creari, ſimul ſtatuit, ideam falſam factam eſſe veram, quo ſane nihil abſurdius concipi poteſt; adeoque fatendum neceſſario eſt, ſubſtantiæ exiſtentiam, ſicut ejus eſſentiam, æternam eſſe veritatem.* Tota hæc collectio nititur ambiguitate illa phraſeos *eſſe in ſe*, & *per ſe concipi*: Recte obſervavit inſignis Philoſophus Joh. de Raei diſputationum de Interpretatione p. 131. *De cogitatis tantum affirmatio eſt in generalibus iſtis, quæ de omni rerum genere intelliguntur fere ſine diſtinctione, ens, unum, verum, bonum, neceſſarium, contingens, ſubſtantia, accidens.* Et paulo poſt. *De quibus idcirco in animo & cogitatione affirmatio poteſt vera eſſe, tum prima ſuppoſiti, eſt ſubſtantia, accidens, totum, pars tum ſecunda appoſiti, ſubſtantia eſt res per ſe ſubſiſtens & ſubſtans accidentibus.* Item: *Hæc omnis affirmatio, quæ etiam exiſtentiæ eſt tam in appoſitis, quam in ſuppoſitis intelligenda ſecundum cogitationem tantum.* Quando ergo ſubſtantia dicitur eſſe *in ſe* & *per ſe*, intelligitur ſic eſſe in cogitatione, in intellectu, hoc eſt, nos per ſubſtantiam tale quid intelligere quod an exiſtat nec ne ex hoc noſtro conceptu non poſſumus determinare, quemadmodum, ſi quis dicat, totum eſt id quod componitur ex omnibus ſuis partibus, non licet inde inferre: Ergo exiſtit totum, quia dum ſic *eſſe* tribuimus toti, id tantum intelligendum eſt de noſtro intellectu, quod ſcilicet ſic totum ſit in noſtro intellectu. Talem veram h. e. claram & diſtinctam ideam habemus de ſubſtantia, non tamen poſſumus propterea dicere, quod ſubſtantia talis exiſtat. Sic habemus ideam claram & diſtinctam de Angelo, quod ſit mens ſeparata à corpore, nec tamen ex illa ipſa idea licet colligere, quod Angelus exiſtat. Hoc igitur tantum ex illa definitione ſubſtantiæ poſſumus colligere, quod ſubſtantia formaliter ſive in ſua ratione formali non indi-

geat alia re ad exiſtendum, ſive, quæ ſe immeet vel ſuum eſſe conſtituat, quamvis fieri poſſit, ut ſubſtantia aliqua re indigeat, quæ illud ſuum eſſe producat & conſervet. Habent omnes ſubſtantiæ ἀυθυπαρξίαν quandam, qua ſit, ut habeant aliquam eſſentiam, qua intrinſecus conſtituuntur, & ab alia quavis re diſtinguuntur, qua de re plenius egimus ad Defin. III. Sed hæc omnia habent tantum in cogitatis. Si vero aliqua ſubſtantia concipiatur in cujus eſſentia exiſtentia contineatur in cogitatis, tunc inde recte colligemus exiſtentiam iſti ſubſtantiæ eſſe neceſſariam; ſed ſi talis non ſit exiſtentiam ejus non poſſumus à priori, ſed tantum à poſteriori cognoſcere.

Non ergo, ſi dicatur quædam ſubſtantia creari, idem erit, ac ſi diceretur, *ideam falſam eſſe veram* Quod enim creatum non eſt, nondum eſt ſubſtantia, ſed dum creatur fit ſubſtantia, & ubi eſt ſubſtantia, non indiget in ſuo formali & intrinſecus alia re ad exiſtendum, quamvis indigeat extrinſecus. Et videtur omnis cardo verſari in definitione illa communi ſubſtantiæ, quæ ab omnibus recipitur, *ſubſtantia eſt id quod per ſe exiſtit.* Sed nemo hactenus eo ſenſu hæc verba accepit, uti Spinoza, (verba tamen valent ut nummi,) ſed omnes hoc voluerunt: Quandocunque res aliqua exiſtit, ſi ita exiſtat ut non ſit in alio eam dici ſubſtantiam. Non ergo ſequitur, concipio rem aliquam ut ſubſtantiam, ergo debet exiſtere. Quid ſi enim quis concipiat centaurum, quid ſi omnipotentem Angelum, an ſequetur inde, talem exiſtere? Si quis concipiat formam ſubſtantialem, an ſequetur eam exiſtere? Nihil ergo ex illa definitione debet inferri, quam hoc, ſi qua res, quam concipis hoc modo, ut non ſit in alio, exiſtat, eam eſſe ſubſtantiam. Hæc eſt natura omnis ſubſtantiæ, ut entitatem ſive realitatem aliquam aut eſſentiam ſibi propriam, qua intriſece conſtituitur, & cujus vi non aliquid entis, ſed per ſemet ipſam vere ens eſt, poſſidet, in eo opponitur modis & accidentibus, quæ concipiuntur ſuam entitatem & realitatem, qua intrinſece conſtituuntur, habere in alio. Verum eſt, dari quandam ſubſtantiam, quæ non tantum realitatem per ſemet ipſam & in ſemet ipſa poſſidet, ſed quæ etiam ſit ex ſemet ipſa & vi ſuæ naturæ exiſtat, ut ita nec ratione originis nec in quantum in eſſe perſeverat, aliunde dependeat, quæ ſubſtantia unica tantum eſt & ſibi ipſi & omnibus aliis rebus extra ſe pleniſſime ad exiſtendum ſufficit. Præter hanc autem ſubſtantiam etiam ſunt aliæ quædam, quæ non

vi

vi ſuæ naturæ nec ex intrinſeca naturæ propriæ neceſſitate ac ſufficientia exiſtunt, ſed ſola poteſtate ejus, à quo ſunt & conſervantur, ſive, ut porro ſint, efficiuntur. Ac illæ quidem non ſunt ex hoc ipſo quia exiſtit ſubſtantia, à qua produci poſſunt, ſed propterea ut poſſibiles tantum debent conſiderari, verum tunc demum exiſtere debent concipi, quando concipitur ſubſtantia illa velle ut tunc exiſtant. Quando tamen illa ſubſtantia vult ut exiſtant, per ipſam illam voluntatem conſequuntur propriam ſibi realitatem, quamvis limitatam, qua intrinſece conſtituuntur, & ab alia quavis ſubſtantia limitata, quin imo etiam ab hac ipſa, à qua iſtam realitem accipiunt continuo, realiter differunt & diſtingui debent. Nec confundi debent cum modis, qui nullam propriam realitatem poſſident, ſed quorum eſſe & realitas plane in alia re ſive ſubſtantia concipitur. Et ſane cum illæ ſubſtantiæ dependentes admittant varios modos, utique ab illis ipſis modis neceſſario debent diſtingui. Sed vir ille pro lubitu ſibi finxit definitiones, & ſubſtantiæ nomen ſoli infinitæ & independenti ſubſtantiæ addixit, ex iſtis tamen ipſis definitionibus poſtea voluit demonſtrationes formare, quibus rerum eſſentiæ explicentur, in quo contra propriam ſuam regulam, quam ab initio *de methodo demonſtrandi* vidimus, agit. Et ſane negare non poterit, multum differre. Conceptum mentis humanæ à conceptu modi imaginandi, ſentiendi, pure intelligendi volendi, qui ſunt mentis humanæ modi item conceptum corporis à triangulo, quadrato, circulo, qui ſunt corporis modi. Hæc ergo, mentes, corpora intermedium aliquod erunt inter Deum & modos cogitationum ut & corporis; nos illud intermedium dicimus ſubſtantias, ille modos: de Re ergo conveniet, appellationem vero noſtram eſſe meliorem & commodiorem ex dictis poteſt patere.

Sed nunc alio modo conatur oſtendere, *non dari, niſi unicam ejuſdem naturæ ſubſtantiam*. Hoc ut ordine faciat quatuor præmittit notas tanquam fundamenta ſuæ novæ demonſtrationis. Nota I. eſt: *Veram unius cujuſque rei definitionem nihil involvere, neque exprimere præter rei naturam. Ex quo ſequitur hoc* II. *nempe nullam definitionem certum aliquem numerum individuorum involvere, neque exprimere, quandoquidem nihil aliud exprimit quam naturam rei definitæ. Ex. gr. definitio trianguli nihil aliud exprimit quam ſimplicem naturam trianguli; at non certum aliquem triangulorum numerum.* III. *notandum, dari neceſſario u-*

nius cujuſque rei exiſtentis certam aliquam cauſam, propter quam exiſtit. IV. *Denique notandum, hanc cauſam, propter quam res aliqua exiſtit vel debere contineri in ipſa natura & definitione rei exiſtentis* (nimirum quod ad ipſius naturam pertinet exiſtere) *vel debere extra ipſam dari.* Harum notarum I. admitto. Ad II. obſervo, dari definitionem ſubſtantiæ ad cujus naturam pertinet, ut ſit unica, adeoque non quidem certum numerum individuorum involvat, ſed unicum individuum inducat, qualis eſt definitio entis ſumme perfecti. Sed datur etiam ſubſtantiæ definitio, ad cujus naturam non pertinet, ut ſit unica, ſed quæ poſſit multis individuis eſſe communis, quamvis non involvat in ſe certum aliquem iſtorum individuorum numerum. Reliquas duas notas poſſum itidem concedere. Neque enim quicquam ex illis notis poteſt concludi, niſi adjungatur illud, quod adjicit p. 7. & quo unico ejus demonſtratio nititur. *Jam quoniam ad naturam ſubſtantiæ* (per jam oſtenſa in hoc ſcholio) *pertinet exiſtere, debet ejus definitio neceſſariam exiſtentiam involvere, & conſequenter ex ſola ejus definitione debet ipſius exiſtentia concludi.* At hoc ipſum nos jam oſtendimus falſiſſimum eſſe, quod ad naturam ſubſtantiæ pertineat exiſtere.

PROPOSITIO IX.

Quo plus realitatis aut eſſe unaquæque res habet, eo plura attributa ipſi competunt. Demonſtratio. Patet ex definit. I V.

EXAMEN.

FAlſa procul dubio eſt hæc Propoſitio ſenſu Auctoris intellecta; Nam in Definit. I V. per attributum intelligit id, quod intellectus de ſubſtantia percipit tanquam ejus eſſentiam conſtituens; ſenſus ergo erit: Quo plus realitatis unaquæque res habet, eo plures habet eſſentias, quod eſt falſum niſi per realitatem intelligat eſſentiam, ut dicat: *Quo plus eſſentiæ unaquæque res habet, eo plures eſſentiæ ipſi competunt*, qua ratione nugatoria erit non tantum, ſed & contradictoria. Unaquæque res enim unicam tantum habet eſſentiam, ſi enim plures eſſentias aſſignes, dices plures res, ſicque una res non dicetur niſi per compoſitionem. Sed nos ad Definit. VI. jam iſtam

Pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Propoſitionem, quam ibi à Spinoza vidimus adductam ad hanc definitionem probandam, examinavimus, quo lectorem ablegamus.

PROPOSITIO X.

Unumquodque unius ſubſtantiæ attributum per ſe concipi debet.

EXAMEN.

HÆc propoſitio ſi ſit vera, dicendum, unumquodque ſubſtantię attributum eſſe ſubſtantiam, adeoque unamquamque ſubſtantiam eſſe ſubſtantias. Sic enim nobis definivit ſubſtantiam: ſubſtantia eſt id quod in ſe eſt & per ſe concipitur. Et huc quoque nos ducit ipſius demonſtratio quæ Def. III. & IV. nititur, ad quas obſervationes noſtras repeti hic velim. Sic vero attributum idem erit quod ſubſtantia, & ſubſtantia idem quod attributum, cum tamen diverſas horum adduxerit definitiones. Sic igitur quando Deus ipſi eſt ſubſtantia conſtans infinitis attributis, erit Deus ſubſtantia conſtans infinitis ſubſtantiis. Sic falſa erit, unicam tantum eſſe ſubſtantiam, ſi infinitæ ſint ſubſtantiæ.

Sed videamus, num ſcholium huic propoſitioni adjectum nos ex illis difficultatibus expediat. *Ex his apparet*, inquit, *quod, quamvis duo attributa realiter diſtincta concipiantur, hoc eſt, unum ſine ope alterius, non poſſumus tamen inde concludere, ipſa duo entia, ſive duas diverſas ſubſtantias conſtituere; id enim eſt de natura ſubſtantiæ, ut unumquodque ejus attributorum per ſe concipiatur; quandoquidem omnia, quæ habet, attributa ſimul in ipſa ſemper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit, ſed unumquodque realitatem ſive eſſe ſubſtantiæ exprimit.* Nos antea oſtendimus, *ex his apparere* plane contrarium eorum, quæ hic dicuntur. Opponit ſe hic regulæ Carteſii certiſſimæ & infallibili: *Quæ ita à nobis concipi poſſunt, ut unum non includitur in conceptu alterius, ea conſtituunt ſubſtantias realiter diſtinctas.* Sed ratio, qua illud oppugnat non poteſt illud evertere. Si unumquodque attributum per ſe concipiatur: Ergo unumquodque erit ſubſtantia, adeoque vel eo ipſo plures erunt ſubſtantiæ. Supponit, quod ſit una ſubſtantia, in qua ſunt attributa infinita, quæ per ſe concipiuntur, adeoque eo ipſo

ſunt plures ſubſtantiæ, quod plane eſt contradictorium. Fateor, ſi hoc concedatur, inde ſequi, quod unum ab alio non potuerit produci, ſi ſimul fuerunt in eadem ſubſtantia, ſed quod extenſio non poſſit produci à cogitatione infinita nunquam probabit. Sed quicquid ſit de reliquis, putem, non negaturum fuiſſe, duo attributa, quæ ut realiter diſtincta concipiuntur, cujuſmodi ſunt extenſio & cogitatio, plus inter ſe invicem differre, quam modi extenſionis & modi cogitationis inter ſe invicem diſtinguuntur: Cum ergo hic differant modaliter, quæſtio tantum reſtabit, quo nomine illa diſtinctio ſit appellanda, quæ conſtituitur per attributa realiter diſtincta; quam qui non vult appellare realem, quocunque nomine vocet eam, agnoſcere debebit tantam tamen diſtinctionem, quantam nos hic ſtatuimus.

Sic porro concludit: *Longe ergo abeſt, ut abſurdum ſit, uni ſubſtantiæ plura attributa tribuere; quin nihil in natura clarius, quam quod unumquodque ens ſub aliquo attributo debeat concipi &, quo plus realitatis aut eſſe habeat eo plura attributa, quæ & neceſſitatem, ſive æternitatem & infinitatem exprimunt, habeat; & conſequenter nihil etiam clarius, quam quod ens abſolute infinitum neceſſario ſit definiendum (ut Defin.* VI. *tradidimus) ens, quod conſtat infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam certam eſſentiam exprimit.* Sed ſi unumquodque ens ſub aliquo attributo debet concipi, nihil clarius erit, quam tot eſſe entia, quot ſunt attributa, ſub quibus aliquod ens concipitur, adeoque tot eſſe ſubſtantias, ens enim & ſubſtantia diſtingui non debent. Sic redibimus ad quæſtiones Metaphyſicas ſive tranſcendentales, de quibus olim ſcholaſtici tam multa diſputarunt, in his enim verſatur magna pars harum demonſtrationum Spinoziſticarum, Quid vero de illo ſit, *quod quo plus realitatis aut eſſe habeat ens eo plura habeat attributa, quæ & neceſſitatem ſive æternitatem & infinitatem exprimunt*, in antecedentibus eſt dictum. Quando illa attributa dicit neceſſitatem ſive æternitatem & infinitatem exprimere, hoc procul dubio vult, quod antea dixit: *attributa ſimul in ſubſtantia ſemper fuerunt nec unum ab alio potuit produci;* de quo etiam egimus.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XI.

Deus ſive ſubſtantia conſtans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit, neceſſario exiſtit.

EXAMEN.

SI hæc Propoſitio ita fuiſſet prolata, *quod Deus habens æternam & infinitam eſſentiam neceßario exiſtat*, nihil verius illa Propoſitione foret; ſed is Deum concipit, qui habet cogitationem & extenſionem, & præter hæc alia attributa infinita realiter diſtincta, eumque neceſſario exiſtere dicit: At talis Deus tantum abeſt ut exiſtat, ut implicet contradictionem, quod ex antecedentibus puto ſatis conſtare. Demonſtratio Spinozæ nititur Propoſ. VII. quam falſam eſſe ſupra oſtendimus.

Aliam demonſtrationem ſubjungit p. 8. & 9. quæ itidem ex parte nititur Propoſ. VII. quæ falſi eſt convicta. Sed præterea dicit ibidem: *Si nulla ratio nec cauſa dari poſſit, quæ impedit, quo minus Deus exiſtat, vel quæ eius eſſentiam tollat, omnino concludendum eſt, eundem neceſſario exiſtere. At ſi talis ratio ſeu cauſa daretur, ea vel in ipſa Dei natura vel extra ipſam dari deberet.* Hinc ſubſumit, non dari extra Dei naturam, quod concedo, quamvis non propter Propoſ. II. per quam ille hoc demonſtrat, quam exiſtimo eſſe falſam. Ergo concludit, *debere dari in Dei natura quod impediat quominus Deus exiſtat, quæ propterea contradictionem involveret. Atque hoc*, inquit, *de ente abſolute infinito & ſumme perfecto affirmare abſurdum eſt*. Sed perperam progreditur & concludit non de ſubjecto, de quo Propoſitio loquebatur, quod erat *ſubſtantia conſtans infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eßentiam exprimit*, quod Deum perperam appellat. Ego vero facilis concedo, non implicare contradictionem, ut ens abſolute infinitum & ſumme perfectum exiſtat; quin imo è contrario aſſero, implicare contradictionem, ſi aſſeratur, quod ens abſolute infinitum & perfectum non exiſtat. Sed ad id probandum non tantis ambagibus erat opus, multo minus aſſumtis falſis Propoſitionibus, vel Definitionibus contradictoriis, qualem exiſtimo eſſe illam Auctoris definitionem Dei; verum id facile eo conficitur, quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quod ens abſolute infinitum & ſumme perfectum eo ipſo, quo ut tale concipitur, exiſtentiam neceſſario includat. At aſſero, implicare contradictionem, ut ſubſtantia, quæ habeat cogitationem infinitam & extenſionem infinitam & præterea infinita attributa diſtincta plane ab extenſione & cogitatione exiſtat. Nego, eandem ſubſtantiam poſſe habere cogitationem & extenſionem quia hæc duo ſe mutuò evertunt: quod eſt extenſum negat cogitationem, & quod eſt cogitans negat extenſionem. Talis conceptus plane eſt chimæricus & dependet tantum à fictione mentis, eaque plane contradictoria. Si ſit cogitans illa ſubſtantia habet id, quod nullam extenſionem infert, habet id quod extenſionem negat, unde etiam immaterialis ſolet appellari, ſin illa ſubſtantia ſit extenſa habet id, quod nullam cogitationem infert, habet id quod cogitationem negat. Subſtantia, quæ habet extenſionen infinitam & cogitationem infinitam, & præterea infinita alia attributa, quorum unumquodlibet habeat diſtinctam eſſentiam, prout vult Auctor, habet plures eſſentias, imò habebit infinitas eſſentıas, & per conſequens non erit una ſubſtantia, ſed plures, ſed infinitæ. Subſtantia una ſic erit ſubſtantia multiplex, & ſic non erit una; ſubſtantia una ſic erit ſubſtantia infinite multiplex adeoque iterum non erit una. Contradictionem ergo involvit ut exiſtat ſubſtantia, quæ non ſit ſubſtantia, quæ ſit ſubſtantiæ. Et mirus ille conceptus ſubſtantiæ, quæ habeat infinita attributa, quorum unumquodlibet habeat infinitam eamque ab aliis diſtinctam eſſentiam, totus nititur eo, quod quo quid eſt perfectius eo plus habeat realitatis, quod totum eſt ambiguum, & eo ſenſu, quo ab Auctore dicitur, falſum eſſe ſuperius oſtendimus ad Propoſ. IX.

Aliam adhuc habet Demonſtrationem p. 9. ſed qua non probat, talem Deum qui habet infinita attributa realiter à ſe diſtincta exiſtere, ſed ens abſolute infinitum exiſtere, quod libentiſſime concedo. Quod vero Propoſ. VII. adducit tanquam fulcrum quoddam in illa demonſtratione neceſſarium, id nos non admittimus, prout ad illam Propoſ. VII. ſupra obſervavimus.

Ad ſcholium iſti propoſitioni adjectum examinandum nunc nos accingimus. In eo primum oſtendit, quomodo à priori Dei exiſtentia queat demonſtrari, quæ ſano ſenſu & juxta ea, quæ jam in ſuperioribus ſunt obſervata, poſſumus admittere. Notat porro, *ſe hic non loqui de rebus*,

bus, quæ à cauſis externis fiunt, ſed de ſolis ſubſtantiis, quæ (per Propoſ. VI.) *à nulla cauſa externa produci poſſunt.* Hanc Propoſ. VI. falſitatis convici, atque oſtendi, ſolum Deum à cauſa externa produci non poſſe; reliquæ ſubſtantiæ non tantum ab externa cauſa poſſunt produci, ſed etiam revera ſunt productæ. Ad reliqua quæ ſequuntur facile ex dictis reſponſum peti poteſt.

PROPOSITIO XII.

Nullum ſubſtantiæ attributum poteſt vere concipi, ex quo ſequatur ſubſtantiam poſſe dividi.

EXAMEN.

Subſtantiæ attributa hic homo duo intelligit, Cogitationem & Extenſionem. Fateor equidem cogitationem dividi non poſſe in duas, tres aut plures partes, cum cogitatio cum diviſione nihil habeat commune: at nego de extenſione. Videamus igitur, quomodo hanc ſuam Propoſitionem demonſtrat. *Partes enim*, inquit, *in quas ſubſtantia ſic concepta, divideretur, vel naturam ſubſtantiæ retinebunt, vel non; ſi primum, tum* (per Propoſ. VIII.) *unaquaque pars debebit eſſe infinita, &* (per Propoſ. VI.) *cauſa ſui, &* (per Propoſ. V.) *conſtare debebit ex diverſo attributo, adeoque ex una ſubſtantia plures conſtitui poterunt, quod* (per Prop. VI.) *eſt abſurdum.* At hæc omnia falſa ſunt fundamenta, & ſuperius illa omnia Prop. VIII. VI. & V, falſitatis fuerunt convicta. Pergit Spinoza in ſua prætenſa demonſtratione. *Adde, quod partes* (per Prop. II.) *nihil commune cum ſuo toto haberent, & totum* (per Defin. IV. & Propoſ. X.) *abſque ſuis partibus & eſſe & concipi poſſet, quod abſurdum eſſe nemo dubitare poterit.* Hic iterum adducuntur falſa fundamenta, Propoſit. nempe II. & X, unde quæ his ſuperſtruuntur veritatem nequeunt obtinere. Tandem ſic abſolvit ſuam demonſtrationem. *Si autem ſecundum ponatur, quod ſcilicet partes naturam ſubſtantiæ non retinebunt; ergo, cum tota ſubſtantia in æquales partes eſſet diviſa, naturam ſubſtantiæ amitteret, & eſſe deſineret, quod* (per Prop. VII.) *eſt abſurdum.* Atque hic quidem nos id ipſum admittimus, *quod partes ſubſtantiæ naturam ſubſtantiæ retineant*, non tamen ob ipſius demonſtrationem, cum Prop. VII. pro falſa habea-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mus merito. Conferamus quoque ſi quæ alibi reperiamus ab Auctore dicta ad hanc Propoſitionem ſtabiliendam. In Epiſt. XLI. p. 522. probat, *quod ens illud quod neceſſariam includit exiſtentiam*, (quale nobis eſt Deus verus, qui cogitatio eſt infinita, vel, ſi malis ſcientia infinita, aut omniſcientia, ipſi autem Deus fictitius, qui habet infinitam cogitationem, infinitam extenſionem, & præterea, alia attributa infinita realia) *ſit indiviſibile*, quod utique intelligendum eſt ratione omnium ſuorum attributorum, & per conſequens etiam ratione extenſionis infinitæ. Hoc eſt, probat extenſionem infinitam eſſe indiviſibilem. *Si enim* illud extenſum infinitum *eſſet diviſibile, in partes vel ejuſdem vel diverſæ naturæ dividi poſſet; ſi hoc, deſtrui & ita non exiſtere poſſet, quod definitioni adverſum eſt. Et ſi illud, pars quælibet neceſſariam per ſe exiſtentiam includeret, & hoc pacto unum ſine alio exiſtere, & per conſequens concipi; & propterea illa Natura ut finita comprehendi poßet, quod, per antecedens, definitioni adverſatur.* Ad quod argumentum reſpondeo; Si illud extenſum infinitum divideretur in partes ejuſdem naturæ, hoc eſt, quæ etiam eſſent extenſæ, quamvis earum partium aliæ finitæ eſſent, quæque ſublatæ reliquum extenſum infinitum relinquerent, nulla pars neceſſariam exiſtentiam involveret: mera enim eſt ſuppoſitio nullo nixa fundamento, quod extenſum ſi infinitum eſſet, (modo ei non tribuatur infinita perfectio, quæ ne quidem in extenſum poteſt cadere) neceſſariam exiſtentiam includat. Nos vero è contrario exiſtimamus, extenſum non poſſe concipi, niſi in iſto conceptu includatur diviſibilitas. Quomodo enim extenſum quis concipiet in longum latum & profundum, quin poſſit ſua cogitatione aliquid de longitudine, latitudine & profunditate demere, ſicque illud dividere? An vero negabimus, illud extenſum, quod oculis uſurpamus, eſſe diviſum in partes? vel an dicemus, partes illas non eſſe ſubſtantias, ſed modos? Sed quare hoc diceremus? An quia dicuntur partes eſſe in toto? Sed ſic totum etiam poteſt dici eſſe in partibus; & hi ſunt loquendi modi tantum, neque eo ſenſu pars eſt in toto, quo ſenſu modus dicitur eſſe in ſubſtantia? Quomodo vero non dividetur hoc extenſum, cum ſuperius viderimus, illum ipſum Deo etiam ſuas partes attribuiſſe. At Spinoza p. 465. putat, ſe inveniſſe cauſam, quare nequeamus concipere, quod extenſio infinita non ſit diviſibilis, ſcilicet, quod *non diſtinguamus inter id quod ſolummodo intelligere, non vero imagi-*

imaginari, & inter id, quod etiam imaginari poſſumus. Addit : *Clare enim tum intellexiſſent, quale infinitum in nullas partes dividi, ſeu nullas partes habere poteſt, quale vero contra, idque ſine contradictione.* Hoc vero ulterius declarat p. 471. *Quantitas duobus modis à nobis concipitur, abſtracte ſcilicet ſive ſuperficialiter, prout ope ſenſuum eam in imaginatione habemus, vel ut ſubſtantia, quod non niſi à ſolo intellectu fit: priori modo eſt diviſibilis, finita, ex partibus compoſita & multiplex; poſteriori modo infinita, diviſibilis & unica reperietur.* Ita quoque in Tract. de Intellectus Emendatione p. 385. inquit : *Qui non accurate diſtinxerunt inter imaginationem & intellectionem, facile in magnos errores poſſunt delabi, inter quos poſtea refert, quod extenſionis partes ab invicem diſtinguantur realiter.* Ego vero plane nego nos illam diſtinctionem *inter id, quod ſolummodo intelligere, & inter id, quod etiam imaginari poſſumus*, ignorare, vel non adhibere ſuo loco; quin imo illam melius applicare dicimus, quam Spinozam, quando negat, noſtram mentem aliam habere ideam, quam corporis noſtri actu exiſtentis. Quale vero erit illud infinitum, quod non poteſt habere ullas partes? reſpondebis procul dubio, eſſe id, *quod ſolummodo intelligere poſſumus.* Ergo infinitum, *quod poteſt habere partes*, dicendum erit infinitum imaginabile. An vero non ſentis, tale infinitum manifeſtam implicare contradictionem? Quod enim imaginor, illi eo ipſo certos fines & limites aſſigno, & per conſequens id non eſt infinitum. Ita vero tua illa diſtinctio ſponte ſua cadit & collabitur. Quid vero, an in extenſione, quatenus extenſio eſt, non concipio longum, latum & profundum? Si non concipio, quis erit ille conceptus extenſionis ſine longitudine latitudine & profunditate? an erit clarus & diſtinctus? an non mutilata hæc erit idea, ut loqui ſolet Spinoza, & propterea non adæquata? an non hic conceptus extenſi ſine longitudine, latitudine & profunditate plane erit confuſus ut huc redeat, te quidem aliquid concipere, ſed quid id ſit, quod concipis, te plane non intelligere? Quid porro, an extenſio omnis, finita ſi ſit, erit dicenda imaginabilis? An ergo poſſumus Chiliogonum imaginari? Tentet qui velit, & experietur, ſe non tam Chiliogonum, quam confuſum aliquod, quod nomine Chiliogoni inſignit, imaginari, neque aliam formaturum imaginationem quando figuram centum vel ducentorum angulorum imaginatur, hoc eſt, confuſam quandam imaginem figuræ multilateræ formare, cui quodvis nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

imponere poteſt. An ergo non poſſumus Chiliogonum, quod tantum poſſumus intelligere, dividere? Ergo poſſumus utique dividere id, quod ſolummodo poſſumus intelligere, non imaginari, quod tamen Spinoza pro ſundamento ſuæ prætenſæ demonſtrationis habet. Quod ſi vero illud extenſum, quod oculis uſurpamus, ſit diviſum in partes, quod non putem negaturum fuiſſe Spinozam, abſciſſa utique eſt ab illo extenſo infinito aliqua magna portio, reliqua, ſi ita velis, indiviſa manente, qua de re nihil certi determinari poteſt: Si ergo abſciſſa eſt, potuit utique abſcindi, & ſic in illo extenſo infinito potuit locum habere diviſio. Hoc ſuppoſito, quod ab iſto extenſo infinito ſic ſit abſciſſa per diviſionem magna talis extenſionis portio, an impoſſibile eſt, an implicat contradictionem, ut potuerit major abſcindi? Id utique nemo dixerit. Potuit igitur illa reliqua extenſio infinita ſic dividi, quatenus adhuc ab ea pars aliqua potuit abſcindi, & ſic in infinitum poſſumus progredi. Nihil eſt ergo in illa extenſione infinita, cui repugnet diviſio, unde iſta extenſio infinita ſemper debet ut diviſibilis cogitari.

PROPOSITIO XIII.

Subſtantia abſolute infinita eſt indiviſibilis.

EXAMEN.

HÆc Propoſitio ſi intelligatur de ſubſtantia ea, quæ perfectionem habet infinitam, vera eſt, ſed non, ſi de ſubſtantia extenſa ſumatur. Attamen hic ſumitur in communi, ut ſub ſe comprehendat etiam ſubſtantiam corpoream, uti ex Corollario patet. Nititur illa Propoſ. V. falſa, & Propoſ. II. quæ ſaltem ſenſu Spinoziſtico falſa eſt. Cadit ſic quoque Corollarium, *nullam ſubſtantiam, & conſequenter nullam ſubſtantiam corpoream, quatenus ſubſtantia eſt, eſſe diviſibilem.*

Alio modo Propoſitionem iſtam conatur demonſtrare in Scholio: *Quod ſubſtantia ſit indiviſibilis, ſimplicius ex hoc ſolo intelligitur, quod natura ſubſtantiæ non poteſt concipi, niſi infinita,* (quod ego plane nego, & patet ratio negationis ex iis quæ dicta ſunt ad Propoſ. VIII. in qua hoc ſtatuerat) *& quod per partem ſubſtantiæ nihil aliud intelligi poteſt, quam*

ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſubſtantia finita, *quod* (per Prop. VIII.) *manifeſtam contradictionem implicat*, quod nos falſitatis plane convicimus.

PROPOSITIO XIV.

Præter Deum nulla dari, neque concipi poteſt ſubſtantia.

EXAMEN.

DEmonſtratio nititur partim Definit. VI: quam rejecimus partim Propoſ. II. quæ ſenſu Spinozæ eſt falſa. Quæ addit non majoris ſunt momenti. *Si aliqua ſubſtantia præter Deum daretur, ea explicari deberet per aliquod attributum Dei, ſicque duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi exiſterent quod* (per Propoſ. V.) *eſt abſurdum.* Atque hæc conſecutio eo nititur, quod nimirum omnia attributa habeat Deus, cum ſint quædam attributa, quæ formaliter in Deum non poſſunt cadere, ut extenſio, dubitatio & ſimilia, quæ manifeſtam imperfectionem involvunt. Quomodo Deus poſſit dici habere infinita attributa, quomodo non, in ſuperioribus jam fuit dictum. Non ergo ſequitur, quod, ſi ſubſtantia præter Deum daretur, eſſent futuræ duæ ſubſtantiæ ejuſdem attributi, quia Dei attributa, quæcunque ſunt, ſunt infinita, at creaturæ attributa ſunt finita. Neque abſurdum eſt, duas ſubſtantias habere quædam attributa communia, etſi quoque quædam habeant propria, prout contra Propoſitionem V. fuit oſtenſum.

Propoſ. XIV. duas habet partes; de priori actum: poſterior eſt: *Præter Deum nulla concipi poteſt ſubſtantia.* Hanc ſic conatur demonſtrare: *Si poſſet concipi deberet neceſſario concipi, ut exiſtens; atqui hoc* (per primam partem hujus Demonſtrationis) *eſt abſurdum.* Sed non probat illam majorem Propoſitionem, nos vero in ſuperioribus ejus demonſtravimus falſitates. Non omnis ſubſtantia neceſſario debet concipi ut exiſtens; hoc eſt privilegium ſubſtantiæ independentis, Dei, reliquæ ſubſtantiæ tantum debent concipi ut poſſibiles, quæ poſſint fieri & produci ab independente ſubſtantia, quando illi id placuerit. Sic definienda eſt ſubſtantia, ut ſubintelligatur, *dum exiſtit*, eam non exiſtere in alio, ſed in ſe ſive habere talem naturam, quæ per ſe & in ſe concipitur, non in alio. Et hic ſimiliter res ſe ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bet ſicut in rerum modis, illi enim concipi debent ut exiſtentes in alio, ſubintellige, ſi & quando exiſtunt; inde vero non colligetur, quod modi neceſſario exiſtant.

Corollarium I. ſenſu Spinozæ prolatum jam cadit, *Deum eſſe unicum*, hoc eſt, nullam aliam ſubſtantiam dari præter Deum, quamvis libenter fateamur, nullum alium Deum dari præter unicum. Sed videas hic hominis inconſtantiam. Huic Corollario contrarium plane deprehendere licet in his quæ leguntur Epiſt. L. quæ ſcripta eſt anno 1674. p. 557. *Quod demonſtrationem attinet, quam ego in Appendice Geometricarum in Carteſii Principia demonſtrationum ſtabilio, nempe Deum non, niſi valde improprie, unum vel unicum dici poſſe; reſpondeo, rem ſolummodo exiſtentiæ, non vero eſſentiæ reſpectu unam vel unicam dici; res enim ſub numeris, niſi poſtquam ad commune genus redactæ fuerunt, non concipimus. Qui verbi gratia ſeſtertium & imperialem manu tenet, de numero binario non cogitabit, niſi hunc ſeſtertium & imperialem uno eodemque, nempe numerorum vel monetarum nomine vocare queat. Hinc ergo clare patet, nullam rem unam aut unicam nominari, niſi poſtquam alia res concepta fuit, quæ (ut dictum eſt) cum ea convenit. Quoniam vero Dei exiſtentia ipſius ſit eſſentia, deque ejus eſſentia univerſalem non poſſimus formare ideam, certum eſt eum qui Deum unum vel unicum nuncupat, nullam de Deo veram habere ideam, vel improprie de eo loqui.* Ex his enim ſequitur Spinozam, quando Tractatu *de Emendatione Intellectus* Deum unum vel unicum appellavit, vel nullam de Deo veram habuiſſe ideam, vel improprie de eo eſſe locutum. An vero decebat Philoſophum de Deo loqui improprie? Ei tribuere proprietates, quæ improprie tantum Deo conveniunt? Si hoc non deceat Philoſophum, & tamen hic ſic de Deo loquitur, an non potius dicendum erit, illum nullam de Deo veram habuiſſe ideam? Quod profecto ex omnibus, quæ hucuſque obſervavimus nimis clare liquet. Quidni vero potius dixiſſet, Deum & creaturam habere aliquid commune, etſi illud valde abſtractum & univerſale fuerit, quale eſt ens vel ſubſtantia, neque Deum & creaturam poſſe dici duas ſubſtantias vel duo Entia, unicum tamen eſſe Deum, cum nihil ſit, quod cum ipſo ratione divinitatis vel conveniat vel convenire poſſit. Atque hoc eſt quod Theologi volunt, quando ex lumine rationis evincunt, non poſſe eſſe plures Deos, adeoque Deo hoc quam maxime convenire & ſingulari ratione, eſſeque hanc proprie dictam Dei proprietatem, quod ſit unicus.

Corol-

Corollarium II. eſt *rem extenſam & rem cogitantem vel Dei attributa eſſe* (non poteſt hoc ſequi, quia fundamenta, quibus niti debebat, jam ſunt deſtructa) *vel* (per Axioma I.) *affectiones attributorum Dei.* Quomodo illa Propoſitio alternans locum habere queat non capio. Si enim illa ſint attributa Dei, uti putat à ſe probatum fuiſſe, non poterunt dici affectiones attributorum Dei. Quid intelligat per affectiones attributorum, non dicit, nec quomodo affectiones ab attributis diſtinguat. Sed puto ipſum per affectiones intelligere modos, talis enim eſt definitio V. quæ modi eſt: *Per modum intelligo ſubſtantiæ affectiones, ſive id, quod in alio eſt, per quod etiam concipitur.*

PROPOSITIO XV.

Quicquid eſt, in Deo eſt, & nihil ſine Deo eſſe neque concipi poteſt.

EXAMEN.

FAlſa procul dubio eſt illa Propoſitio eo ſenſu, quo intelligit eam Spinoza, cujus mens eſt, in Deo omnia eſſe tanquam ejus modos ipſum modificantes. Ex demonſtratione autem prima Prop. 37. Part. IV. conſtat, illum per hæc verba velle, quod mentis eſſentia nec eſſe nec concipi poſſit ſine Dei cognitione; quod non mirum eſſe poteſt, ſi mens noſtra nihil ſit aliud quam modus divinæ ſubſtantiæ. Demonſtratio nititur Prop. XIV. quam falſam eſſe evicimus, unde cadit ipſa Prop. XV. Etiam nos jam Defin. VI. hac de re egimus, atque oſtendimus perperam Deum ſic concipi tanquam cauſam omnium rerum immanentem.

Prolixum ad hanc Propoſitionem adjungit ſcholium, quod breviter examinemus. Dicit primum, *omnes, qui naturam divinam aliquo modo contemplati ſunt, negare, Deum eſſe corporeum,* & quo argumento nitantur oſtendit, quod ipſemet approbat. Conqueritur tamen, *eos interim aliis rationibus, quibus hoc idem demonſtrare conantur, clare oſtendere, ſe ſubſtantiam ipſam corpoream, ſive extenſam à natura divina omnino removere, atque ipſam à Deo creari ſtatuere.* Addit, *prorſus illos ignorare ex qua divina potentia potuerit creari, idque clare oſtendere, illos id, quod ipſimet dicunt, non intelligere.* Sed ſic neſcio

neſcio quot divinas potentias ſupponit, cum Noſtri ex unica potentia divina, quæ eſt entis, ſumme perfecti ideoque infinita, id ſciant fieri. Summa enim iſta ſive infinita potentia eſt utique perfectio, adeoque non poteſt non enti ſumme perfecto competere; poteſt ergo per eam producere quicquid poteſt velle, at non repugnat, ut velit rem extenſam exiſtere, poteſt ergo eam producere. Quin imo oſtendimus ad Defin. VI. neceſſario omnia illa, quæ præter Deum ſunt, ipſum nimirum univerſum extenſum, ex nihilo debuiſſe produci. Provocat hinc ad ſuas demonſtrationes, *quod nulla ſubſtantia ab alio poſſit produci*, & ad Propoſitionem XIV. quæ omnia nos falſitatis convicimus. Hinc argumenta examinat eorum, qui negant, Deum eſſe ſubſtantiam corpoream & extenſam, quæ ſuo loco relinquimus. Hoc tantum obſervantes, quod Propoſitio XII. cum corollario Propoſitionis XIII. ad quæ provocat, nos jam ſuperius refutavimus. Sed quoniam in ſcholio hoc ſuo, novo quodam argumento videtur velle uti, nos quoque illud ad examen revocemus. Sic inquit: *Non minus abſurdum eſt ponere, quod ſubſtantia corporea ex corporibus componatur, quam quod corpus ex ſuperficiebus, ſuperficies ex lineis, linea denique ex punctis componatur.* Quod equidem nego: ſuperficies enim, lineæ & puncta ſunt tantum termini corporum, non vero poſſunt corporum partes vocari, ſicut quando corpus aliquod in corpora dividitur. Non enim putem, ipſum negare, quin corpus omne finitum ſaltem, ſit diviſibile in alia corpuſcula in infinitum: Hæc corpuſcula non ſunt tantum termini iſtius corporis, quod ſic dividitur, quoniam poſſunt à ſe invicem ſeparatim exiſtere, quod non poteſt dici vel de puncto, vel de linea, vel de ſuperficie, quæ nunquam ſic poſſunt à corpore, cujus ſunt termini, ſeparari, & ab eo ſeparatim exiſtere. Non ergo debet inter iſtos terminos corporis & partes corporis inſtitui comparatio. Omnino ergo ſubſtantia corporea ex corporibus componitur, etſi nequeat dici, eam componi vel ex ſuperficiebus vel ex lineis vel ex punctis. Videamus tamen, quomodo iſtam abſurditatem demonſtret. Dicit, iſtam abſurditatem *fateri debere omnes, qui claram rationem infallibilem eſſe ſciunt, & inprimis eos, qui negant dari vacuum.* Hoc ergo quomodo demonſtret videamus. *Nam ſi ſubſtantia corporea,* inquit, *ita poſſet dividi, ut ejus partes realiter diſtinctæ eſſent, cur ergo una pars non poſſet annihilari, remanentibus reliquis, ut ante, inter ſe connexis?*

&

& cur omnes ita aptari debent, ne detur vacuum. Sane rerum, quæ realiter ab invicem diſtinctæ ſunt, una ſine alia eſſe, & in ſuo ſtatu manere poteſt. Cum igitur vacuum in natura non detur (de quo alias) ſed omnes partes ita concurrere debent, ne detur vacuum; ſequitur hinc etiam, eaſdem non poſſe realiter diſtingui, hoc eſt ſubſtantiam corpoream, quatenus ſubſtantia eſt, non poſſe dividi. In quibus merus eſt Paralogiſmus. Sane una pars non requiritur ad exiſtentiam alterius partis, & una pars poteſt abſque altera exiſtere, ſed omnes tamen partes ſimul requiruntur ad exiſtentiam totius, neque totum poſſet dici ſine exiſtentia unius ex partibus, quæ omnes ad conflandum unum totum requiruntur. Si igitur concipiatur verbi gratia pars illa aëris, quæ comprehenditur in dolio, annihilata, tunc vel alius aër vel materia alia extenſa ſuccederet in ejus locum, vel dolii partes non diſtarent amplius à ſe invicem, ſed illæ ipſæ neceſſario ad ſe invicem accederent. Concipitur enim extenſum tanquam totum aliquod, quod in varias partes reipſa eſt diviſum, quarum ſi vel una pars auferatur per annihilationem, nullâ aliâ in ejus locum productâ & reſtitutâ, non erit totum, quod tamen ut totum concipitur. Si enim ſupponas, omnem aërem ex dolio ſublatum, nec materiam aliam extenſam ſucceſſiſſe, & tamen dolii latera à ſe invicem diſtare, concipies inter illa latera extenſionem, quæ ad Totum illud tanquam ejus pars requiritur, hoc eſt concipies Extenſum omne Totius inſtar & tamen negabis illud ipſum eſſe Totum, quippe quod concipis deſtitutum ſui aliqua parte. Hæc ergo vera eſt cauſa, quare vacuum non poſſit dari, quia omnes partes neceſſario inter ſe invicem ſic cohærent, ut non poſſit concipi aliqua ex earum medio eſſe ſublata, quin alia ejuſdem quantitatis ſubſtitueretur.

Quærit jam, *cur nos ita ex natura propenſi ſimus ad dividendam quantitatem?* & reſpondet, *quod quantitas duobus modis à nobis concipitur, abſtracte ſcilicet, ſive ſuperficialiter, prout nempe ipſam imaginamur, vel ut ſubſtantia, quod à ſolo intellectu fit. Si itaque ad quantitatem attendimus, prout in imaginatione eſt, quod ſæpe & facilius à nobis fit, reperietur finita, diviſibilis & ex partibus conflata; ſi autem ad ipſam, prout in intellectu eſt, attendimus, & eam, quatenus ſubſtantia eſt, concipimus, quod difficillime fit, tum, ut jam ſatis demonſtravimus, infinita, unica & indiviſibilis reperietur.* Ad quæ ego obſervo, verum eſſe, quod quantitas à nobis concipiatur vel per ſolum intellectum vel per imagina-

tionem; &, quatenus à ſolo intellectu concipitur, concedo, eam non concipi ut diviſam, ſed nego, eam non concipi ut diviſibilem, & puto, Spinozam hæc duo inter ſe invicem confundere, quæ maxime erant diſtinguenda: aliud enim eſt, eſſe diviſibile, aliud eſt, actu eſſe diviſum: prius ſolo intellectu contemplor, ſola cogitatione perſpicio, poſterius imaginatione complector. Non poſſum ſane intellectu intueri quantitatem, vel, quod idem hic eſt, extenſionem, quin cogitem de longitudine latitudine & profunditate: quomodo vero concipiam longitudinem ſine ejus diviſibilitate, quomodo latitudinem, quomodo ſuperficiem ſine earum diviſibilitate? an non enim poſſum concipere longitudinem minorem vel majorem? an non poſſum mente abſcindere quaſdam partes materiæ iiſque motum circularem tribuere, ut alia in alterius locum per circulum quendam ſuccedat. Neque huic rei obſtat, quod concipiam illam quantitatem ut infinitam vel potius indefinitam & unicam, poſſum enim nihilominus mente præſcindere quandam ex ea partem, reliqua manente indefinita & ſic in abſciſſa parte varias diviſiones inſtituere, eamque ſic in varias partes diſpeſcere. Sed inquit: *Hoc* (quod in antecedentibus dixit) *omnibus, qui inter imaginationem & intellectum diſtinguere ſciverint, ſatis manifeſtum erit: Præcipue ſi ad hoc etiam attendatur, quod materia ubique eadem eſt, nec partes in eadem diſtinguuntur, niſi quatenus materiam diverſimode affectam eſſe concipimus, unde ejus partes modaliter tantum diſtinguuntur, non realiter. Ex: gratia aquam, quatenus aqua eſt, dividi concipimus, ejuſque partes ab invicem ſeparari; at non, quatenus ſubſtantia eſt corporea; eatenus enim neque ſeparatur, neque dividitur. Porro aqua quatenus aqua, generatur & corrumpitur; at, quatenus ſubſtantia, nec generatur, nec corrumpitur.* Nos vero putamus, omnibus iis, qui inter diviſibile eſſe & actu diviſum eſſe diſtinguere ſciunt, ſatis manifeſtum eſſe, quod nequeat concipi extenſum, niſi ſimul ut diviſibile concipiatur. Nec intelligi poteſt materia diverſimode affecta eſſe vel affici poſſe, niſi prius ſuppoſita diviſione. Hæc enim diviſibilitas & mobilitas eſt fundamentum & origo omnis iſtius variationis, quæ in materia intelligi poteſt, prout optime obſervavit Carteſius Princ. II. §. 23. Antequam ergo ſic diverſimode affecta concipi poſſit materia, opus eſt, ut eam prius concipiamus ut diviſam, adeoque prius adhuc ut diviſibilem & mobilem. Ipſe Spinoza olim Parte II. Princip. Cart. ubi axio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

axioma IX. hoc ponit: *Omnis extenſio dividi poteſt, ſaltem cogitatione*, ad quod annotat: *De veritate hujus axiomatis nemo, qui elementa Matheſeos, tantum didicit, dubitat: Spatium enim datum inter tangentem & circulum infinitis aliis circulis majoribus dividi ſemper poteſt. Quod idem etiam ex Hyperbolæ Aſymptotis patet.* Quod ſi quis forte nomine ejus dixerit, ipſum hoc intellexiſſe de finita extenſione, quæ per imaginationem concipitur, idque putet ex eo patere, quia uſus eſt ad hoc demonſtrandum figuris & lineis quibuſdam certis, ei reſpondeo, non poſſe concipi iſta certa genera figurarum & linearum, niſi prius ſeparetur cogitatione quædam pars materiæ, in qua iſtas figuras & lineas intelligamus. Tantum ergo abeſt ut prius ſit concipienda *materia diverſimode affecta*, quam *in ea partes diſtinguantur*, ut potius iſta diverſi modi affectio non queat intelligi niſi poſt ſuppoſitam illam partium diſtinctionem. Mirum vero, quod partes ipſas neget diſtingui realiter & tantum modaliter diſtingui velit; variatio enim iſta, quæ eſt in partibus, ab ipſis partibus diſtinguitur quidem modaliter, ſed propterea non modaliter diſtinguuntur ipſæ illæ partes. Et puto, hoc eſſe fundamentale vitium hujus Auctoris, quod modum confundat cum re cujus eſt modus. Fatetur, ideam eſſe quendam modum cogitandi in ſcholio Prop. XLIII. Part. II. & ſimul tamen vult mentem noſtram eſſe modum quendam divinæ ſubſtantiæ; ſic vero Modi erit Modus, qui poſterior propterea tanquam ſubſtantia erit concipiendus. Ex iſta confuſione modi cum re, cujus eſt modus, etiam eſſe reor quod nolit ſubſtantias admittere plures, ſed unam tantum, ex quo infiniti alii errores dependent. An ergo ſeſſio, ſtatio, ambulatio non diſtinguendæ ſunt ab homine ſedente, ſtante, ambulante? an idem erit expanſio manus quod manus expanſa, contractio manus, quod manus contracta? Videmus ſuperius p. 27. ipſum intelligere *per modificationes id, quod in alio eſt, & quarum conceptus à conceptu rei, in qua ſunt, formatur*, quod etiam convenit cum definitione modi quæ V. eſt: *Per modum intelligo ſubſtantiæ affectiones, ſive id, quod in alio eſt, per quod etiam concipitur.* Hoc ſi velit applicare partibus, & dicere, partes propterea diſtingui modaliter à materia in qua ſunt, dico, ludere ambiguitate phraſeos, *eſſe in alio*. Non enim quod quovis modo eſt in alio debet propterea cenſeri eſſe modus: Aliter enim accidentia ſunt in ſubſtantia, aliter partes ſunt in toto. An dicemus, manum ſic eſſe in homine, uti albedo eſt in pariete?

riete? poteſt manus ſeparari ab homine & ſeparatim exiſtere, an ergo dicemus, albedinem poſſe ſeparari à pariete & ſeparatim à pariete poſſe exiſtere? Exemplo aquæ non probatur, quod partes non diſtinguantur in materia, niſi quatenus illa eſt diverſimode affecta: Poteſt enim aqua dividi in varias guttas, quarum unaquælibet eſt aqua & ſic dividetur, quatenus eſt aqua. Ita etiam materia extenſa, etſi ſit eadem, poteſt tamen in partes diſtingui extenſas. Fateor, in aqua eſſe quoque diverſas particulas diverſæ naturæ, eſſe ramoſas & terreas, eſſe anguillares eſſe globoſas, eſſe ſubtiliſſimæ materiæ; at hæ tamen omnes ſunt partes materiæ extenſæ, quæ ratione diverſorum extenſionis modorum ita diſtinguitur. Tandem non video, quid ex generatione & corruptione aquæ conficere velit. Etſi enim aqua non generetur nec corrumpatur, quatenus ſubſtantia eſt, (hoc eſt, aqua quamcunque ſuſcipiat mutationem per generationem & corruptionem, maneat res extenſa,) non tamen inde ſequitur, ergo quatenus eſt res ex-extenſa dividi nequit. Dicit tandem, *ſe neſcire, cur divina natura indigna eſſet, ſi dicatur diviſibilis; quia cum omnia in Deo ſint, & omnia, quæ fiunt, per ſolas leges infinitæ Dei naturæ fiant, & ex neceſſitate ejus eſſentiæ ſequantur, nulla ratione dici poſſit Deum ab alio pati.* Nituntur enim hæc non demonſtratis. Falſum eſſe oſtendimus, eo ſenſu in Deo eſſe omnia, quo ipſe hoc nititur probare. Nec probatum, omnia ſequi ex neceſſitate Dei Eſſentiæ, quamvis ſequatur neceſſario ex ipſius Voluntate. Saltem intelligi nequit, quomodo ex neceſſitate Eſſentiæ Dei ſequantur illæ modificationes cogitationis & extenſionis, quas Deo aſſignat. Quænam quæſo hic eſt inter eſſentiam Dei & modificationes iſtas connexio & cohærentia? Et quomodo res ſemetipſam modificare poteſt? modificatio utique eſt rei aliqua determinatio: at res ex ſemetipſa non eſt determinata, ſed neceſſario reſpicit ad aliquem determinantem: Ex ſemetipſa enim ſi ſit, habebit omne ſine ulla determinatione. Nec concipi poteſt, iſta diviſibilitas in eſſentia Dei, niſi ſupponatur aliquid, quod poſſit iſtam diviſionem inferre, neque intelligi poteſt, quomodo Deus ipſe ſuam eſſentiam queat dividere. Si ergo Deus dicatur diviſibilis ab alio, utique dicendum erit, Deum pati poſſe, ſive, paſſioni eſſe obnoxium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XVI.

Ex neceſſitate divinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc eſt, omnia quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt), ſequi debent.

EXAMEN.

DEmonſtrationem audiamus. Vult *ad hoc modò attendi, quod ex data cujuscunque rei definitione plures proprietates intellectus concludit, quæ revera ex eadem neceſſario ſequuntur.* Nos vero libenter concedimus, omnes divinas proprietates ex ejus natura plane ſequi; at ille & naturam aliam Deo attribuit Definit. VI. ad quam provocat, quàm eam, quæ revera Deo convenit, uti ſupra eſt oſtenſum, & ſi hæc argumentatio rite procedere debet, omnes alias res debet conſiderare tanquam divinas proprietates, quod utique falſum eſt ex ipſius quoque ſententia; cum mentes humanas, corpora, animalia, arbores, plantas, lapides &c. habeat pro modis vel modificationibus divinæ eſſentiæ, quomodo autem modi ſequantur ex re modificata intelligi non poteſt, neque id unquam demonſtravit. Multo minus oſtendit quomodo omnia iſta, quæ nos revera non habemus pro modis, ſed pro ſubſtantiis à divina ſubſtantia diverſis, ex ejus natura ſequi poſſint.

Corollarium I. *Hinc Deum omnium rerum, quæ ſub intellectum infinitum cadere poſſunt, eſſe cauſam efficientem*, ita univerſaliter ſumtum, ut intelligatur, Deum eſſe cauſam efficientem ſuarum quoque proprietatum, falſum quoque eſt, quamvis certum ſit, Deum eſſe cauſam efficientem omnium aliarum rerum, quæ ſunt præter Deum; quod tamen tali modo non poteſt confici, ſed ex eo, quia ad ipſius ſummam perfectionem requiritur, ut omnia, quæ ſunt præter Deum, & quæ præter ipſum concipi poſſunt, ab ipſo dependeant. Deus vero ratione ſuarum proprietatum non ſe habet ut cauſa efficiens proprie dicta, quamvis ipſius eſſentia poſſit concipi ut ratio antecedens, atque ſic generali ſenſu ut cauſa ſuarum proprietatum.

Corollarium II. *Deum cauſam eſſe per ſe, non vero per accidens*, & Coroll. III. *Deum eſſe abſolute cauſam primam*, vera ſunt, ſed non ſequuntur ex iis, quæ ab ipſo ſunt poſita, ſed ex eo, quod Deus ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſumme perfectus, adeoque ad ſummam ejus requiratur perfectionem ut omnia ab ipſo omnibus modis dependeant.

PROPOSITIO XVII.

Deus ex ſolis ſuæ naturæ legibus, & à nemine coactus agit.

EXAMEN.

EO ſenſu, quo ab ipſo accipitur, quatenus naturæ divinæ leges ipſi ſunt quædam naturæ divinæ neceſſitas, quæ Deum ſic intrinſecus determinet ad omnia illa agendum quæ agit, quæque ſic opponatur ejus voluntati, quaſi divina voluntas ſic ſit intrinſecus ex naturæ divinæ legibus determinata, contemplationem meretur. Ad hoc conficiendum in Scholio inter alia obſervat pag. 18. *Dei omnipotentiam actu ab æterno fuiſſe, & in æternum in eadem actualitate manſuram. Et hoc modo Dei omnipotentiam longe,* ſuo *quidem judicio perfectiorem ſtatui. Imo adverſarios Dei omnipotentiam negare videri. Cogi enim fateri, Deum infinita creabilia intelligere, quæ tamen nunquam creare poterit. Nam alias, ſi ſcilicet omnia, quæ intelligit, crearet, ſuam, juxta ipſos, exhauriret omnipotentiam & ſe imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum ſtatuant, eo redigi, ut ſimul ſtatuere debeant, ipſum non poſſe omnia efficere, ad quæ ejus potentia ſe extendit, quo abſurdius, aut Dei omnipotentiæ magis repugnans, ſe non videre, quid fingi poſſit.* Sed putem, ambiguitatem primum eſſe in phraſi, *Dei omnipotentiam actu ab æterno fuiſſe & in æternum in eadem actualitate manſuram.* Verum eſt iſtud attributum quod Omnipotentia dicitur, actu ab æterno fuiſſe, quatenus iſta omnipotentia conſideratur ut Dei perfectio cum relatione ad alias res, quæ ab ea poſſunt produci; ſed phraſis iſta etiam hunc poteſt habere ſenſum, Omnipotentiam Deo adfuiſſe ab æterno una cum illo actu, quo creatura eſt producta, quatenus ille actus conſideratur tanquam creatura ipſa ut facta, ut producta & hunc habere debet in mente hujus Auctoris ſenſum, ut cohæreat cum ſequentibus, qua ratione falſum hoc eſſe dicimus. Dein, ſi potentia Dei dicatur in eadem actualitate manſura, id quod verum eſſe poteſt, quatenus in æternum res omnes conſervat, & ſic quaſi reproducit, ſed cum per iſtam actualitatem res etiam quædam novæ fiant, v. gr. animæ huma-

humanæ, novi homines, Petrus, Johannes, &c. non repugnat, iſtam actualitatem, adeſſe Deo ab æterno, & tamen in tempore res demum produci. Ponamus ergo, res illas non eſſe ſubſtantias ſed modos tantum rei, prout vocat Spinoza, ſaltem verum ſic erit, ab æterno non fuiſſe à Deo productos iſtos modos, qui in tempore ſunt producti, & tamen Deo adfuit ab æterno potentia iſta modos producendi, Hoc poſito id argumentum, quod hic ſtringit contra ſuos adverſarios, facile poterit in ipſum retorqueri. Sic enim dicam, *cogi ipſum fateri, Deum infinita creabilia modos, nempe quos dicit, mentes humanas, Petrum, Paulum, alia, intelligere, quæ tamen nunquam creare poterit, quia ſic exhauriret ſuam omnipotentiam & ſe imperfectum redderet. Sic non poterit omnia efficere ad quæ ejus potentia ſe extendit.* Quod ergo forte ad hoc fuiſſet reſponſurus, id nos nunc ipſi reſpondemus; etſi à parte Dei nihil ipſi ab æterno defuerit, quo minus res iſtas potuerit efficere, repugnantiam tamen fuiſſe à parte rerum, quæ non potuerunt ab æterno produci, cum ſint contingentes, non neceſſariæ, qua diſtinctione inter Deum & creaturas ipſe aliquando utitur, etſi ille creaturas iſtas tantum *modos Dei* appellet, de quo vidimus, dum examinavimus ejus Scholium ad Propoſ. VIII.

Negat porro, *ad Dei naturam intellectum & voluntatem pertinere*; inferius vero dicit: *Si ad æternam Dei eſſentiam intellectus & voluntas, pertinent, aliud ſane per utrumque hoc attributum intelligendum eſt, quam quod vulgo ſolent homines. Nam intellectus & voluntas, qui Dei eſſentiam conſtituerent, à noſtro intellectu & voluntate toto cœlo differre deberent, nec in ulla re, præterquam in nomine, convenire poſſent.* Ratio, quam affert, hujus rei huc tota redit, *quod Dei intellectus ſit unica rerum cauſa tam earum eſſentiæ, quam exiſtentiæ. Nam cauſatum differt à ſua cauſa præciſe in eo quod à cauſa habet: Dei autem intellectum eſſe cauſam & eſſentiæ & exiſtentiæ noſtri intellectus, ſimiliter ſe rem habere de Dei voluntate.* Sed hæc non conveniunt cum prioribus, ubi vidimus, eum voluiſſe, res cogitantes productas eſſe à Deo ſub attributo cogitationis conſiderato, & res extenſas à Deo eſſe productas ſub attributo extenſionis ſpectato. Non etiam cogitavit, cauſam ita ſe habere ad effectum, ut nihil poſſit eſſe in effectu, niſi quod prius fuerit in cauſa vel formaliter vel eminenter; igitur ſi Dei intellectus non ita eſt, ut noſter, formaliter, ſaltem debet eſſe talis eminenter, & vix intelligi poteſt, quomodo Dei intellectus queat rem intelligentem produ-

cere,

cere, ſi tantum nomine conveniat & nullo modo in re ipſa habeat convenientiam. Ipſemet p. 19. fatetur, *veritatem & formalem rerum eſſentiam ideo talem eſſe, quia talis in Dei intellectu exiſtit objective:* Certum ergo eſt *veritatem & formalem rerum eſſentiam in Dei intellectu exiſtere objective*: Atqui illa veritas & formalis rerum eſſentia etiam in noſtro intellectu exiſtit objective, in eo ergo conveniunt intellectus Dei & noſter intellectus; quando autem in noſtro intellectu veritas & formalis rerum eſſentia exiſtit objective, utique percipitur vel cognoſcitur à noſtro intellectu: Ergo etiam cognoſcitur à Dei intellectu, utrique ergo intellectui convenit cognoſcere, quod profecto importat majorem convenientiam, quam eam, quæ eſt nominis tantum; fateor in eo eſſe differentiam, quod intellectus Dei ſit prior rebus intellectis, noſter poſterior; quod Dei intellectus formet rerum veritatem & formalem rerum eſſentiam, atque adeo ſit earum cauſa, noſter vero intellectus ab illa veritate & formali rerum eſſentia dependeat; Sed hoc non impedit, quo minus maneat illa ſimilitudo & convenientia, quod uterque intellectus eas cognoſcat. Sed & Spinoza tribuit Deo, cogitationem, quæ etiam nobis convenit, utrobique ergo eſt cogitatio, quæ ſane majorem importat convenientiam quam eam, quæ tantum ſit nominis, quin imo Propoſit. XXX. æquat in eo intellectum finitum & infinitum, *quod Dei attributa Deique affectiones comprehendere debeant.* In eo vero errat Spinoza, quod, quoniam eſt magna differentia inter intellectum humanum & divinum, omnem propterea convenientiam tollat, quum potius illa differentia convenientiam iſtam ſupponat. Etiam intercedit magna differentia inter intellectum hominum vulgarem & inter intellectum vere Philoſophorum, qua ratione tamen non eſt cenſendum, in nulla re præterquam in nomine convenire. De cætero fateor Neceſſariam eſſe Dei voluntatem & intellectum, quatenus impoſſible eſt, Dei intellectum & voluntatem potuiſſe eſſe indifferentem prout à me in Commentario de Deo eſt demonſtratum.

Corollarium I. libentes admittimus. *Hinc ſequitur nullam dari cauſam, quæ Deum extrinſece vel intrinſece, præter ipſius naturæ perfectionem, incitet ad agendum.* Sed Corollarium II. rejicimus: *ſolum Deum eſſe cauſam liberam*, ſi id intelligatur de libertate, quæ in lubentia conſiſtit, quamvis libentes fateamur ſolum Deum ſic eſſe liberum, quatenus per libertatem intelligitur independentia, Demonſtratio hujus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

hujus Corollarii ficulnea eſt. Nititur Propoſ. XI. Coroll. Prop. XIV. Prop. XVI. & Definit. VII. fundamentis, quæ omnia ad unum uſque ſunt falſa.

PROPOSITIO XVIII.

Deus eſt omnium rerum cauſa immanens; non vero t ranſiens.

EXAMEN.

FAlſa eſt iſta Propoſitio, cujus demonſtratio nititur Prop. XIV. & XV. quas ambas falſas eſſe evicimus, & ſimul Scholio ejus ad Propoſ. XV. plenius reſpondimus. Sed & ad Definit. VI. hanc ipſam ſententiam falſitatis convicimus.

PROPOSITIO XIX.

Deus, ſive omnia attributa Dei ſunt æterna.

EXAMEN.

HAnc Propoſitionem nos libenter admittimus, ſed alio modo demonſtramus & deducimus ex natura entis ſumme perfecti. Sed Spinozæ demonſtratio falſa eſt nitens falſis fundamentis, quale eſt Prop. XI. & VII.

PROPOSITIO XX.

Dei exiſtentia ejuſque eſſentia unum & idem ſunt.

EXAMEN.

HAnc etiam tanquam veriſſimam, una cum Corollariis I. *Dei exiſtentiam, ſicut ejus eſſentiam æternam eſſe veritatem*, II. *Deum ſive omnia attributa Dei eſſe immutabilia*, libentiſſime admittimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXI.

Omnia, quæ ex abſoluta natura alicujus attributi Dei ſequuntur ſemper, & infinita exiſtere debuerunt, ſive, per idem attributum æterna & infinita ſunt.

EXAMEN.

ET hanc Propoſitionem admittimus tanquam veram, ſi recte intelligatur, nempe de eo, quod ipſum quoque eſt attributum Dei; ſecus ſi fiat, & intelligatur de rebus creatis, nihil eo erit falſius, qua ratione tamen illum iſtam Propoſitionem intelligere, patet ex demonſtratione Prop. XXVIII. item ex Scholio Propoſ. XL. Part. V. Demonſtratio hujus quoque Propoſitionis valde eſt intricata & confuſa & evincit tantum id eſſe verum eo ſenſu quo nos intelligimus, cum tamen debeat probari de ſenſu auctoris.

PROPOSITIO XXII.

Quicquid ex aliquo Dei attributo, quatenus modificatum eſt tali modificatione, quæ & neceſſario & infinita per idem exiſtit, ſequitur, debet quoque & neceſſario & infinitum exiſtere.

EXAMEN.

HÆc Propoſitio obſcura eſt admodum, nec ſatis intelligo, quid per modificationem attributi divini ſignificet. Si intelligat per illam modificationem, uti videtur, res creatas, quas vult eſſe in Deo, ut v. gr. cogitatio Dei modificetur per cogitationem mentis humanæ, & extenſio Dei, quam perperam ei aſſignat, modificetur per corpus, contradictoria eſt iſta Propoſitio. Sed neſcio quid velit per modificationem infinitam, quæ eo ipſo, quo eſt modificatio, vix aliter quam ut finita poteſt concipi, cum determinationem rei ſignificet. Et ſupponitur rem aliquam ſemetipſam modificare, quod contradictionem implicare ad Propoſ. XVII. oſtendimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXIII.

Omnis modus, qui & neceſſario, & infinitus exiſtit, neceſſario ſequi debuit, vel ex abſoluta natura alicujus attributi Dei, vel ex aliquo attributo modificato modificatione, quæ & neceſſario & infinita exiſtit.

EXAMEN.

NOn magis intelligo hanc Propoſitionem, quam præcedentem, cum neſciam, quomodo modus, eo ipſo quo modus eſt, poſſit ut infinitus concipi. Demonſtratio nititur Defin. V. & XV. Definit. item VI. & Propoſit. XXI. quas omnes ſuperius oſtendimus eſſe falſas, & tandem Propoſ. præcedente, quæ vel obſcura eſt nimis, vel etiam falſa. Unde tantum abeſt, ut ei noſtro ſubſcribamus conſenſu, ut potius tanquam non demonſtratam, vel etiam falſam rejicere teneamur.

PROPOSITIO XXIV.

Rerum à Deo productarum eſſentia non involvit exiſtentiam.

EXAMEN.

HAnc Propoſitionem tanquam veriſſimam libentiſſime admittimus; ſed tunc non intelligo, quomodo illæ res productæ poſſint dici modi eſſentiæ divinæ, & quomodo hoc poſſit convenire cum antecedentibus Propoſitionibus; Corollarium etiam concedimus: *Hinc ſequitur, Deum non tantum eſſe, cauſam, ut res incipiant exiſtere; ſed etiam ut in exiſtendo perſeverent.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXV.

Deus non tantum eſt cauſa efficiens rerum exiſtentiæ; ſed etiam eſſentiæ.

EXAMEN.

HAnc etiam pro vera agnoſcimus, ſi verba ſumantur prout jacent non tamen prout ab ipſo demonſtratur, nitens Propoſ. XVI. quæ falſa eſt. Et ſane mens hujus Propoſitionis videtur eſſe, quod Deus ſic ſit cauſa eſſentiæ corporis humani, quatenus illud eſt tantum pars ſive modus iſtius extenſionis, quæ tanquam Dei attributum ab ipſo conſideratur. Id liquere poteſt ex Demonſtr. Prop. XXII. V. Corollarium vero falſiſſimum eſt: *Res particulares nihil ſunt, niſi Dei attributorum affectiones, ſive modi, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur.* Et fundamentum, quo nititur, Prop. XV. eſt falſum.

PROPOSITIO XXVI.

Res quæ ad aliquid operandum determinata eſt, à Deo neceſſario ſic fuit determinata; &, quæ à Deo non eſt determinata non poteſt ſe ipſam ad operandum determinare.

EXAMEN.

ETiam hanc Propoſitionem ut veram admittimus, quamvis non plane ſubſcribamus modo demonſtrandi ab auctore uſurpato, quatenus nititur Prop. XVI. quam rejecimus ſuperius.

PROPOSITIO XXVII.

Res, quæ à Deo ad aliquid operandum determinata eſt, ſe ipſam indeterminatam reddere non poteſt.

EXAMEN.

ETiam veriſſima eſt. Admittitur quoque demonſtratio, quæ eam ex Axiomate III. derivat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXVIII.

Quodcunque ſingulare, ſive quævis res, quæ finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, non poteſt exiſtere, nec ad operandum determinari niſi ad exiſtendum & operandum determinetur ab alia cauſa, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam: Et rurſus hæc cauſa non poteſt etiam exiſtere, neque ad operandum determinari, niſi ab alia, quæ etiam finita eſt, & determinatam habet exiſtentiam, determinetur ad exiſtendum & operandum, & ſic in infinitum.

EXAMEN.

HÆc Propoſitio non tantum falſa ſed & abſurda eſt admodum, & ponit progreſſum cauſarum in infinitum, qui tamen nec intelligi nec probari poteſt, & quem ipſe refutat Spinoza epiſt. XXIX. adducens argumentum quoddam Rab Ghasdai, quod & approbat: *Si datur progreſſus cauſarum in infinitum, erunt omnia quæ ſunt, etiam cauſata: Atque nulli, quod cauſatum eſt, competit, vi ſuæ naturæ exiſtere: Ergo nihil eſt in natura, ad cujus eſſentiam pertinet neceſſario exiſtere. Sed hoc abſurdum: Ergo & illud.* Quod ſi detur talis nexus, quæri poteſt, unde ille ſit nexus? an nexus poteſt eſſe ſine nectente? an illum nexum unquam percepit? ſi non percepit, quare ergo de non perceptis loquitur? Examinemus demonſtrationem. *Quicquid determinatum eſt ad exiſtendum & operandum à Deo ſic determinatum eſt (per Propoſitio: XXVI. & corollarium Prop. XXIV.)* Hoc libenter concedimus. Pergit: *At id quod finitum eſt & determinatam habet exiſtentiam ab abſoluta natura alicujus Dei attributi produci non potuit*, quod falſiſſimum eſt & omnem productionem rerum evertit, quam tamen in antecedentibus videtur agnoſcere voluiſſe. Probat hoc ex Prop. XXI. *quicquid enim ex abſoluta natura alicujus attributi Dei ſequitur, id infinitum & æternum eſt*, quam Propoſitionem iſto ſenſu intellectam rejecimus. Quod ſi vero id quod finitum eſt & determinatum nullo modo poteſt ab abſoluta natura alicujus Dei attributi produci, nec poterit produci à divina potentia, quæ tamen infinita eſt; & ſi ab

hac produci non poſſit multo minus poterit produci à potentia finita, ſicque plane non erit; adeoque hinc ſequetur, nullam rem præter Deum exiſtere. Conciliet hæc, qui poteſt.

Quomodo hæc etiam poſſint conciliari cum ſcholio ſubjecto intelligi nequit. Supponit in iſto ſcholio, *quædam à Deo immediate produci debuiſſe, videlicet ea, quæ ex abſoluta ejus natura neceſſario ſequuntur*; at juxta iſtam Prop. XXVIII. nihil plane poteſt produci immediate à Deo, cum nulla cauſa ſit finita, quæ ad exiſtendum & operandum non iterum determinetur idque in infinitum. Hinc vero ita colligit: *Cum quædam à Deo immediate produci debuerunt, videlicet ea, quæ ex abſoluta ejus natura neceſſario ſequuntur, mediantibus his primis, quæ tamen ſine Deo nec eſſe nec concipi poſſunt, hinc ſequitur I. quod Deus ſit rerum ab ipſo immediate productarum cauſa abſolute proxima; non vero in ſuo genere, ut ajunt. Nam Dei effectus ſine ſua cauſa nec eſſe nec concipi poſſunt (per Propoſ.* XV. *& Corollarium Prop.* XXIV. At repugnat hoc ipſum prioribus: Si enim detur talis progreſſus cauſarum finitarum in infinitum, nunquam poterimus pervenire ad immediatam productionem factam à Deo. Corollarium quidem eſt verum, quamvis fundamentum illud Propoſ. XV. ſit falſum. Pergit, & II. colligit, *quod Deus non poteſt proprie dici eſſe cauſa remota rerum ſingularium, niſi forte ea de cauſa, ut ſcilicet has ab iis, quas immediate produxit, vel potius, quæ ex abſoluta ejus natura ſequuntur, diſtinguamus. Nam per cauſam remotam intelligimus talem, quæ cum effectu nullo modo conjuncta eſt. At omnia quæ ſunt, in Deo ſunt, & à Deo, ita dependent, ut ſine ipſo nec eſſe nec concipi poſſint.* Quæ iterum nequeunt intelligi & conciliari cum Propoſitione: ſi enim in infinitum quælibet res finita determinetur ab alia cauſa finita: Ergo nunquam determinabitur à Deo qui non eſt cauſa finita, atque ſic Deus non erit cauſa immediata rerum ſingularium, imo non erit ullo modo earum cauſa, quia nullo modo cum effectu poterit dici conjunctus.

PRO-

PROPOSITIO XXIX.

In rerum natura nullum datur contingens; ſed omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata ſunt ad certo modo exiſtendum & operandum.

EXAMEN.

HÆc Propoſitio falſa eſt ſenſu Spinozæ accepta, cum ſupponat determinationem ex neceſſitate divinæ naturæ, nulla interveniente divina voluntate aut decreto, eamque, ut patet ex antecedentibus, per cauſas infinitas in infinitum ſe mutuo conſequentes, quod contradictorium eſſe probavimus. Demonſtratio etiam Spinozæ non procedit firmo pede. Nititur fundamentis falſis, quale eſt Prop. XV. & ſenſu Spinozæ quoque Prop. XI. ut & Prop. XVI, XXI.

Ex Scholio intelligimus; quid ipſi ſit Deus nempe *Natura Naturans, ſive id, quod in ſe eſt, & per ſe concipitur, ſive talia ſubſtantiæ attributa, quæ æternam & infinitam eſſentiam exprimunt* & Natura Naturata ipſi eſt id, quod nos appellamus Res productas, ſed ipſe perperam appellat *Dei attributorum modos, quos dicit eſſe in Deo*, de quo in ſuperioribus à nobis jam fuit actum.

PROPOSITIO XXX.

Intellectus actu finitus aut actu infinitus Dei attributa, Deique affectiones comprehendere debet, & nihil aliud.

EXAMEN.

IN hac Propoſitione vera intermixta ſunt falſis. Verum eſt, *intellectum actu infinitum*, qui eſt intellectus ſolius Dei; *comprehendere debere Dei attributa*, ſed falſum; id quoque debere facere intellectum actu finitum, cui eo ipſo, quo eſt finitus, impoſſibile eſt comprehendere Dei attributa infinita & cum alibi dicat, nos ex iſtis attributis Dei infinitis, nullum cognoſcere præter Cogitationem & Extenſionem, quomodo ergo dici poteſt, ea à nobis com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

prehendi? falſum etiam eſt, *dari iſtorum attributorum affectiones*, ſive, quod ipſi idem eſt *modos*. Sed ſi ita reformaretur poſſet admitti: *Intellectus actu finitus aut actu infinitus Dei attributa, & res à Deo productas intelligere debet & nihil aliud*, quia nihil aliud eſt præter Deum & creaturas, & omnis intellectus habet ideam Dei & creaturarum non quidem omnium & ſingularum adeoque non omnium individuorum, ſed creaturarum in communi, ſive, rerum à Deo productarum, ut cum Spinoza loquar.

PROPOSITIO XXXI.

Intellectus actu, ſive is finitus ſit, ſive infinitus, ut & voluntas, cupiditas, amor &c. ad Naturam naturatam, non vero ad naturantem referri debent.

EXAMEN.

Mira hæc admodum eſt propoſitio, & pugnans cum iis, quæ ſupra de Natura naturata dixit. Si enim natura naturata ſint res à Deo productæ: Ergo intellectus actu infinitus erit referendus inter res à Deo productas. Quid vero is intellectus per productionem determinatus & finitus erit, ſi ſit infinitus? niſi mera chimæra & figmentum humanum? Videamus demonſtrationem. *Per intellectum non intelligimus abſolutam cogitationem, ſed certum tantum modum cogitandi, qui modus ab aliis, ſcilicet cupiditate, amore &c. differt*, (quod ſi ita eſt, ergo non debes dicere infinitum, nam infinitus intellectus & voluntatem & quamvis denominationem voluntatis, qualis eſt cupiditas, amor &c. complectitur) *adeoque (*per Def. V.*) per abſolutam cogitationem concipi debet, nempe (* per Prop. XV. & Defin. VI.*) per aliquod Dei attributum, quod æternam & infinitam cogitationis eſſentiam exprimit, ita concipi debet, ut ſine ipſo nec eſſe, nec concipi poſſit;* quod fatemur, ſed ita, ut non ſit modus iſtius attributi divini, quæ modos non admittunt, ſed ipſa abſoluta cogitatio infinita, ut ita intellectus infinitus revera ad Naturam naturantem debeat referri. Sed videtur ex iis, quæ lego in demonſtratione Prop. XXXII. colligi poſſe, quod tantum intellectum infinitum *ſupponat*, non abſolute ſtatuat dari, & per eum tantum id intelligat, quod à voluntate infinita, quam etiam ſupponit diſtinguitur. Sic enim ibi: *Quod ſi voluntas infini-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nita ſupponatur , debet etiam ad exiſtendum & operandum determinari à Deo &c. Verum dum iſtum intellectum infinitum & infinitam voluntatem refert inter res productas, ſupponit aliquid, quod contradictionem implicat, uti antea obſervavimus.

In ſcholio dicit, ſe *per intellectum actu intelligere ipſam intellectionem, quâ nihil nobis clarius percipitur* quod neceſſe eſt, ut intelligamus de noſtro proprio intellectu, ſi verum eſſe velimus, quoniam hujus immediate conſcii ſumus, non vero de intellectu alieno, qui cum non ſit noſter, non etiam poſſumus ejus eſſe immediate conſcii. Rationem adducit: *Nihil enim intelligere poſſumus, quod ad perfectiorem intellectionis cognitionem non conducat.* Quam etiam intellectam eodem ſenſu oportet.

PROPOSITIO XXXII.

Voluntas non poteſt vocari cauſa libera, ſed tantum neceſſaria.

EXAMEN.

OPponit hic, quæ optime inter ſe invicem concordant, liberum eſſe & neceſſarium, qua de re plenius egimus ad Defin. VII. quo lectorem ablego. Demonſtratio nititur Propoſ. XXVIII. quam falſitatis jam convicimus, & Prop. XXIII. quæ ponit modum infinitum hoc eſt determinationem non determinatam, quæ intelligi nequit: & Defin. VII. de qua ſuo loco actum fuit.

Corollarium I. quod ex hac Propoſitione educit, eſt: *Deum non operari ex libertate voluntatis*, quod putem hac ratione ipſum educere velle, quod, cum voluntas, ſive finita ſive infinita, ſit modus tantum à Deo productus non pertineat ad Naturam naturantem, adeoque Deo non competat voluntas, & per conſequens non poſſit dici operari ex libertate voluntatis; ſed nos in ſuperioribus fundamenta hujus conſecutionis jam evertimus.

Corollarium II. eodem nititur fundamento: *Voluntatem & intellectum ad Dei naturam ita ſeſe habere, ut motus, & quies, & abſolute ut omnia naturalia, quæ à Deo ad exiſtendum certo modo determinari debent*, hoc nempe, quod voluntas & intellectus ſint tantum quidem modi Dei, ſicut etiam pro modis Dei habet motum & quietem, quæ omnia nos tanquam abſurda jam antea rejecimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXXIII.

Res nullo alio modo, neque alio ordine à Deo produci potuerunt, quam producta ſunt.

EXAMEN.

FAlſa eſt Propoſitio iſta, ſi accipiatur ſenſu Auctoris, quem ex comparatione cum Propoſ. XXVIII. intelligere debemus. Talis enim ordo naturæ, qui conſiſtat in nexu cauſarum determinatarum & progreſſus earum in infinitum nullus datur, imo nec dari poteſt. Demonſtratio Spinozæ nititur falſis fundamentis, nempe Prop. XVI. & XI.

Scholium I. explicat, quomodo res aliqua dicatur Neceſſaria, Poſſibilis, Contingens, Impoſſibilis, quæ omnia hactenus admitto, ut tamen obſervem non debere inde inferri, res omnes ab æterno fuiſſe, vel omnes res poſſibiles jam exiſtere, prout obſervavimus ad Prop. XVII.

In Scholio II. provocat ad ea, quæ dixit ad Propoſ. XVII. quæ nos ibi ut falſa refutavimus.

PROPOSITIO XXXIV.

Dei potentia eſt ipſa ipſius eſſentia.

EXAMEN.

VEra eſt recte intellecta hæc Propoſitio, ſed fundamenta, quibus nititur, non firma ſunt. Nititur enim Prop. XI. XVI. & corollario ejus, quæ omnia falſa ſunt. Sed & in prætenſa hujus Propoſitionis demonſtratione concluſio, quam proponit, detegit mentem iſtius Propoſitionis: *Ergo Potentia Dei, qua ipſe & omnia ſunt & agunt, eſt ipſa ipſius eſſentia.* Per Deum enim intelligit juxta Propoſ. XI. ſubſtantiam conſtantem infinitis attributis, & ſic Deum & omnia confundit, putatque, eandem eſſe Dei potentiam & eſſentiam, quæ etiam eſt rerum productarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXXV.

Quicquid concipimus in Dei poteſtate eſſe, id neceſſario eſt.

EXAMEN.

FAlſa iterum ſenſu, quo ab ipſo profertur, quem ſatis intelligimus ex ſcholio ad Prop. XVII. quod ſuperius refutatum fuit; hoc enim vult, *omnes res quæ poſſibiles ſunt, jam actu exiſtere*, quod equidem falſum eſſe oſtendi. Demonſtratio tota nititur præced. Propoſitione in ſenſu falſo accepta.

PROPOSITIO XXXVI.

Nihil exiſtit, ex cujus natura aliquis effectus non ſequatur.

EXAMEN.

ESt hæc Propoſitio, uti ex demonſtratione liquet, ejuſdem commatis, cujus ſunt priores, totaque inde pendet, quod Deus & creaturæ confundantur. Demonſtratio ſic habet: *Quicquid exiſtit, Dei naturam, ſive eſſentiam certo & determinato modo exprimit per Prop.* 25. voluit dicere per corollarium Prop. XXV. quod videmus his verbis exponi. At revera eſt mirus conceptus, imo contradictorius plane, ſi *Dei natura infinita*, concipiatur exprimi certo & *determinato modo*; ita enim infinitum quod eſt plane, determinatur & finitur. Nititur igitur hæc demonſtratio fundamento falſo, cujuſmodi eſt iſtud corollarium, item Prop. XXXIV & XVI.

APPENDIX.

IN Appendice vult *auferre præjudicia, quæ impedire poſſint, quo minus homines rerum concatenationem eo, quo ipſam explicuerit, modo amplecti poſſint*: Sed non præjudicia impediunt, verum defectus

multiplex in demonſtrationibus, quem oſtendimus ſuis locis. Duo autem p. 34. refert præjudicia : *Quod communiter ſupponant homines, omnes res naturales, ut ipſos, propter finem agere*, id quod fatendum omnino eſt, idque oritur ex eo, quia omnibus rebus appetitum aliquem adeoque cognitionem attribuunt, atque ita non ſatis diſtinguunt inter rem cogitantem & extenſam; à quo tamen vitio nec ipſe plane eſt immunis; non quidem, quod omnibus rebus appetitum adeoque cogitationem attribuat, ſed quod rebus cogitantibus auferendo Liberum Arbitrium, non minus eas ad unum intrinſecus determinatas concipiat, ac res extenſas, quod & ex antecedentibus jam eſt manifeſtum & ex ſequentibus plenius adhuc patebit. Alterum eſt, *quod ipſum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere ſtatuant*, eo *quod dicant, Deum omnia propter hominem, hominem autem, ut ipſum coleret*; in quo vera mixta ſunt falſis, quæ ut detegamus obſervemus, Spinozam ipſum p. 36. agnoſcere, quod *diſtinguant Theologi & Metaphyſici inter finem indigentiæ & aſſimilationis*. Per hanc autem diſtinctionem volunt, Deo non competere finem indigentiæ, non Deum indiguiſſe rebus iſtis, adeoque Deo non eodem ſenſu competere finem, quo homines propter finem agunt, ſui nimirum commodi cauſa, ſed tantum ex ſuperabundantia ſuæ bonitatis & ſummæ perfectionis voluiſſe Deum ſibi hominem aſſimilare, ſicque voluiſſe ut homo ſe glorificaret, & ſuam ſapientiam, potentiam, bonitatem, juſtitiam, miſericordiam in æternum laudaret; quoniam autem ad hoc certa quædam media inſerviunt, hoc autem eſt ultimum illud, quod homo per iſta media conſequitur, non male Theologi illud ultimum nomine finis deſignant, quamvis in eo ſit maxima differentia, quod homo finem ſpectet tanquam aliquod ſui commodum, non ita Deus. Sed vir ille Deum cum mundo confundens, quod in ſuperioribus eſt obſervatum, illum concipit tanquam rem aliquam brutam intellectu & voluntate deſtitutam, (id enim expreſſe docentem ipſum ſuperius vidimus) adeoque non intelligentem, non volentem, nulla ſapientia nulla ſcientia præditum, quamvis in eo iterum ſibi contradicat, quod tamen cogitationem Deo aſſignet. Unde in noſtro Commentario de Deo demonſtrabimus, Intellectum & Voluntatem Deo non poſſe detrahi vel denegari, adeoque Deum ſic agentem eſſe concipiendum, uti ipſum Scriptura revera concipit & deſcribit. Dein negamus Theologos vel Metaphyſicos ſtatuere, Deum omnia feciſſe

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

propter hominem, eo ſenſu, ac ſi homo à Deo fuerit conſideratus tanquam finis rerum omnium & ſingularum, quæ ſunt in cœlo & in terra, adeoque omnes creaturæ tantum ideo fuerint factæ, ut homini inſervirent, etiam illæ, quas homo nullus unquam cognovit vel cogniturus eſt,& quæ propterea nullo plane modo unquam inſervient homini ulli.

Sed ſequamur Spinozam pergentem p. 34. Tria ſibi proponit in ſequentibus tractanda: *Primo quærendam cauſam, cur plerique hoc in præjudicio acquieſcant & omnes natura adeo propenſi ſint ad idem amplectendum. Dein ejuſdem falſitatem ſe oſtenſurum, & tandem quomodo ex hoc orta, ſint præjudicia de* bono & malo, merito & peccato, laude & vituperio, ordine & confuſione, pulchritudine & deformitate, *& de aliis hujus generis.* Primum ſic facit, ut *pro fundamento capiat id, quod apud omnes homines debet eſſe in confeſſo; nempe hoc, quod omnes homines rerum cauſarum ignari naſcantur, & quod omnes homines appetitum habeant ſuum utile quærendi, cujus rei ſunt conſcii.* Quod diffiteri utique nolimus, ſed inde tamen nondum ſequitur omne illud quod inde deducit. Hinc *primo* dicit ſequi *quod homines ſe liberos eſſe opinentur, quandoquidem ſuarum volitionum ſuique appetitus ſunt conſcii, & de cauſis, à quibus diſponuntur ad appetendum & volendum, quia earum ſunt ignari, ne per ſomnium cogitant.* Habet igitur illam opinionem pro falſa, *quod homines opinentur ſe liberos eſſe;* quod ſi ita intelligit, quatenus opinentur ſe eſſe indifferentes, ſe non determinari à Deo in ſuis volitionibus recte rejicit; ſi vero putet, homines à cauſis etiam externis & naturalibus ac corporeis ſemper & in omnibus ſuis actionibus determinari, id demonſtare melius debuiſſet, quam fecit, uti in ſuperioribus vidimus. Homines ſe liberos eſſe opinantur, hoc eſt ſe non invitos agere, ſe agere volentes, ſive ſe facere quæ volunt, quia iſtius rei ſunt intime conſcii, etſi ſciant, ſe in ſingulis ſuis volitionibus dependere à Deo & ab ipſo determinari, imo has ipſas volitiones à Deo effici & produci. Sed nos de hoc plenius egimus ad Defin. VII. *Secundo hinc ſequitur* juxta Spinozam, *homines omnia propter finem agere; videlicet propter utile, quod appetunt; unde fiat, ut ſemper rerum peractarum cauſas finales tantum ſcire expetant, & ubi ipſas audiverint, quieſcant; nimirum quia nullam cauſam habent ulterius dubitandi.* Quod in ſequentibus plenius deducit & declarat exemplis, in quo non habebit nos multum refragantes, quantum

attinet ad illa, quæ in communi ſic dicuntur ab ipſo. Hoc vero non poſſumus probare, quod inter errores reputet *Deum hæc, quæ hominibus inſerviunt, in eorum uſum paraviſſe.* Quamvis non mirum videri debeat nobis, hunc hominem ſic opinari. Nullam in Deo curam erga homines agnoſcit, nullam voluntatem, nullum decretum. Qui vero agnoſcit Deum omniſcium, omnium rerum curam habentem, is ea quæ homini ſunt utilia ſentit etiam ut talia à Deo cognita eſſe & ſic decreta & ordinata; nullo ergo modo hoc pro errore erat reputandum. Sed inquit p. 35. (nolo enim omnes minutias hic examinare.) *Cum inter tot naturæ commoda non pauca reperire debuerint incommoda, ſtatuerunt hæc propterea evenire, quod Dii irati eſſent ob injurias ſibi ab hominibus factas, ſive ob peccata in ſuo cultu commiſſa, & quamvis experientia oſtenderet, commoda atque incommoda piis æque ac impiis promiſcue evenire, non ideo ab inveterato præjudicio deſtitiſſe, ſed pro certo ſtatuiſſe, Deorum judicia hominum captum longiſſime ſuperare.* Sic ſub perſona Ethnicorum voluit perſtringere ſententiam Chriſtianorum, qui docent, ſi homo non peccaſſet vel nulla futura fuiſſe naturæ incommoda, vel Deum res ita fuiſſe gubernaturum, ut nulla homini nocerent; quod profecto non poteſt abſurdum videri ei, qui Deum non ut rem brutam ſed ut ens ſumma ſapientia,ſcientia & prudentia decorum concipiunt. Porro qui Deum infinitam ſapientiam cogitant habere, etſi videant *commoda atque incommoda piis æque ac impiis promiſcue evenire*, cum præterea noverint neminem ideo eſſe pium, quin ſibi conſcius ſit variarum infirmitatum, non mirantur, quod in hac vita idem ſit eventus, quum hæc incommoda illis inſerviant ad ducendum eos ad Deum, & ad expurgationem peccati & humiliationem carnis, ſintque caſtigationes quædam à Deo benigno Patre ſuis immiſſæ, ne cum impio mundo damnentur ac pereant, in impiis vero ſint initia afflictionum & pœnarum, quarum cumulum ſentient poſt hanc vitam. Simul quoque agnoſcunt, Deum qui ſit infinitus ſuo finito captu non poſſe comprehendi, ſicque illum multa poſſe agere ſapientiſſime, quorum tamen rationes illi non intelligant.

Secundum aggreditur p. 36. & oſtendendum ſibi proponit, *naturam finem nullum ſibi præfixum habere, & omnes cauſas finales nihil niſi humana eſſe figmenta*, quod ſi intelligit de rebus naturalibus, uti ſupra locutus eſt, oppoſite ad res intelligentes, quales ſunt homines, adeo-

adeoque de rebus materialibus & brutis pro vero eſt habendum. Sed cum ad Deum ipſum hoc quoque in ſequentibus videtur extendere velle, videamus, quid poſſit ſuis ratiociniis evincere. Putat refutationem hujus erroris *jam patere ex Prop. 6. & Corollario Propoſitionis* 32. Sed illa Propoſitio XVI. eo ſenſu, quo ab ipſo eſt prolata, falſitatis eſt convicta, ut & Corollarium utrumque Prop. XXXII. Neque vero negari debet, *omnia Naturæ æterna quadam neceſſitate procedere*, etſi Deus agat propter finem, nam in ipſis illis decretis Dei eſt neceſſitas, uti in Commentario de Deo oſtenſum. Dicit, *hanc de fine doctrinam naturam omnino evertere. Nam id quod revera cauſa eſt, ut effectum conſiderat, & contra. Deinde id, quod natura prius eſt, facit poſterius*, quæ *per ſe manifeſta* dicit. Verum quid periculi eſt, ſi res una eademque diverſo reſpectu poſſit dici cauſa, alio effectus, alia ratione prior, alia poſterior. Quid abſurdi eſt, ſi dicas, inhabitationem domus eſſe finem ejus, qui exſtrui jubet domum, adeoque ſic cauſam omnium mediorum, quorum reſpectu, quatenus illa domus per iſta media conficitur, media illa ſunt domus ejuſdem cauſa? Sic, ut de Deo loquamur, quid abſurdi eſt ſi dicas celebrationem & glorificationem miſericordiæ divinæ in mente Dei ſpectatam, eſſe cauſam miſſionis Chriſti, vocationis ſalutaris electorum, eorundemque ſalvationis, quorum omnium alio ſenſu hæc Dei celebratio & glorificatio eſt effectum. Dicit præterea, hanc de fine doctrinam id *quod ſupremum & perfectiſſimum eſt, reddere imperfectiſſimum*, quod ſic probat. *Nam*, inquit, *ut ex Propoſitionibus* 21, 22, 23, *conſtat, ille effectus perfectiſſimus eſt, qui à Deo immediate producitur, & quo aliquid pluribus cauſis intermediis indiget, ut producatur, eo imperfectius eſt. At ſi res, quæ immediate à Deo productæ ſunt, ea de cauſa factæ eſſent, ut Deus finem aſſequeretur ſuum, tum neceſſario ultimæ, quarum de cauſa priores factæ ſunt, omnium præſtantiſſimæ eſſent.* Verum enim vero in propoſitionibus illis, quæ partim falſæ, partim obſcuræ ſunt, parum habere poteſt fundamenti. Nos putamus, omnem effectum immediate hactenus à Deo produci, quatenus omnis illa realitas, quam habet, à Deo plane pendet; adeoque ſive cauſæ ſecundæ interveniant, ſive non, nihil videmus obſtare, quo minus Deus poſſit æqualem, ſive eandem realitatem effectis concedere. Hic tamen libenter fatemur, nos in inquirendis finibus Dei ſapere debere ad ſobrietatem. Non ita audaces debemus eſſe, ut in rebus na-

naturalibus debeamus rimari fines Dei, cum fruſtraneus hic procul dubio ſit futurus labor, adeoque non à finibus, ſed à cauſis rerum naturalium eſt argumentandum; ſed illud non eo uſque eſt trahendum, ut dicamus, Deum non poſſe quædam ſpectare tanquam fines, ad quæ alia tanquam media dirigat & ordinet, uti hic conatur evincere Spinoza, neque negandi ſunt fines Dei, quos revelavit Scriptura. Non diffitemur igitur perperam agere eos, qui in rebus naturalibus inquirendis argumenta ſumunt à finibus, qua ratione ad ſcientiam earum, certum eſt, illos nunquam eſſe perventuros, quod jam olim à Carteſio obſervatum fuit. Sed & perperam agit Spinoza, quando p. 37. ſic abſolute dicit, eos, qui *ad Dei voluntatem confugiunt ad aſylum ignorantiæ confugere.* Si hoc enim ita intelligat, ut nunquam Dei voluntas, vel (ut ipſe, quamvis perperam loquitur,) Dei natura, ſit cauſa rei dicenda, Deus nullius rei erit cauſa immediata, quod pugnat contra ejus hypotheſes. Tandem progreditur ad tertium, quod propoſuerat ſibi p. 34. & conatur oſtendere, illud præjudicium, *quod omnia fiant propter hominem*, eſſe cauſam *præjudiciorum* aliorum; quæ dicit, *de bono & malo, merito & peccato, ordine & confuſione, pulchritudine & deformitate &c.* Sic ille p. 37. *Poſtquam homines ſibi perſuaſerunt, omnia, quæ fiunt, propter ipſos fieri, id in unaquaque re præcipuum judicare debuerunt, quod ipſis utiliſſimum, & illa omnia præſtantiſſima æſtimare, à quibus optime afficiebantur. Unde has formare debuerunt notiones, quibus rerum naturas explicarent, ſcilicet,* bonum, malum, ordinem, confuſionem, calidum, frigidum, pulchritudinem & deformitatem: *Et quia ſe liberos exiſtimant, inde hæ notiones ortæ ſunt, ſcilicet,* laus & vituperium, peccatum & meritum; *Sed has infra, poſtquam de natura humana egero, illas autem hic breviter explicabo.* Nos vero veſtigia ejus ſtricte ſequemur, ad quælibet ſuo in loco ipſi reſponſuri. *Nempe id omne*, ita pergit, *quod ad valetudinem & Dei cultum conducit*, bonum; *quod autem iis contrarium eſt*, malum *vocaverunt. Et quia ii, qui rerum naturam non intelligunt, nihil de rebus affirmant; ſed res tantummodo imaginantur, & imaginationem pro intellectu capiunt, ideo ordinem in rebus eſſe firmiter credunt, rerum, ſuæque naturæ ignari. Nam cum ita ſunt diſpoſitæ, ut cum nobis per ſenſus repræſentantur, eas facile imaginari, & conſequenter earum facile recordari poſſimus, eaſdem bene ordinatas; ſi vero contra, ipſas male ordinatas ſive confuſas eſſe dicimus. Et quoniam nobis ea præ cæteris grata ſunt, quæ facile*

ima-

imaginari poſſumus, ideo homines ordinem confuſioni præferunt; quaſi ordo aliquid in natura præter reſpectum ad noſtram imaginationem eſſet; dicuntque Deum omnia ordine creaſſe, & hoc modo ipſi neſcientes Deo imaginationem tribuunt; niſi velint forte, Deum, humanæ imaginationi providentem res omnes eo diſpoſuiſſe modo, quo ipſas facillime imaginari poſſent; nec moram forſan iis injiciet, quod infinita reperiantur, quæ imaginationem noſtram longe ſuperant, & plurima, quæ ipſam propter ejus imbecillitatem, confundunt. Sed de hac re ſatis. Nos non diffitemur, bonum & malum ſic ſumi, ut deſignent reſpectum ad noſtrum commodum vel incommodum; verum negamus, hanc notionem aliquod inferre præjudicium, quod ſi verum foret, oſtendendum hic fuiſſet, non eſſe conveniens, ut nos tales notiones formemus Fatemur libenter, iſtas notiones eſſe plane reſpectivas & naturam rerum non explicare, ſed jam ſuppoſita cognitione naturæ rerum abſolutæ nihil videtur impedire, quo minus illas ſub iſto reſpectu quoque conſideremus. Deum quod attinet fatemur nihil ipſi bonum eſſe, hoc eſt, nihil eſſe quod ipſi commodum, utilitatem, perfectionem conferre poſſit, adeoque per cultum ipſius nihil quicquam illi accedere poteſt. Deus eſt Ἀνενδεὴς, ſumme perfectus, noſtra ope non indiget, ſed hoc ipſum revera eſt bonum noſtrum, quando Deum colimus. Omnino ergo bonum omne relate ad nos, vel etiam generatim relate ad quaſvis creaturas eſt ſumendum. Omne bonum eſt reſpectivum & relativum ad illud, cui dicitur bonum. Sed nego, iſtam notionem eſſe ex eo ortam, *quod omnia ſint propter hominem.* Bonum eſt ejuſmodi perfectio, quæ rem, cui conceditur, exornat, & præ aliis in ſuo genere magis perfectum reddit. Bonum eſt menti, ut ſcientia & cognitione ſit prædita, ut de rebus quam plurimis recta formet judicia, quæ cum clara & diſtincta perceptione ſint conjuncta; bonum eſt eidem, ut amet & voluntate ſibi jungat rem ſumme perfectam, Deum Optimum Maximum, eo delectetur & magis magiſque cum eo uniri cupiat. Sic vero Deum colit, ſic ejus voluntati obſequitur, ſic facit ea, ad quæ lege divina eſt obſtricta & obligata. Hoc bonum eſt menti, non Deo; hinc ipſa mens commodum, perfectionem & ornamentum capit. Malum è contrario eſt menti, ſi ſcientia iſtiuſmodi ſit deſtituta, ſi laboret multarum rerum ignorantia, malum eſt menti ſi erroribus ſit infecta, vel multis dubiis involuta, ſi amore feratur erga lutum, erga mundum, ſi jungat ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

voluntate cum creaturis, eas concupiſcat, iis delectetur & gaudeat, totaque illis ſit innexa. Bonum eſt corpori humano ſi ſit commodum animæ habitaculum, ſi inſerviat uſibus ipſius, ſi promtum ſit organum ad implenda ejus juſſa, adeoque ſi robore & valetudine ſit præditum. Has notiones, has cogitationes etiam habere poteſt is, qui non ſtatuit, omnia abſolute facta eſſe propter hominem; non enim inter ſe invicem ullo firmo nexu cohærent. Nec video, quomodo notio ordinis & confuſionis magis dependeat ex imaginatione, quam notio boni & mali ex eo, quod omnia propter hominem ſint facta. An ergo non poſſumus ordinem concipere in rebus, quas pure intelligimus? An in rebus intellectualibus non eſt prius & poſterius? An in demonſtrationibus mathematicis non alia priora ſunt poſterioribus? an non poſteriora ex prioribus deducuntur & fluunt? an non in ipſis etiam rebus materialibus circa quas verſatur imaginatio, ordo quid prius eſt memoria? nam propterea earum facile recordari poſſumus, quia bene ſunt ordinatæ, non vero *quia facile poſſumus eas imaginari, adeoque illarum rerum recordari, ideo dicimus bene ordinatas*, ut Spinoza loqui amat: Conceptus iſtius viri valde fuerunt intricati, qui tamen aliorum conceptus & notiones reformare audet. Cum autem, ut oſtenſum, ordo etiam habeat locum in iis, quæ ſolum intellectu capiuntur, & ordo potius inſerviat commodæ imaginationi & memoriæ rerum materialium, vel etiam abſolute memoriæ quarumvis rerum, non eſt, quod notionem pulchri vel ejus, quod nobis eſt *gratum*, derivemus ex iis, quæ *facile poſſumus imaginari*, quaſi tantum in imaginationis objectis habeant locum; pulchra enim etiam poſſunt dici ea, quæ grata ſunt menti, & in quibus plures mens reperit perfectiones, etſi tantum ſint intelligibilia. Quod ſi tamen pulchritudinis vox uſurpetur de rebus corporeis, fateor, eam ſenſum habere relativum vel ad paucorum hominum oculos, ut paucis videantur pulchra, quæ ab aliis æſtimantur deformia, vel ad plurium, ut communi conſenſu pulchra judicent quædam. Nec improbo, quæ habet ep. LVIII. p. 571. *Pulchritudo non tam objecti, quod conſpicitur, eſt qualitas quam in eo, qui conſpicit, effectus. Si noſtri oculi eſſent vel longiores, vel breviores, aut noſtrum aliter ſe haberet temperamentum, ea, quæ pulchra, deformia, ea vero quæ nunc deformia pulchra nobis apparerent. Pulcherrima manus, per microſcopium conſpecta terribilis apparebit. Quædam procul viſa, pulchra, & è propinquo conſpecta de-*

deformia ſunt: Adeo ut res in ſe ſpectatæ vel ad Deum relatæ, nec pulchræ, nec deformes ſint. Non ergo poteſt hæc eſſe cauſa, *quare homines ordinem confuſioni præferant, quia ea præ cæteris grata ſunt, quæ facile imaginamur*, ſed quia ordo ſervit ad diſtinctos formandos conceptus, qui non poſſunt non menti eſſe grati & accepti, quum ad ſuam perfectionem faciant quam maxime; ordo vero in natura non quidem eſt aliquid præter reſpectum rerum inter ſe invicem, quo fit ut aliæ ut priores, aliæ ut poſteriores conſiderentur, ſed eſt tamen *aliquid præter reſpectum ad noſtram imaginationem*. Nec ſequitur, quod qui dicunt, *Deum omnia ordine creaſſe, Deo neſcientes imaginationem tribuant*, cum ordo etiam in iis, quæ intelliguntur tantum, locum habere queat. Quod ſi vero ordo in ſolam cadit imaginationem cum ipſe Spinoza in antecedentibus videatur aſſeruiſſe, aliqua immediate alia mediate à Deo eſſe producta, utique illa, quæ immediate creavit, concipit ut priora, reliqua ut poſteriora, ſicque ipſe fateri debet, Deum ordinem obſervaſſe, unde & ipſe Deo neſciens imaginationem tribuiſſe eſt cenſendus. Sic & nos ſatis ad hæc videmur reſpondiſſe, nec operæ pretium videtur, ut in reliquis ſimus prolixi.

Quæ ſequuntur p. 38 & 39. non magni ſunt momenti. Quid pulchrum dicatur, quid deforme, jam ex antecedentibus poteſt eſſe manifeſtum. Neque video, quid ad pulchritudinem rei faciat, *ſi motus, quem nervi ab objectis per oculos repræſentatis valetudini conducat, & ad deformitatem, ſi motus ſit contrarius*: Nec enim puto, quod objecta pulchra vel deformia quicquam faciant ad ſanitatem. De cætero facile concedo in communi ſermone objecta denominari à relatione ad ſenſus, & ſic dici *odorifera, fœtida, dulcia aut amara, ſapida aut inſipida dura aut mollia, aſpera aut lævia* &c. quod ſi fiat de objectis, quæ revera ſenſus noſtros afficiunt, habet ſuam veritatem: Sed fateor in eo à vulgo peccari, ſi transferant vel ad ea, quæ ſenſibus non obverſantur, vel ſi etiam iis ſenſum tribuant, quibus revera non convenit ut, ſi *Deum* quis concipiat *harmonia delectari*. Sed exinde nihil aliud poteſt evinci, quam à vulgo non intelligi rerum naturas & eſſentias, ſed eas tantum conſiderari ut relatas ad ſenſus, ſed propterea non erat abſurda illa ſententia de Deo, quam tradidit Spinoza, excogitanda, cum remedium erroribus vulgaribus à Carteſio ſufficiens fuerit exhibitum. Probamus interea, quæ habet in fine appendicis: *Rerum perfectionem ex ſola rerum natura & potentia eſſe æſtiman-*

mandam, nec ideo res magis aut minus perfectas eſſe, propterea quod hominum ſenſum delectant vel offendunt, quod humanæ naturæ conducunt, vel quod eidem repugnant. Quod etiam reſpondet *iis, qui quærunt: Cur Deus omnes homines non ita creavit, ut ſolo rationis ductu gubernarentur?* nempe; *quia ei non defuit materia ad omnia, ex ſummo nimirum ad infimum perfectionis gradum creanda,* non improbamus ſi dextre intelligatur, quamvis alteram ejus locutionem Propoſ. XVI. fundatam, quam ſuperius refutavimus, non approbemus.

Atque ita vidimus I.Partis demonſtrationes,quas valde imbecillibus fundamentis deprehendimus nixas, quibus cum magnam partem nitatur Pars II. facile illa vel ſponte ſua corruet. Quia tamen particularia quædam & ſpecialia in iis ſunt, quæ particulares noſtras merentur obſervationes, illam quoque in ſequentibus aggredimur examinandam.

PARTIS SECUNDÆ

ETHICÆ SPINOZÆ EXAMEN.

In qua dicit Spinoza p. 40. *Se ea ſolummodo* explicaturum, *quæ nos ad mentis humanæ, ejuſque ſummæ beatitudinis cognitionem quaſi manu ducere poſſunt.* Nos ea ergo examinemus & expendamus.

EXAMEN DEFINITIONUM.

DEFINITIO I.

Per corpus intelligo modum, qui Dei eſſentiam, quatenus ut res extenſa conſideratur, certo & determinato modo exprimit. Vide Corol. Prop. 25. P. I.

HOc Corollarium cum falſiſſimum eſſe oſtenderimus hæc ejus definitio plane evaneſcit & fragiliſſimum erit fundamentum omnium eorum, quæ in ſequentibus ſuper ea exſtruentur. Ne nunc dicamus, definitionem, cui tanquam fundamento debeat inniti natura rerum, non debere eſſe ex earum genere, *quæ tantum ad examinandum proponuntur*, ſive, *quæ explicant rem, prout à nobis concipitur, vel concipi poteſt*, qualem hanc ſuam eſſe modus loquendi plane infert, de eo enim ab initio jam egimus. Hoc tantum adhuc obſervamus, ne quidem iſtam definitionem poſſe haberi in earum genere, *quæ rem explicant prout concipi poteſt.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

teſt. Sunt enim contradictoria, conſiderare *Dei eſſentiam ut rem extenſam*, cum extenſio à Dei conceptu, utpote dependentiam inferens & minorem perfectionem, quam habet id, quod ſemetipſum actuat, adeoque imperfectionem aſſignans, plane ſit removenda. Etiam intelligi non poteſt, quomodo in Deo modus locum habere poſſit, quod jam ſuperius obſervavimus.

DEFINITIO II.

Ad eſſentiam alicujus rei id pertinere dico, quo dato res neceſſario ponitur, & quo ſublato res neceſſario tollitur; vel id, ſine quo res, & vice verſa quod ſine re nec eſſe nec concipi poteſt.

QUam libenter admittimus.

DEFINITIO III.

Per ideam intelligo mentis conceptum, quem mens format, propterea quòd res eſt cogitans.

HUic etiam contradicere nolo, ut nec ejus explicationi, quam adjungit: *Dico potius conceptum, quam perceptionem, quia perceptionis nomen indicare videtur, mentem ab objecto pati. At conceptus actionem mentis exprimere videtur.*

DEFINITIO IV.

Per ideam adæquatam intelligo ideam, quæ quatenus in ſe ſine relatione ad objectum conſideratur, omnes veræ ideæ proprietates, ſive denominationes intrinſecas habet.

HÆc definitio admodum eſt obſcura, imo tantum abeſt, ut naturam ideæ adæquatæ explicet, ut potius ab ea quam longiſſime videatur aberrare. Quid enim erit idea ſine relatione ad objectum? Sic nihil differt à cogitatione materialiter tantum conſiderata, ſive quatenus eſt actus quidam mentis: At varii ſunt mentis actus, affirmare, negare, dubitare, velle, nolle, à quibus omnibus idea diſtinguitur, quatenus eſt rei repræſentamen, adeoque ad naturam ideæ relatio requiritur. Tantum ergo abeſt, ut idea adæqua-

ta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ta poſſit concipi ſine relatione ad objectum, ut ne quidem ſine ea poſſit eſſe idea: quin imo ex vi vocis *adæquata* debet intelligi id, ad quod refertur, & cui adæquatur. Quilibet etiam per illam vocem intelligit talem ideam; quæ plane in omnibus ipſi objecto adæquetur, ſive, quæ ipſum objectum plene & perfecte exhauriat, ut nihil ſit plus minusve in objecto quam eſt in idea. Nec intelligi poteſt, quænam ſint ideæ proprietates intrinſecæ, niſi eæ, quæ ſunt cogitationis, quatenus eſt cogitatio, quas tamen non declarat Auctor. Tantum dicit: *Intrinſecas ſe dicere, ut illam ſecludat, quæ extrinſeca eſt, nempe convenientiam ideæ cum ſuo ideato*, quod tamen in antecedentibus jam ſecluſerat, eo ipſo quo dixerat, ſe eam conſiderare ſine relatione ad objectum, ut ſic tautologica admodum videatur iſta definitio. Etiam non capio, quænam ſint denominationes intrinſecæ, cum omnes denominationes, eo ipſo quo tales extrinſecæ videantur dicendæ. Sed mentem hujus definitionis intelligere poſſumus ex demonſtratione Prop. 17. V. ubi docet, ideam veram eſſe ideam adæquatam; idea autem vera eſt clara & diſtincta, prout poſſumus intelligere ex iis, quæ habet Spinoza de Emendatione Intellectus p. 376. hæc autem clara & diſtincta ipſi propterea appellatur adæquata, quia mens in ea notum ab ignoto diſtinguit. Ita p. 379. inquit: *Simplices ideæ quicquid affirmationis continent earum adæquat conceptum, nec ultra ſe extendit.* Adjiciamus ea quæ legimus initio epiſt. LXIV. p. 589. *Inter ideam veram & adæquatam nullam aliam differentiam agnoſco, quam quod nomen veri reſpiciat tantummodo convenientiam ideæ cum ſuo ideato; Nomen adæquati autem naturam ideæ in ſe ipſa, ita ut revera nulla detur differentia inter ideam veram & adæquatam præter relationem illam extrinſecam. Jam autem ut ſcire poſſim, ex qua rei idea ex multis omnes ſubjecti proprietates poſſint deduci, unicum tantum obſervo, ut ea rei idea, ſive definitio cauſam efficientem exprimat.* Iis autem quæ porro ſubjungit innuit, eam ſe intelligere ideam, quæ rei eſſentiam exprimit. Verum enim vero quid opus erat tot ambagibus, & quidni potius illam ideam appellavit claram & diſtinctam, quæ eſſentiam rei exprimit, idque explicavit exemplis p. 589. adductis.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

DEFINITIO V.

Duratio eſt indefinita exiſtendi continuatio.

HAnc definitionem ſic explicat ut dicat, *ſe eam indefinitam appellare, quia per ipſam rei exiſtentis naturam determinari nequaquam poteſt, neque etiam à cauſa efficiente, quæ ſcil: rei exiſtentiam ponit, non autem tollit.* Verum enim vero cum vocabulum rei ita late accipiat, ut etiam comprehendat modos, cujuſmodi juxta ipſum ſunt omnia, quæ à Deo ſunt producta, & certum ſit, multas creaturas eſſe deſinere, ſaltem multos modos eſſe deſinere; Ergo neceſſarium eſt, ut determinentur vel per rei naturam vel per cauſam efficientem. Nec abſonum videri debet, aliquid eſſe deſinere per ceſſationem cauſæ efficientis vel etiam naturam rei.

DEFINITIO VI.

Per realitatem & perfectionem idem intelligo.

HUic non contradico.

DEFINITIO VII.

Per res ſingulares intelligo res, quæ finitæ ſunt & determinatam habent exiſtentiam. Quod ſi plura individua in una actione ita concurrant, ut omnia ſimul unius effectus ſint cauſa, eadem omnia eatenus, ut unam rem ſingularem, conſidero.

HÆc definitio excludit Deum, ut nequeat haberi pro re ſingulari, cum tamen per ſuam infinitam eſſentiam quam maxime diſtinguatur à quavis alia re. Ideoque non poſſum iſtam definitionem aliter admittere, quam prout ſpectat res creatas.

EXA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EXAMEN AXIOMATUM.

AXIOMA I.

Hominis eſſentia non involvit neceſſariam exiſtentiam, hoc eſt, ex naturæ ordine tam fieri poteſt, ut hic & ille homo exiſtat, quam ut non exiſtat.

AXioma ipſum in ſe conſideratum verum eſt, ſed explicatio adjecta efficit, ut hoc ſenſu nequeat admitti, ſaltem juxta hypotheſin Spinozæ. Si enim hoc ſenſu verum ſit iſtud axioma, hominis exiſtentia plane erit contingens, quod cum Prop. 29. Partis I. plane pugnat.

AXIOMA II.

Homo cogitat.

HOc axioma libenter admittimus.

AXIOMA III.

Modi cogitandi, ut amor, cupiditas, vel quicunque nomine affectus animi inſigniuntur, non dantur, niſi in eodem individuo detur idea rei amatæ, deſideratæ &c. At idea dari poteſt, quamvis nullus alius detur cogitandi modus.

HOc axioma, quoad primam partem, eſt extra omne dubium: Poſteriorem partem quod attinet, vera eſt illa de ideis quibuſdam, non de omnibus; quæ enim valde clare & diſtincte menti offeruntur ſæpe non poſſunt eſſe ſine aliquo alio cogitandi modo: Sic idea Dei clara & diſtincta non poteſt eſſe ſine affirmatione, ſine amore &c.

AXIOMA IV.

Nos corpus quoddam multis modis affici ſentimus.

HOc verum eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

AXIOMA V.

Nullas res ſingulares præter corpora & cogitandi modos, ſentimus, nec percipimus.

Iſtud eſt verum quoad primam partem, non quoad poſteriorem, Deum enim quoque percipimus, qui res eſt quam maxime ſingularis.

EXAMEN PROPOSITIONUM.

PROPOSITIO I.

Cogitatio attributum Dei eſt, ſive Deus eſt res cogitans.

IStam Propoſitionem libenter admitto, ſed ex alio plane fundamento, quam illo, cui ipſam ſuperſtruit Spinoza. Nititur illa Corollario Prop. 25. Part. I. quod falſiſſimum eſſe ſupra obſervavimus. In Scholio tamen meliorem habet demonſtrationem, nimirum, *quod nos poſſumus ens cogitans infinitum concipere. Nam quo plura ens cogitans poteſt cogitare, eo plus realitatis ſive perfectionis idem continere concipimus &c.* quæ vide apud Autorem; qui tamen etiam hic non poteſt, quin ſuas intermiſceat hypotheſes, ut, quando Deum concipit tanquam Ens, quod habet infinita attributa, quæ concipit tanquam realiter à ſe invicem differentia.

PROPOSITIO II.

Extenſio attributum Dei eſt, ſive, Deus eſt res extenſa.

FAlſiſſima eſt iſta Propoſitio, & demonſtratio, ſimilis priori nitens Prop. 25. corollario, quod falſiſſimum eſſe oſtendimus. Sed & ſuperius ad definit. VI. Partis I. ea de re egi, hic tantum addo, nullo modo poſſe extenſionem cadere in Deum, nec poſſe extenſionem pro attributo divino haberi. Dicit Spinoza de intellectus emendatione p. 374. *Poſtquam novimus naturam animæ, non poſſumus fingere, eam eſſe quadratam, quamvis omnia verbis poſſimus effari*; ſimiliter p. 377. *Poſtquam novi naturam circuli ac etiam quadrati jam non poſſum ea*

duo componere & circulum facere quadratum. Ita & ego hic dico: Poſtquam novi naturam Dei & naturam extenſionis, non poſſum dicere Deum extenſum. In Natura Dei neceſſario concipio abſolutam & ſummam perfectionem, eamque in quovis ejus attributo neceſſario contemplor, adeoque comparationem inſtituendo attributorum divinorum inter ſe invicem, nullum reperio, quod majorem perfectionem habeat altero. Certum autem eſt, me in extenſione reperire minorem longe perfectionem, quam eſt in cogitatione. Cogitatio eſt actus, quem anima in ſe ipſa format, idque vel ex ſe ipſa, quando ſe non ſentit à corpore ad illum impelli, vel ſaltem in ſe ipſa, quando ad eum corpore impellitur. Nec enim iſtam in anima perceptionem ſive cogitationem corpus format virtute propria, ſed animam impellit, ut id faciat; quando autem id facit anima intra ſe ejus quoque ſibi conſcia eſt, at extenſio meram dependentiam aliunde infert & paſſive ſe habet: Hæc autem eſt minor perfectio, quam quæ reperitur in actu, qui ſic quaſi in ſeipſum replicatur, quatenus conſcientiam habet. Major autem hæc procul dubio eſt perfectio, quam ea, quæ in extenſione reperitur. Non igitur poteſt extenſio eſſe Dei attributum. Diſtinguit Spinoza p. 525. id, quod in ſuo genere indeterminatum & perfectum eſt, ab eo, quod abſolute indeterminatum & perfectum eſt: Atqui extenſio non eſt abſolute indeterminata & perfecta; ſi enim talis foret ſua ſufficientia exiſteret; hæc vero ſufficientia in extenſione non reperitur. Præterea ſtatuit Spinoza Deum eſſe ens ſimplex non vero ex partibus compoſitum: Atqui hoc dici non poteſt de extenſione: Omnem enim extenſionem ſuperius demonſtravimus eſſe diviſibilem in partes. Quoniam autem Deus eſt ens ſimplex, omnia ejus attributa erunt ipſe Deus, Dei omniſcientia eſt ipſe Deus, & ſic de aliis. Quis vero dixerit, extenſionem eſſe Deum, quis ipſam extenſionem infinitam Deum dicet? ſed non lubet in retundenda tam abſurda ſententia, qua illa, quæ tanto intervallo inter ſe invicem differunt, adeo confunduntur, diutius immorari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO III.

In Deo datur neceſſario idea, tam ejus eſſentiæ, quam omnium, quæ ex ipſius eſſentia neceſſario ſequuntur.

HAnc propoſitionem ſano ſenſu intellectam, modo non ſupponat, creaturas neceſſario ex Dei eſſentia ſequi, admittere poſſumus. At ex demonſtratione Prop. V. apparet, hoc velle Spinozam, *Deum ideam ſuæ eſſentiæ, & omnium, quæ ex ea neceſſario ſequuntur, formare poſſe ex hoc ſolo, nempe, quod Deus eſt res cogitans, & non ex eo quod ſit, ſuæ ideæ objectum.* Hæc enim duo conjungenda erant non opponenda; niſi enim hoc poſterius quoque adſit, poterit dici, Deum formare poſſe ideam ſuæ eſſentiæ & attributorum non convenientem cum iiſdem, quod utique eſt abſurdum. Demonſtratio ejus nititur Prop. 16. 35. & 15. I. quas omnes pro falſis habemus. Scholium, quod ſubjungit, repetit ea ad quæ jam in ſuperioribus reſpondimus, ſcilicet Coroll. I & II. Propoſ. 32. I. & Propoſ. 16. I. Putat autem *vulgus male comparare Dei potentiam cum potentia Regum*, quod verum eſt, quatenus Deo non plus attribuit, quam regibus, ſed non tamen negandum videtur, quod potentia Dei in aliquo tertio poſſit comparari cum potentia regum, quemadmodum fit ab ipſa Scriptura, quæ Deum appellat Regem Regum & Dominum dominantium. Provocat & vult expendi ea, quæ ad Prop. 16. Part. I. dicta fuerunt, ad quæ nos ibi reſpondimus.

PROPOSITIO IV.

Idea Dei, ex qua infinita infinitis modis ſequuntur, unica tantum eſſe poteſt.

HÆc Propoſitio veriſſima eſt, ſed non propter demonſtrationem Spinozæ, quæ nititur Prop. 30. Part. I. & Coroll. 1. Prop. 14. part. I. quæ falſa ſunt ambo. Sequuntur autem ex idea Dei infinita infinitis modis, quatenus illa idea Dei non differt ab efficaci Dei voluntate, à qua omnia dependent, cum in Deo intelligere & velle ſint idem.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO V.

Eſſe formale idearum Deum, quatenus tantum ut res cogitans conſideratur, pro cauſa agnoſcit, & non, quatenus alio attributo explicatur. Hoc eſt, tam Dei attributorum, quam rerum ſingularium ideæ non ipſa ideata, ſive res perceptas pro cauſa efficiente agnoſcunt; ſed ipſum Deum, quatenus eſt res cogitans.

VErum eſt, Deum poſſe dici cauſa ſuarum idearum, quatenus eſt res cogitans; etiam verum eſt, res ſingulares ſive creaturas non poſſe eſſe cauſas Dei idearum, quia ſic Dei cognitio ab illis dependeret, attamen Dei attributa ſunt cauſæ exemplares illarum idearum, quas Deus de ſuis attributis habet. Demonſtratio nititur Prop. III. quam eo ſenſu, quo hic illam urget, rejecimus. Addit aliam demonſtrationem, quæ nititur Corollario Prop. 10. Part. I. quæ falſa oſtendimus.

PROPOSITIO VI.

Cujuſcunque attributi modi Deum, quatenus tantum ſub illo attributo, cujus modi ſunt; & non, quatenus ſub ullo alio conſideratur pro cauſa habent.

HÆc Propoſitio ſupponit, reliqua quæ præter Deum ſunt, eſſe tantum modos divinæ ſubſtantiæ, prout conſideratur vel ut cogitans vel ut extenſa, quæ omnia pro falſis habeo. Verum eſt alias, Deum eſſe cauſam omnium rerum, ſed non eſt cauſa corporum, prout eſt extenſus, quia extenſus non eſt, quod tamen hic ſupponitur; unde merito hæc Propoſitio inter falſas debet referri. Demonſtratio eâdem nititur falſa hypotheſi, quod nempe Deo æque competat infinita extenſio, ac ei adſcribenda eſt infinita cogitatio. Vide ea quæ annotavimus ad Prop. 10. Part. I. Corollarium eſt, *quod eſſe formale rerum, quæ modi non ſunt cogitandi, non ſequitur ideo ex divina natura quia res prius cognovit; ſed eodem modo eademque neceſſitate res ideatæ ex ſuis attributis conſequuntur & concluduntur ac ideas ex attributo cogitationis conſequi oſtendimus.*

Corollarium hoc concedimus rite ſequi, ſed cum & Propoſitio,

& hypotheſis, cui innititur, æque ſint falſæ, non poteſt verum eſſe Corollarium, quod in iis fundatur.

PROPOSITIO VII.

Ordo & connexio idearum idem eſt, ac ordo & connexio rerum.

HÆc Propoſitio ſano quodam ſenſu concedi poteſt. Sed ille, uti ex Corollario patet, hic intelligit per ordinem & connexionem rerum, quod omnia ex Dei natura conſequantur citra ejus decretum, quæ iterum eſt falſa hypotheſis, unde & hæc Propoſitio pro falſa eſt habenda.

Corollarium, quod ſubjungit, eſt: *quod Dei cogitandi potentia æqualis eſt ipſius actuali agendi potentiæ. Hoc eſt, quicquid ex infinita Dei natura ſequitur formaliter, id omne ex Dei idea eodem ordine, eademque connexione ſequitur in Deo objective.* Ubi dubitari poteſt, an prius concipiat Corollarii auctor, *aliquid ſequi ex Dei natura formaliter, &* poſterius, *aliquid ſequi ex Dei idea objective*, quod credo ipſum velle. Sic ſenſus erit: Sicut ex Dei natura formaliter ſequuntur mentes finitæ & corpora: ita in idea Dei, quam ipſe Deus format, repræſentatur Dei natura & omnia illa, quæ ex Dei natura formaliter ſequuntur; & ſimiliter dum ego Dei ideam formo, neceſſe habeo cogitare de ipſo, ut de ſubſtantia, & de mentibus finitis & corporibus tanquam de iſtius ſubſtantiæ modis. Hæc autem, uti patet, nituntur hypotheſi, quæ jam ſuperius refutata fuit.

In Scholio revocat in memoriam id, quod jam antea falſitatis fuit convictum, nempe, *ſubſtantiam cogitantem & extenſam unam tantum eſſe ſubſtantiam.* Obſervat præterea, *modum extenſionis, & ideam illius modi unam eandemque eſſe rem, ſed duobus modis expreſſam.* Id exemplo declarat: *Circulum in natura exiſtentem & ideam circuli exiſtentis, quæ etiam in Deo eſt*, dicit, *unam eandemque eſſe rem, quæ per diverſa attributa explicatur.* Sed hæc gratis aſſerit, non probat, non demonſtrat. Imo hoc procul dubio falſiſſimum eſt: nam idea circuli eſt quidam cogitandi modus, at circulus ipſe eſt quidam modus extenſionis, quæ profecto admodum ſunt diverſa, niſi nolit differre extenſionem & cogitationem, quę tamen ſuperius tanquam diverſa attributa conſideravit.

Mira vero ſunt, quæ in hoc Scholio ſubſequuntur: *Nec ulla alia*

alia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

alia de cauſa dixi, quod Deus ſit cauſa ideæ ex. gr. circuli, quatenus tantum eſt res cogitans, & circuli, quatenus tantum eſt res extenſa; niſi quia eſſe formale ideæ circuli non, niſi per alium cogitandi modum, tanquam cauſam proximam, & ille iterum per alium, & ſic in infinitum poteſt percipi. Quis enim hic capiat progreſſum illum in infinitum, ita citra ullam cauſam fictum & ſuppoſitum? Certum equidem eſt, *eſſe formale ideæ circuli per cogitandi modum percipi*, ſed non opus eſt, ut ille cogitandi modus iterum per alium cogitandi modum percipiatur: nam ille cogitandi modus eſt ipſum ideæ eſſe formale.

PROPOSITIO VIII.

Ideæ rerum ſingularium ſive modorum non exiſtentium ita debent comprehendi in Dei infinita idea, ac rerum ſingularium, ſive modorum eſſentiæ formales in Dei attributis continentur.

SUpponit hæc Propoſitio eandem hypotheſin, quam & præcedens *omnia nempe ex Dei attributis fluere & oriri*, qua ſublata eandem concidere neceſſe eſt. Fateor alias eam recte ex prioribus ſequi, uti & Corollarium quod ſubjunxit; & Scholium, quod adjecit.

Corollarium tamen conſideremus: *Hinc ſequitur quod quamdiu res ſingulares non exiſtunt, niſi quatenus in Dei attributis comprehenduntur, earum eſſe objectivum ſive ideæ non exiſtunt, niſi quatenus infinita Dei idea exiſtit, & ubi res ſingulares dicuntur exiſtere, non tantum, quatenus in Dei attributis comprehenduntur, ſed quatenus etiam durare dicuntur, earum ideæ etiam exiſtentiam, per quam durare dicuntur, involvent.* Cognoſcimus ex his, quæ ſit illa æternitas mentium noſtrarum, quam Parte V. docet, nihil nempe, niſi ipſum Dei attributum cogitationis & quod, quando illæ ſunt conjunctæ cum corporibus, dicantur durare reſpectu corporum, quia nihil aliud ſunt juxta Spinozam, quam ideæ corporis actu exiſtentis.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO IX.

Idea rei ſingularis, actu exiſtentis, Deum pro cauſa habet, non quatenus infinitus eſt; ſed quatenus alia rei ſingularis actu exiſtentis idea affectus conſideratur, cujus etiam Deus eſt cauſa, quatenus alia tertia affectus eſt, & ſic in infinitum.

HÆc Propoſitio ne quidem ſpeciem veri habet, nec intelligibilis quoque eſt. Per *ideam rei ſingularis* non puto ipſum intelligere ideam illam, quæ in nobis eſt, negat enim Prop. XIII. aliud eſſe objectum ideæ mentis humanæ, quam corpus. Sed forte tantum generaliter id ſumit eamque intelligit, tum prout in nobis, tum prout in Deo eſt. Quicquid ſit, hic proceſſus in infinitum quem ſupponit, intelligi nullo modo poteſt. Hæc idea rei ſingularis quæcumque etiam illa fuerit, ſupponit ideam iterum aliam rei ſingularis, idque in infinitum, ita ut nulla hic concipi poſſit prima; quod tamen nulla ratione convenit cum intellectu humano, qui ordinem aliquem debet habere in ſuis cogitationibus, ſine quo nihil diſtincte concipere poteſt. Sed videamus demonſtrationem, qua nititur iſta propoſitio. Primum nititur corollario & Scholio Prop. 8. II. quod cadit cadente Propoſitione VIII. Dein nititur Prop. 6. II. quæ itidem pro falſa fuit agnita. Fundatur quoque ſuper Propoſ. 28. I. quam abſurdiſſimam oſtendimus, ut & ſuper Prop. 7. hujus, quæ ejuſdem plane eſt valoris.

Corollarium: *Quicquid in ſingulari cujuſcumque ideæ objecto contingit, ejus datur in Deo cognitio, quatenus tantum ejuſdem objecti ideam habet*, non meliora habet fundamenta, quam ipſa propoſitio. Propoſitionem 3. ſenſu Spinoza acceptam rejecimus; præcedens propoſitio etiam falſa eſt, ut & Prop. 7. hujus, quæ reliqua ſunt fulcra, ſuper quibus hoc nititur corollarium. Videtur etiam hoc corollarium ſupponere, cognitionem Dei pendere ab objecto, cum natura rei prius ponat Dei volitionem, adeoque cognitionem, poſtea objectum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO X.

Ad eſſentiam hominis non pertinet eſſe ſubſtantiæ, ſive ſubſtantia formam hominis non conſtituit.

MEns iſtius Propoſitionis hæc eſſe videtur, quod homo non ſit ſubſtantia, ſed tantum ſubſtantiæ aliquis modus; ad quem ſenſum antecedentia manifeſte nos ducunt. Sed quæ nos in antecedentibus noſtris animadverſionibus annotavimus, ſatis convincunt hanc propoſitionem falſitatis. Demonſtratio fundatur Prop. 7. I. quæ falſiſſima fuit agnita; aliam demonſtrationem adjungit, quæ nititur Prop. 5. I. quæ itidem eſt falſa.

Hinc collabitur Corollarium, quod *eſſentia hominis conſtituatur à certis attributorum Dei modificationibus*, ſive, quod eſſentia hominis in modo conſiſtat. Et nititur præterea Prop. 15. I. & Corollario Prop. 25. I. quæ ut falſiſſima rejecimus.

Sed videamus Scholium hujus Prop. X. in quo videtur oſtendere velle unde ſit, quod non omnes hæc agnoſcant. Dicit: *omnes concedere debere, nihil ſine Deo eſſe, neque concipi poſſe: eſſe enim apud omnes in confeſſo, quod Deus omnium rerum tam earum eſſentiæ, quam earum exiſtentiæ unica ſit cauſa, hoc eſt, quod ſit cauſa rerum non tantum ſecundum fieri, ſed etiam ſecundum eſſe. At interim plerique id ad eſſentiam alicujus rei pertinere dicunt, ſine quo res nec eſſe nec concipi poteſt: adeoque vel Naturam Dei ad eſſentiam rerum creatarum pertinere, vel res creatas ſine Deo vel eſſe, vel concipi poſſe credunt, vel, quod certius eſt, ſibi non ſatis conſtant.* Velim ut Lector, repetat ea quæ ad Definitionem III, quæ eſt *ſubſtantiæ* Partis I. annotavimus, & videbit facile, hominem iſtum ſe & alios ludere & decipere ambiguitate vocis *eſſe*. *Eſſe* aliud eſt in cogitatis, aliud *eſſe* eſt in extantibus. *Eſſe in cogitatis* eſt idem quod *concipi*, nec ea inter ſe invicem diſtingui, multo minus opponi poſſunt. Quod vero eſt in cogitatis, ſive, quod poteſt concipi, non eſt etiam in extantibus: Multa enim concipi poſſunt, quæ non exiſtunt. Sed illud *eſſe* in extantibus adhuc duplici accipitur modo, vel, ut de eo dicere poſſimus, *eſſe per ſe*, vel ut dicamus, *eſſe in alio*; illud conſtituit naturam *ſubſtantiæ*, hoc vero naturam *Accidentis*. Quando ergo dicimus, *nihil ſine Deo eſſe, nec concipi poſſe*, nihil aliud his ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bis ſignificamus, quam nihil *eſſe in extantibus*, nullam rem nos poſſe concipere tanquam exiſtentem, quæ non debeat referri ad Deum, tanquam ad ſuam cauſam, quod etiam ipſe Spinoza concedit, & eundem in modum explicat. Sed quando dicimus, *id ad eſſentiam alicujus rei pertinere ſine quo res eſſe vel concipi non poteſt* (ita enim erat loquendum) nihil aliud volumus, quam nihil nos intelligere de re aliqua, niſi id intelligamus, quod ejus eſſentiam conſtituit, adeoque illud *eſſe* hic tantum ſignificat *eſſe in cogitatis*, cum prius ſignificet *eſſe in extantibus*. Sic extricata voce *eſſe* à ſua ambiguitate, non ſequitur, ſi nullam rem poſſumus concipere tanquam exiſtentem, quam non oporteat nos referre ad Deum, tanquam ad illius cauſam : Ergo Natura Dei pertinet ad eſſentiam rerum creatarum; quæ conſequentia ſic demum procederet : Si res creatæ non poſſint intelligi, ſi nihil intelligamus de re creata, niſi intelligamus Deum, tanquam ejus eſſentiam conſtituentem : Ergo Natura Dei pertinet ad eſſentiam rerum. At antecedens illud eſt quam falſiſſimum. Tantum vero abeſt, ut ſit dicendum Deum conſtituere formaliter eſſentiam rerum creatarum, quod dicit Spinoza in Corollario Prop. II. Part. II. ut potius è contrario ſit ſtatuendum, tantam eſſe diſtantiam inter rerum creatarum & Dei eſſentiam, quanta eſt inter finitum & infinitum, adeo ut revera poſſit formari conceptus rei creatæ, in quem formaliter non ingrediatur Deus, quamvis res creata extrinſecus ſpectata neceſſario ad Deum tanquam ad Creatorem & cauſam efficientem referatur. Vide etiam ea, quæ annotavimus ad Scholium Prop. VIII. Part. I. In ſequentibus conatur aperire originem iſtius erroris, quam dicit eſſe, *quod ordinem Philoſophandi non tenuerint, ſpectantes naturam divinam, tanquam ordine poſtremam, poſt ſenſuum objecta, unde factum ſit, ut, dum res naturales contemplati ſunt, de nulla re minus cogitaverint, quam de divina natura &c.* Sed error non eſt, quod negetur. *Naturam Dei ad eſſentiam rerum creatarum pertinere*, ſed errat qui hoc affirmat, cujus erroris originem nos jam antea obſervavimus. Etiam his addi poteſt, ad iſtum errorem maxime feciſſe, quod plane ille ordinem Philoſophandi turbaverit, incipiens à notionibus ſecundis & involucris rerum, quando res nullæ particulares adhuc fuerunt conſideratæ, prout ad Defin. I. Partis I. plenius annotavimus. At illum errorem ſe vitaſſe dicit in ſequentibus quando ſic concludit : *Meum intentum hic tantum fuit cauſam, reddere, cur non dixerim,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

rim, id ad eſſentiam alicujus rei pertinere, ſine quo res nec eſſe, nec concipi poteſt; nimirum, quia res ſingulares poſſunt ſine Deo nec eſſe, nec concipi; & tamen Deus ad earum eſſentiam non pertinet; ſed id neceſſario alicujus rei eſſentiam conſtituere dixi, quo dato res ponitur, & quo ſublato res tollitur: vel id, ſine quo res, & vice verſa id, quod ſine re nec eſſe nec concipi poteſt. Sic aperit, quo hæc omnia tendant, nimirum, ut perſuadeantur homines, creaturas pertinere ad eſſentiam Dei, quatenus ſint certæ quædam modificationes divinorum attributorum: nec tamen id conficitur per ipſius argumentum. Falſum enim eſt, quod dato Deo ponatur creatura, cum Deus fuerit, antequam ullæ eſſent creaturæ, quamvis id verum ſit ſano ſenſu, *quod ſublato Deo creatura tollatur*, quatenus nempe ceſſante cauſa ceſſat effectus, quovis momento ab illa cauſa dependens, falſum tamen eſt, ſi ita ſumatur ac ſi Deus ingrediatur eſſentiam creaturæ: poſſumus enim facere cujuſvis creaturæ conceptum, etſi de Deo nihil quicquam cogitemus.

PROPOSITIO XI.

Primum, quod actuale mentis humanæ eſſe conſtituit, nihil aliud eſt quam idea rei alicujus ſingularis actu exiſtentis.

HÆc Propoſitio in cenſum falſarum iterum eſt referenda. Juxta eam non exiſtet amplius mens humana, ſi contingat, ut illi non obſervetur idea rei alicujus ſingularis actu exiſtentis; & cum inter res ſingulares non referat Deum non erit mens humana, quando cogitat de Deo, ſive, quando habet ideam Dei, vel, dicendum erit, menti humanæ Dei ideam nunquam obverſari, quod adeo abſurdum eſt, ut hinc neceſſario ſit negandum, Spinozam de Deo unquam cogitaſſe, adeoque hunc librum, qui inter alia agit de Deo, conſcripſiſſe. Dicet fortaſſe, ſe hoc Primum dicere tantum, ſed non negare aliud; vel Secundum eſſe ideam Dei, quæ ex hoc primo poſſit concludi, id quod ex collatione Prop. 13. videmur poſſe colligere. Sed tunc dicendum eſſet ideam Dei non eſſe primitivam, quod abſurdum eſt admodum & oſtendendum, quomodo illa ex idea rei ſingularis actu exiſtentis poſſet derivari, quod non fecit, nec potuit facere. Sed videamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

deamus Spinozæ demonſtrationem. Nititur illa Corollario præcedentis Propoſitionis, quod falſiſſimum eſſe oſtendimus, ut & Coroll. Prop. 8. II. quod nixum falſa hypotheſi rejecimus. Et ſane falſum eſt, ipſam ideam rei non exiſtentis non poſſe dici exiſtere, ſi objectum non exiſtat, non enim licet argumentari ab eſſe in cogitatione ad eſſe in re: poteſt cogitari Paulus ſicque exiſtere in cogitatione, antequam exiſteret in re.

Dicit porro, *rei infinitæ ideam non poſſe conſtituere actuale mentis humanæ eſſe, quia res infinita neceſſario exiſtat, cum mens humana non exiſtat neceſſario* (huc enim ejus ratiocinatio tota reduci debet) verum nulla profecto eſt in hoc argumento conſequentia; confundit enim ideam rei infinitæ cum re ipſa infinita: etſi enim mens humana non exiſtat neceſſario, nihil tamen impedit, quo minus poſſit dici, ei, quando exiſtit, obverſari ideam rei infinitæ, idque longe majori jure, quam quo dicitur, ei obverſari ideam rei alicujus ſingularis actu exiſtentis.

Corollarium, quod hinc educit, omnes abſurditatis terminos excedit. *Hinc ſequitur*, inquit, *mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei; ac proinde, cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod Deus, non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, ſive, quatenus humanæ mentis eſſentiam, conſtituit, hanc vel illam habet ideam.* Si mens humana ſit pars Dei intellectus infiniti, igitur ille intellectus infinitus continebit mentes humanas infinitas numero, &, ſi quæ ſint aliæ mentes præter humanas: Etſi autem illæ ſint numero infinitæ, quælibet tamen ſeorſim conſiderata habebit perfectionem adeoque cognitionem finitam, & per conſequens non poterunt per ſuam conjunctionem componere aliquid, quod eſt infinitum, ſicque nunquam inde conficietur intellectus infinitus, qui eſt omniſcius; non enim ſcientia finita etſi alteri finitæ addatur in infinitum uſque unquam conficiet omniſcientiam.

Quomodo hoc Corollarium ex Prop. XI. ſequatur, non dicit Auctor, ſed facile tamen eſt illud intelligere ſcilicet, *ſi actuale mentis humanæ eſſe conſiſtit in ideæ rei alicujus ſingularis exiſtentis*: Ergo, cum in Deo ſint ideæ tum ſingularium rerum exiſtentium, tum aliarum quarumvis, mens humana, quæ tantum unam actu ideam habet, erit pars intellectus ſive mentis infinitæ Dei, Monet in Scholio, *ut*

lento

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

lento gradu lectores ſecum pergant, nec de his judicium ferant, donec omnia perlegerint, quod fecimus, nec id obſtitit, quo minus manifeſtas abſurditates deprehenderemus, neque id nos impedire potuit, quin eas oſtenderemus & demonſtraremus.

PROPOSITIO XII.

Quicquid in objecto ideæ, humanam mentem conſtituentis, contingit, id ab humana mente debet percipi, ſive ejus rei dabitur in mente neceſſario idea: Hoc eſt, ſi objectum ideæ, humanam mentem conſtituentis, ſit corpus, nihil in eo corpore poterit contingere, quod à mente non percipiatur.

HÆc Propoſitio falſa eſt iterum, & experientiæ manifeſte repugnat. Corpus noſtrum humanum ſupponit ille eſſe objectum talis ideæ, quæ humanam mentem conſtituit, quod falſum eſt. Quid certius quam quod multa contingant in noſtro corpore, quæ non percipimus. Diſpoſitiones illæ ad morbos, lentæ ſæpe, contingunt in noſtro corpore, nos tamen eas non ſentimus, ut non dicam de aliis infinitis corporis noſtri mutationibus, in quibus incrementum & decrementum corporis conſiſtit. Demonſtratio vero iis nititur ambagibus, à quibus videtur potuiſſe abſtinere. Quid enim opus erat, ut hic conſideraretur Dei cognitio, niſi, quod continuo voluerit inculcare & inſinuare, nos partem Dei eſſe. Quod autem corpus ſingulare conſtituat objectum ideæ humanam mentem conſtituentis, id in antecedentibus eſt refutatum.

PROPOSITIO XIII.

Objectum ideæ, humanam mentem conſtituentis, eſt Corpus, ſive certus extenſionis modus actu exiſtens & nihil aliud.

HÆc propoſitio iterum ſponte ſua cadit. Nititur Coroll. Prop. 9. & Prop. 11. hujus, quæ falſa à nobis ſunt demonſtrata. Conſtat autem ex ſcholio Prop. 21. II. ſenſum hujus propoſitionis eſſe, *mentem & corpus eſſe unum individuum, quod jam ſub cogitatio-*

nis jam ſub extenſionis attributo concipitur, de quo poſtea videbimus; ex demonſtratione vero Prop. 29. V. videtur conſtare, quod hæc duo conſtituant naturam mentis, corpus nempe actu exiſtens & idea, quæ illud ut actu exiſtens concipit, quæ ſunt abſurdiſſima.

Sed aliam adhuc demonſtrationem Prop. XIII. format ex Prop. 36. I. & Prop. 11. hujus quas falſas eſſe plane evicimus.

Porro Corollarium quod educit verum quidem, ſed quod ex falſis educit; ex rei veritate autem demonſtratum eſt à Carteſio in Medit. ſexta, optima & accuratiſſima ſequela.

Videamus ſcholium. Dicit, *ex his nos non tantum intelligere, mentem humanam unitam eſſe corpori*, quod verum eſt, uti vidimus, *ſed etiam, quid per mentis & corporis unionem intelligendum ſit*, quod non patet. Quid ipſe intelligat per mentis & corporis unionem patere quidem ſic poteſt, ſcilicet, *quod corpus iſtud ſit objectum ideæ mentis humanæ, quodque mens humana hoc ſolum intelligat, non aliud quid*, quod falſum eſſe demonſtravimus; Item, quod, prout ſupra obſervavimus, *ad naturam mentis pertineat corpus actu exiſtens, & idea, quæ illud ut actu exiſtens concipit*, quod non poteſt non confuſionem parere maximam. Pergit: *Verum ipſam adæquate, ſive diſtincte intelligere nemo poterit, niſi prius noſtri corporis naturam adæquate cognoſcat*: Ubi *adæquate intelligere* ipſi idem eſt, quod *intelligere diſtincte*, id quod profecto cum uſu iſtius phraſeos non concordat. Per hunc hominem amittimus rerum nomina & nova plane lingua erit formanda. Sit vero *adæquate intelligere* idem quod *diſtincte intelligere*, nego, *nos unionem mentis & corporis non poſſe diſtincte intelligere, niſi prius noſtri corporis naturam diſtincte cognoſcamus*. Conſiſtit enim unio iſta in eo, quod mens multa eorum, quæ in corpore fiunt, percipiat, tanquam ad ſe pertinentia, & quod vice verſa etiam in corpus agat illud variis modis moveat & inflectat, ſicque confuſum quendam formet conceptum ſui & corporis, tanquam inter ſe invicem conjunctorum; ad hoc ſufficiunt cogitationes confuſæ, quas mens habet, famis, ſitis, appetitus rei Venereæ, ſenſuum externorum & internorum, non vero ut totam conformationem corporis omnesque ejus actiones & motus rite intelligat. Sic quilibet homo ſatis diſtincte intelligit unionem ſuæ mentis & corporis, qui tamen ignorat omnes particulares corporis actiones & motus.

Sic vero tacite inſinuat, mentem corpore deſtructo etiam ceſſare de-

debere, quo etiam tendit Propoſ. XXI. aliæque. Si enim mens conſtituitur per ideam rei ſingularis actu exiſtentis, quam rem ſingularem vult eſſe corpus humanum, & ſi iſta idea dependeat à corpore exiſtente, eo deſtructo etiam mentem ipſam ceſſare neceſſe eſt, dum ſic deſtituitur formali ſuo actu, in quo ejus eſſentia conſiſtit. At hæc omnia pugnant cum iis, quæ accurate demonſtravit Carteſius Medit. II. in qua oſtendit mentem exiſtere poſſe, etſi nullum corpus, adeoque nec corpus humanum exiſtat.

Mirum vero hoc nequaquam nobis videri debet, poſtquam obſervavimus, Deum verum, quantum fuit in Spinoza, ab eo plane eſſe deſtructum & loco ejus introductum aliquod cerebri idolum, quod habeat infinita attributa realia, & inter ea cogitationem & extenſionem, quodque ſolum ſit ſubſtantia, ita ut reliqua omnia præter Deum, res quælibet productæ nihil ſint aliud, quam modi quidam iſtius ſubſtantiæ, adeoque corpus ſit modus Dei, quatenus Deus eſt res extenſa, mens humana ſit modus Dei, quatenus Deus eſt res cogitans. Modi enim variationi ſunt ſubjecti & facile deſtrui poſſunt manente ſubſtantia. Sed ut hoc efficeretur deſtrui etiam oportebat naturam ſubſtantiæ, & hanc notionem ſecundam plane alio ſenſu accipi atque hactenus accepta fuit. Sic confundere oportuit ſubſtantiam, quæ ad ſui naturam nihil aliud requirit, quam independentiam à ſubjecto, cum ſubſtantia, quæ includit independentiam à cauſa, & hanc ſolam pro ſubſtantia habere, qua de re prolixius egimus in Examine Definitionis Spinozæ III. & VI. At ſi formemus veram ideam mentis, & accurate attendamus, quid vox mentis natura ſua repræſentet, facile videbimus mentem humanam veram eſſe ſubſtantiam, prout ſubſtantia ab Accidente diſtinguitur. Accidens utique concipitur ut dependens à ſubjecto; qui talem conceptum format is cogitat, accidens in non Ens relapſurum, ſi ſubjectum non obſtet. Sublato enim ſubjecto, ſimul aufertur id quod iſtud ſubjectum afficit, vel ei inhæret. At mens humana eſt actus cogitans: At actus cogitans tantum abeſt, ut dependeat à ſubjecto, ut potius ille ſit ſubjectum variarum cogitationum ſive variorum cogitandi modorum. Verum quidem eſt, niſi Deus mentem humanam continuo conſervet, eam in non Ens recaſuram, ſed propterea Deus non eſt ſubjectum mentis humanæ ſed cauſa. Duplex enim eſt dependentia rerum productarum, vel tanquam à cauſa, quæ omnibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bus rebus productis eſt communis, vel tanquam à ſubjecto, quæ ſane non eſt ipſius ſubjecti: At actus cogitans eſt ſubjectum omnium accidentium, quæ in rem cogitantem cadere poſſunt.

Probat vero, *nos non poſſe unionem mentis & corporis diſtincte intelligere, niſi prius noſtri corporis naturam adæquate cognoſcamus*, in ſequentibus. *Nam ea, inquit quæ hucuſque oſtendimus, admodum communia ſunt, nec magis ad homines, quam ad reliqua individua pertinent, quæ omnia, quamvis diverſis gradibus, animata tamen ſunt. Nam cujuſcumque rei datur neceſſario in Deo idea, cujus Deus eſt cauſa, eodem modo ac humani corporis idea: Atque adeo, quicquid de idea humani corporis diximus, id de cujuſcumque rei idea neceſſario dicendum eſt.* Quæ probatio mira admodum eſt, quæque ſupponit tanquam certum id, quod pro valde incerto poteſt haberi. Ea, quæ hucuſque oſtendit ſua opinione Auctor, & ad quæ ipſum hic puto reſpicere ſunt, quæ habet de idea, quam habet mens noſtra; videtur ergo putare, *omnia animata habere quoque ideam ſui corporis*, ſicut mens humana ſui corporis ideam habet. Quænam vero illi ſint animata, ſive, quæ in cenſum animatorum referat, nobis non indicat, cum tamen quænam hoc nomine venire poſſint, dubium eſſe queat. Intelligamus ergo per animata, quævis animalia, quæ bruta dicuntur, & quæ viventia dici ſolent, & ſupponamus hæc ipſum iſto nomine voluiſſe deſignare. Putat ergo bruta animalia habere quoque ideam ſui corporis, & per conſequens, habere mentem cum corpore unitam & conjunctam; at hoc eſt μέγα λίαν αἴτημα, quod probatum nunquam eſt, poteſtque ejus contrarium longe videri veroſimilius. Quam ipſe probationem hic videtur adducere velle, non video quomodo ſtringat. Sit enim cujuſcumque rei idea neceſſario in Deo eodem modo ac in Deo eſt corporis humani idea, an propterea ſequetur, Deum etiam in quolibet bruto debuiſſe ponere iſtam ideam, adeoque bruta debuiſſe à Deo donari mente? Quidni eodem modo colligam etiam de rebus inanimatis ſive non viventibus, de lapidibus, de metallis, de foſſilibus quibuſvis? Deus habet iſtarum omnium rerum ideam, eſt enim Deus ſubſtantia infinita cogitans; ergo etiam ideam aliquam adeoque mentem quandam conjunxit cum iſtiuſmodi rebus omnibus. Sed ſupponamus nunc, verum eſſe *quod omnia animata habeant ideam ſui corporis*, an putabimus inde ſequi, *nos non poſſe diſtincte intelligere unionem mentis cum corpore, niſi prius noſtri corporis*

poris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

poris naturam diſtincte cognoſcamus? equidem nullam video inter hæc connexionem, adeoque iſtam ſequelam nequeo admittere.

Addit Spinoza: *At tamen nec etiam negare poſsumus, ideas inter ſe ut ipſa objecta differre, unamque alia præſtantiorem eſſe, pluſque realitatis continere prout objectum unius alterius objecto præſtantius eſt, pluſque realitatis continet; ac propterea ad determinandum, quid mens humana reliquis interſit, quidque reliquis præſtet, neceſſe nobis eſt, ejus objecti, ut diximus, hoc eſt corporis humani naturam cognoſcere.* Sic ſcilicet mentes animatorum, quas ſupponit, erunt cenſendæ vel præſtantiores vel minus præſtantes, prout earum corpora plus vel minus habent realitatis ſive perfectionis; cum autem iſta major vel minor perfectio corporum iſtorum vix poſſit concipi in alio conſiſtere, quam, quod corpus aliquod habet plures vel pauciores partes organicas & aptum ſit ad plures vel pauciores uſus, vel prout ipſe paulo poſt dicit: *Quod corpus aliquod reliquis aptius ſit ad plura ſimul agendum vel patiendum*, poterunt ſic fortaſſe animata quædam reperiri, quæ præſtent hominibus, iis ſaltem, quorum corpora organica vel natura vel caſu quodam & morbo ſunt inepta ad varios uſus. Negat autem, *ſe illam corporis humani naturam hic explicare velle*, imo negat, *id neceſſe eſſe ad ea, quæ demonſtrare velit.* Non vult ergo hic oſtendere mentis humanæ præſtantiam, ad quam intelligendam dicit neſſariam cognitionem adæquatam ſive diſtinctam humani corporis. His ſubjungit: *quo corpus aliquod reliquis aptius eſt ad plura ſimul agendum vel patiendum, eo ejus mentem reliquis aptiorem eſſe ad plura ſimul percipiendum: & quo unius corporis actiones magis ab ipſo ſolo pendent, & quo minus alia corpora cum eodem in agendo concurrunt, eo ejus mentem aptiorem eſſe ad diſtincte intelligendum*; quod totum eo nititur, quod mens noſtra nullam aliam habeat ideam, quam corporis noſtri, quo tendunt Prop. 11. 12. & 13. hujus II. Partis, quod revera valde eſt abſurdum, uti oſtendimus ad Prop. 11. Tota ſic aptitudo mentis ad percipiendum dependebit ex aptitudine corporis, ejuſque minori dependentia ab aliis corporibus. Sic igitur, ſi Deum percipiat, neceſſario ipſum debebit percipere interventu corporis humani, unde mirum non erit illum ut corporeum cogitari.

Tandem hunc in modum concludit: *Atque ex his præſtantiam unius mentis præ alia cognoſcere poſſumus:* (Quod ſatis ex antecedentibus patet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tet, ex quibus ſimul poteſt cognoſci, illam majorem vel minorem præſtantiam tantum dependere ex præſtantia corporis) *deinde cauſam etiam videre, cur noſtri corporis non niſi admodum confuſam habeamus cognitionem*, (quod procul dubio ex eo derivat, quia noſtrum corpus à multis aliis corporibus nobis non ſatis cognitis afficitur & dependet; ſed ſic quoque patet, nos non poſſe diſtinćte intelligere mentem humanam juxta ipſius hypotheſin, adeoque non poſſe diſtinćtam formare cognitionem de conjunćtione animæ cum corpore, quod tamen in ſuperioribus videbatur intendere) *& alia plura, quæ ex ſequentibus deducam*, quæ videbimus ſuo loco & tempore. *Hac* autem *de cauſa operæ pretium* dicit, *ſe duxiſſe hæc ipſa accuratiùs explicare & demonſtrare*, ad quod *neceſſe* judicavit, *pauca de corporum natura præmittere*. Nos ea nunc breviter percurramus.

Axioma I & II. concedimus.

LEMMA I. *Corpora ratione motus & quietis; celeritatis & tarditatis, & non ratione ſubſtantiæ ab invicem diſtinguuntur.*

Hoc Lemma ſi intelligeret de ſubſtantia in genere accepta, quod ſcilicet omnia corpora haberent extenſionem, nos facile id admitteremus; ſed ille vult unicam tantum eſſe ſubſtantiam, quæ ſit & extenſa & cogitans ſimul, uti patet ex Prop. 5. I. & 8. I. & Scholio Prop. 15. I. quas hic adducit tanquam fulcra ſui Lemmatis, quæ in ſuperioribus à nobis ſunt refutata.

LEMMA II. *Omnia corpora in quibuſdam conveniunt.*

Facile admittimus.

LEMMA III. *Corpus motum vel quieſcens ad motum vel quietem determinari debuit ab alio corpore, quod etiam ad motum vel quietem determinatum fuit ab alio, & illud iterum ab alio & ſic infinitum.*

Hoc admodum falſum eſt, nitens fundamentis falſiſſimis, quale eſt Prop. 28. I. & Prop. 6. II. Nullum ille homo agnoſcit Motorem primum, qui major ſit & infinities perfećtior re mota & extenſa & ſic quoque nullam conſiderat rem, quæ primum fuerit mota, contra quam facit Carteſius; ſupponit cauſas motrices infinitas, quod intelligi nulla ratione poteſt.

Corollarium verum eſt, non prout ſequitur ex hoc lemmate falſo, ſed quod per ſe notum ſit, quod & ipſe obſervat: *Corpus motum tam-*

diu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

diu moveri, donec ab alio corpore ad quieſcendum determinetur ; & corpus quieſcens tamdiu etiam quieſcere, donec ab alio ad motum determinetur.

Sequuntur Axioma I & II. quæ videri poſſunt apud Auctorem; nos ea libenter admittimus ſano ſenſu intellecta.

Nec in definitione illa, quæ docet, quid poſſimus per individuum unum intelligere, quicquam reprehendimus. Sic ille: *Cum corpora aliquot ejuſdem aut diverſæ magnitudinis à reliquis ita coërcentur, ut invicem incumbant, vel ſi eodem aut diverſis celeritatis gradibus moventur, ut motus ſuos invicem certa quadam ratione communicent, illa corpora invicem unita dicemus, & omnia ſimul unum corpus, ſive individuum componere, quod à reliquis per hanc corporum unionem diſtinguitur.*

Etiam Axioma III. pro vero habeo.

LEMMA IV. *Si corporis, ſive individui, quod ex pluribus corporibus componitur, quædam corpora ſegregentur, & ſimul totidem alia ejuſdem naturæ eorum loco ſuccedant, retinebit individuum ſuam naturam, uti antea, absque ulla ejus formæ mutatione.*

Eodem procul dubio ſenſu intelligitur, quo Lemma præcedens III. quod ſatis patet, quia fundatur Lem. I. quod nos jam antea rejecimus.

Lemma V. VI. VII. ſano ſenſu admitti poſſent, at procul dubio ſecundum Auctorem eorum mens eſt illa omnia corpora non differre tanquam ſingulares ſubſtantias, quia unicam tantum dicit eſſe ſubſtantiam, quod tanquam falſum in ſuperioribus à nobis rejectum fuit.

Ex his in ſcholio certo quodam ordine & nexu deducit Spinoza, *totam naturam unum eſſe individuum cujus partes, hoc eſt, omnia corpora infinitis modis variant, absque ulla totius individui mutatione*, de quo nolumus cum ipſo contendere, putamusque id certo quodam ſenſu poſſe admitti.

Poſtulata ſequuntur ſex, quæ omnia facile damus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XIV.

Mens humana apta eſt ad plurima percipiendum, & eo aptior, quo ejus corpus pluribus modis diſponi poteſt.

FAlſa eſt iſta propoſitio quoad poſteriorem partem, quia fundamentum ejus Prop. 12. II. cui initur, falſum eſſe demonſtravimus. Mens humana enim non tantum percipit corporea, ſed etiam mentes, ſed Deum, cujus ideam nullo modo habet à ſenſibus, uti facile oſtendi poſſet, ſi hic foret locus.

PROPOSITIO XV.

Idea, quæ eſſe formale humanæ mentis conſtituit, non eſt ſimplex ſed ex plurimis ideis compoſita.

SUpponitur, aliquam ideam formale eſſe humanæ mentis conſtituere, quod falſum eſt, cum eſſe formale humanæ mentis conſiſtat in Τῷ *cogitare finito modo*; at poſſumus cogitare non tantum dum formamus ideas, ſed etiam, dum volumus, dum judicamus, dum odimus &c. Propoſitionis vero iſtius Demonſtratio plane falſo nititur fundamento, nimirum Prop. 13. II.

PROPOSITIO XVI.

Idea cujuſcumque modi, quo corpus humanum à corporibus externis afficitur, involvere debet naturam corporis humani, & ſimul naturam corporis externi.

POſſumus hanc propoſitionem admittere hoc ſenſu, quod nimirum, dum v. gr. percipimus calorem in noſtro corpore ſimul cogitemus de aliquo corpore, unde iſte calor efficitur, cogitatione ſive perceptione confuſa & ſic de aliis, eam autem hoc ſenſu proponi ab auctore ex demonſtratione Prop. 27. II. poteſt liquere. Non tamen eo uſque extendenda eſt iſta Propoſitio, ac ſi per iſtiuſmodi ideam aliquam diſtinctam cognitionem corporis humani vel aliorum

cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

corporum externorum conſequamur. Atque de tali perceptione confuſa poſſumus etiam concedere Coroll. I & II. quæ ſubjungit.

PROPOSITIO XVII.

Si humanum corpus affectum eſt modo, qui naturam corporis alicujus externi involvit, mens humana idem corpus externum, ut actu exiſtens, vel ut ſibi præſens contemplabitur, donec corpus afficiatur affectu, qui ejuſdem corporis exiſtentiam vel præſentiam ſecludat.

HAnc propoſitionem poſſumus admittere, non tamen prout ab ipſo demonſtratur, cum illa demonſtratio nitatur Prop. 12. II. quam falſam eſſe oſtendimus. Corollario quoque non repugnamus, quod ſatis experientia confirmat, *poſſe* nimirum *mentem humanam corpora externa, à quibus corpus humanum ſemel affectum fuit, contemplari velut præſentia, etſi nec exiſtant, nec præſentia ſint.*

Scholium quoque rem iſtam magis explicat. Illa etiam quæ ibidem habet, libenter admittimus: *Præterea clare intelligimus, quænam ſit differentia inter ideam ex. gr. Petri, quæ eſſentiam mentis ipſius Petri conſtituit* (quorum verborum loco hæc ponimus, *quæ exiſtit in mente ipſius Petri*) *& inter ideam ipſius Petri, quæ in alio homine, puta in Paulo eſt. Illa enim eſſentiam corporis ipſius Petri directe explicat nec exiſtentiam involvit, niſi quamdiu Petrus exiſtit* (dicatur potius: *Illa enim* directe involvit corporis Petri exiſtentiam) *hæc autem magis conſtitutionem corporis Pauli, quam Petri naturam indicat, & ideo, durante illa corporis Pauli conſtitutione, Mens Pauli, quamvis Petrus non exiſtat, ipſum tamen, ut ſibi præſentem contemplatur.* His ſubjungit: *Porro ut verba uſitata retineamus, corporis humani affectiones, quarum ideæ corpora externa, velut nobis præſentia repræſentant, rerum imagines vocabimus, tametſi rerum figuras non referunt. Et cum Mens hac ratione contemplatur corpora eandem imaginari dicemus.* Quæ omnia quoque admittimus, hoc tantum obſervantes, bene facturum fuiſſe Auctorem, ſi & alibi verba uſitata retinuiſſet, & quidem in ea ſignificatione, in qua uſurpari ſolebant, cum in ſuperioribus deprehenderimus, eum ab iſta ſignificatione ſolitum fuiſſe recedere, dum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

voce attributi, ſubſtantiæ, Dei &c. plane in alia utitur ſignificatione, quam vulgo obtinere ſolet.

Quæ vero de natura erroris hic inſinuat, ſicco pede præterire non poſſumus. *Atque hic*, inquit, *ut, quid ſit error, indicare incipiam, notetis velim, mentis imaginationes in ſe ſpectatas, nihil erroris continere, ſive mentem ex eo, quod imaginatur, non errare; ſed tantum, quatenus conſideratur carere idea, quæ exiſtentiam illarum rerum, quas ſibi præſentes imaginatur ſecludat. Nam ſi mens, dum res non exiſtentes, ut ſibi præſentes, imaginatur, ſimul ſciret, res illas revera non exiſtere, hanc ſane imaginandi potentiam virtuti ſuæ naturæ, non vitio tribueret; præſertim ſi hæc imaginandi facultas à ſola ſua natura penderet, hoc eſt* (per Defin. VII. p. 1.) *ſi hæc mentis imaginandi facultas libera eſſet.* Supponit enim, nihil mentem noſtram cognoſcere, niſi corporeum, quod falſiſſimum eſt. Dein error noſtræ mentis non tantum ſpectat rerum exiſtentiam, ſed etiam circa earum eſſentiam & affectiones multis modis committitur, uti vel ex illis erroribus, quos in Spinoza notavimus, liquere poteſt. Nec id ſatis convenit cum iis, quæ poſtea in Scholio Prop. XLVII. obſervat.

PROPOSITIO XVIII.

Si corpus humanum à duobus vel pluribus corporibus ſimul affectum fuerit ſemel, ubi mens poſtea eorum aliquod imaginabitur, ſtatim & aliorum recordabitur.

Admittimus hanc quoque propoſitionem. Uti præcedenti propoſitione & ſcholio adjecto explicuit naturam imaginationis, ita hic & ſcholio adjecto naturam memoriæ declarat, quamvis id potuiſſet aliquanto clarius feciſſe, ſi non nimium voluiſſet recedere à communi uſu ſermonis. Recte tamen obſervat, *dari aliquam concatenationem idearum, quæ ſit ſecundum ordinem intellectus, quo res per primas ſuas cauſas mens percipit, & qui in omnibus hominibus idem eſt.* Hanc forte poſſemus appellare memoriam ſpiritualem ſive intellectualem, quam non agnoſcit Spinoza.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XIX.

Mens humana ipſum corpus humanum non cognoſcit, nec ipſum exiſtere ſcit, niſi per ideas affectionum, quibus corpus afficit.

HAnc etiam propoſitionem admittimus, ſed demonſtratio nititur abſurdiſſimis propoſitionibus antea refutatis, quales ſunt 13. 9. 7. Coroll. Prop. 11. II.

PROPOSITIO XX.

Mentis humanæ datur etiam in Deo idea, ſive cognitio, quæ in Deo eodem modo ſequitur, & ad Deum eodem modo refertur, ac idea ſive cognitio corporis humani.

HÆc propoſitio ſic generatim propoſita ſano ſenſu poteſt admitti, ſi intelligatur, omnes ideas ſive corporis ſive mentis, pariter formari ab intellectu divino, atque ita à Deo plane dependere. Sed videtur forte aliud intendere & ideam confuſam corporis humani Deo attribuere, cum in illo non poſſint eſſe ideæ, niſi quæ ſint claræ & diſtinctæ, prout poteſt patere ex collatione cum Prop. 36. II. Hoc igitur ſenſu falſa erit iſta propoſitio. Demonſtrationes male quoque ſunt fundatæ. Prima inter alia nititur Prop. 11. II. quam falſam eſſe oſtendimus; demonſtratio ſecunda fundatur Prop. 9. II. quæ iterum pro falſiſſima à nobis fuit repudiata, ut & Prop. 7. II. quam etiam ſupra rejecimus.

PROPOSITIO XXI.

Hæc mentis idea eodem modo unita eſt menti, ac mens unita eſt corpori.

HÆc propoſitio falſa eſt plane, neque ſatis cum hypotheſibus Spinozæ concordat. Nam juxta ejus principia, mentis idea & ipſa mens non ſunt res diverſæ, ſed una eademque; non poteſt ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

eſſe eadem unio inter mentes & corpus, quæ res ſunt plane diverſæ, cum ea, quæ eſt inter mentem & mentis ideam.

Demonſtratio fundatur in propoſitione 12 & 13 II. quas falſas oſtendimus; quæ tamen ſi veræ forent nondum conficeretur inſtitutum. Etſi enim verum eſſet mentis unionem cum corpore in eo conſiſtere, quod corpus ſit mentis objectum, non tamen poſſit ſimiliter dici, mentis ideam eſſe objectum mentis, quæ potius juxta ipſum idem plane eſt quod mens, neque à mente ulla ratione differt. Mens enim, dum pro objecto habet corpus, illud objectum repræſentat ſibi per ideam, quæ ſic non iterum poteſt eſſe mentis objectum ſed eſt modus quidam mentis, quem habet mens, dum circa iſtud objectum verſatur, ſi juxta veritatem judicare velimus, ſi vero ex hypotheſi Spinozæ, eſt illa idea ipſa mens, neque quid aliud in mente præter iſtam ideam reperiri poteſt.

Scholium quod adjungitur, teſtatur, quam confuſos homo habuit de corpore & mente conceptus, confundens iterum omnia, quæ à Carteſio tanta opera & labore fuerant diſtincta. Sic habet: *Hæc Propoſitio longe clarius intelligitur ex dictis in Schol. Prop. 7. hujus; ibi enim oſtendimus, corporis ideam, & corpus, hoc eſt*, (per Prop. 13. hujus) *mentem & corpus unum & idem eſſe individuum, quod jam ſub cogitationis, jam ſub extenſionis attributo concipitur; quare mentis idea & ipſa mens uno eodemque attributo, nempe cogitationis concipitur.* Nos vero iſto in loco oſtendimus, falſiſſimum eſſe iſtud Scholium Prop. 7, II. & Prop. 13, II. etiam antea refutavimus. Ambiguitas porro eſt in voce individuum; ſi per individuum intelligat unam & eandem rem ſingularem, falſiſſimum procul dubio eſt, mentem & corpus eſſe unam eandemque rem ſingularem, cum alia plane ſit corporis eſſentia, quæ in extenſione, alia mentis, quæ in cogitatione conſiſtit; vel ſi eadem hæc ſint extenſio & cogitatio, nulla amplius erit inter res diſtinctio, & omnia unum idemque erunt, qui ſummus eſt confuſionis modus, Philoſopho, cujus eſt ſectari & formare diſtinctos rerum conceptus plane indignus; ſi vero per individuum intelligat aliquod compoſitum ex diverſis rebus, quæ tamen inter ſe invicem certo quodam unionis modo ſunt conjunctæ, verum erit mentem & corpus inter ſe unita, hoc eſt, *hominem*, eſſe unum & idem individuum, quod *poteſt jam ſub cogitationis jam ſub extenſionis attributo concipi*, vel potius, de quo jam cogitationem, jam extenſionem poſſumus

mus prædicare, ſed tamen ita, ut extenſionem tribuamus diſtincte corpori & cogitationem menti. Porro ſit, *mentis idea & ipſa mens una eademque res, quæ ſub uno eodemque attributo cogitationis concipitur*, an inde ſequetur, *Mentis ideam eodem modo eſſe unitam menti, ac mens unita eſt corpori*, quod vult hæc Propoſitio? Nihil ſane minus; uti patet ex dictis. His ſubjungit: *Mentis, inquam, idea & ipſa mens in Deo eadem neceſſitate ex eadem cogitandi potentia ſequuntur dari. Nam revera idea mentis, hoc eſt, idea ideæ nihil aliud eſt, quàm forma ideæ, quatenus hæc, ut modus cogitandi, abſque relatione ad objectum conſideratur; ſimulac enim quis aliquid ſcit, eo ipſo ſcit, ſe id ſcire, & ſimul ſcit, ſe ſcire, quod ſcit, & ſic in infinitum.* Qua ratione major adhuc confuſio introducitur, quam antea fuerat. Antea confuderat mentem & corpus, nunc etiam Deum, rem ſumme perfectam, rem independentem cum re imperfecta & dependenti confundit. Scilicet, eſſe hominis, mentis humanæ, corporis humani, illi ſunt ipſum eſſe Dei, atque adeo mens humana eſt in Deo, ſive pars ejus, ſive modus quidam. Deus prius conſideratur illi, ut habens cogitandi potentiam, ex illa ſequitur mens cogitandi actus quidam finitus. Quid vero illa ſit potentia cogitandi ſine actu quis intelligat? Fluet jam mens humana & mentis idea ex cogitandi potentia divina adeoque infinita: finitum aliquod fluet vel ſequetur ex infinito. Mens juxta Spinozam eſt idea mentis, res ipſa eſt idea rei, equus eſt idea equi & ſic de aliis. Abyſſus hic eſt abſurdorum! Iterum forma ideæ, vel idea ipſa erit modus cogitandi abſque relatione ad objectum, adeoque abſque forma ſua: ſic forma erit abſque forma. Et tamen per hanc relationem ad objectum, cujus idea eſt repræſentamen, idea ſuam formam acquirit. Forte tamen hoc voluit dicere, mentem & ideam, quæ eſt in mente, ſic inter ſe invicem differre, ut *mens* cogitetur, dum concipitur in genere ut modus quidam cogitandi ſine relatione ad objectum, *idea* vero ſignificet illum ipſum modum cogitandi, ſed cum relatione ad objectum. Hæc aliquanto magis diſtincta fuerint. Sed dum mens dicitur modus cogitandi debet ergo ſpectari ut modus ſubſtantiæ divinæ, cui tanquam ſubjecto alicui inſit. Sed de eo jam actum eſt in antecedentibus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXII.

Mens humana non tantum corporis affectiones, ſed etiam harum affectionum ideas percipit.

MIra hæc eſt Propoſitio. Dum percipit iſtas affectiones format ideas earum; nulla ergo hic locum habet oppoſitio inter perceptionem harum affectionum & perceptionem idearum harum affectionum. Sed ex demonſtratione Prop. 3. V. patere videtur, quod nihil aliud hac Propoſitione velit, quam quod mens non tantum confuſos habeat affectus, ſed etiam claras & diſtinctas ideas horum ipſorum affectuum formet. Mira etiam eſt demonſtratio, dum demonſtrat de Deo, quod demonſtrare debebat de mente humana; quod tamen videtur propterea factum, quia mentem humanam ſemper tantum conſiderat tanquam modum, quo Deus, ſubſtantia illa unica, modificatur. Sic inquit: *Affectionum idearum idea in Deo eodem modo ſequuntur, & ad Deum eodem modo referuntur, ac ipſæ affectionum ideæ, quod eodem modo demonſtratur ac Propoſitio 20 hujus.* Nos vero oſtendimus ad Prop. 20. illam demonſtrationem ficulneam plane eſſe: ſimiliter ergo de hac judicandum nobis erit. Sed & reliquæ Propoſitiones, quibus hæc demonſtratio innititur falſæ ſunt, cujuſmodi eſt Prop. 12, II. Coroll. Prop. 11, II. & Prop. 21. II.

PROPOSITIO XXIII.

Mens ſe ipſam non cognoſcit, niſi quatenus corporis affectionum ideas percipit.

FAlſiſſima eſt hæc Propoſitio, quæ tota nititur hoc fundamento, quod in mente nullæ ſint ideæ niſi rerum corporearum, nulla rei cogitantis, quæ omnia abſurda ſunt. Demonſtrationis fulcra ſunt Prop. 20. Coroll. Prop. 11. Prop. 13, & 22. hujus II. partis, quas omnes falſas eſſe oſtendimus.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXIV.

Mens humana partium, corpus humanum componentium adæquatam cognitionem non involvit.

PEr adæquatam cognitionem hic, ut ſupra, intelligit procul dubio cognitionem diſtinctam. Et poſſumus iſtam Propoſitionem tanquam veram admittere, cum res manifeſta ſit, & ipſa experientia doceat, plures eſſe mentes humanas, quæ non habeant diſtinctam cognitionem partium corpus humanum componentium. Sed demonſtratio, quam adhibet auctor, non adeo firmis nititur tibicinibus. Nam Lemma 4. ſupra rejecimus. Prop. 9. II. Prop. 7. II. Prop. 13. II. & Coroll. Prop. 11. II. quibus quoque innititur pro falſis repudiavimus. Nec etiam capio, quomodo hæc Propoſitio poſſit conciliari cum Prop. XII. ubi dicitur, *ſi objectum ideæ, humanam mentem conſtituentis, ſit corpus, nihil in eo corpore poterit contingere, quod à mente non percipiatur.*

PROPOSITIO XXV.

Idea cujuſcunque affectionis corporis humani adæquatam corporis externi cognitionem non involvit.

HUic Propoſitioni non poſſumus contradicere, quamvis in demonſtratione ejuſdem nequeamus acquieſcere ob fulcra fragilia, quibus innititur, cujuſmodi ſunt Prop. 9. & 7. II.

PROPOSITIO XXVI.

Mens humana nullum corpus externum, ut actu exiſtens percipit, niſi per ideas affectionum ſui corporis.

VEra eſt hæc quoque Propoſitio, quam experientia docet. Sed demonſtratio nititur Prop. 7, II. & Prop. 13, II. fundamentis ficulneis.

Corollarium. *Quatenus mens humana corpus externum imaginatur, eatenus adæquatam ejus cogitationem non habet.* Hoc Corol. admittimus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nec demonſtrationi repugnamus utpote nitenti Schol. Prop. 17. Prop. 25. & 26. II. quæ admiſimus.

PROPOSITIO XXVII.

Idea cujuſcunque affectionis corporis humani adæquatam ipſius corporis humani cognitionem non involvit.

HAnc quoque admittimus Propoſitionem una cum demonſtratione, quæ tota innititur Prop. 16. II. antehâc approbata.

PROPOSITIO XXVIII.

Ideæ affectionum corporis humani, quatenus ad humanam mentem tantum referuntur, non ſunt claræ & diſtinctæ, ſed tantum confuſæ.

SI per illa verba, *quatenus ad humanam mentem tantum referuntur*, intelligitur, quatenus humana mens tantum ab iis extrinſecus afficitur, poteſt admitti hæc Propoſitio. In Demonſtratione hoc tantum taxamus, quod citra neceſſitatem ex Prop. 24. & 28. demonſtratione quid immiſceat, quo poterat carere, & quod omnino pro falſo nos habemus, nempe, *quod corporum externorum adæquata cognitio* (h. e. clara & diſtincta) *ut & partium corpus humanum componentium in Deo non eſt, quatenus humana mente, ſed quatenus aliis ideis affectus conſideratur*, cum Prop. 24 & 25. II. citra hoc queat admitti, uti ſupra viſum. Hoc autem ipſum ſupponit, Deum humana mente affici tanquam modo quodam ſuo, quod variorum abſurdorum ſyrma poſt ſe trahit, uti ſuo loco oſtenſum.

Scholium ſequitur. *Idea*, inquit, *quæ naturam mentis humanæ conſtituit, demonſtratur eodem modo non eſſe, in ſe ſola conſiderata, clara & diſtincta; ut etiam idea mentis humanæ, & ideæ idearum affectionum corporis humani, quatenus ad ſolam mentem referuntur, quod unuſquiſque videre poteſt.* Hoc verum erit, ſi ſupponamus cum ipſo, mentem humanam conſtitui ab idea corporis humani, quæ hypotheſis & falſiſſima eſt, & ſuperius à nobis refutata fuit.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXIX.

Idea ideæ cujuſcunque affectionis corporis humani adæquatam humanæ mentis cognitionem non involvit.

HUic propoſitioni non contradicimus, ſupponentes, per adæquatam cognitionem ab ipſo intelligi *cognitionem diſtinctam*; ſed demonſtratio ob Prop. 13. II. quam falſam oſtendimus, rejicitur.

Corollarium. *Hinc ſequitur, mentem humanam, quoties ex communi naturæ ordine res percipit, nec ſui ipſius, nec ſui corporis, nec corporum extenſorum adæquatam, ſed confuſam tantum & mutilatam habere cognitionem.* Explicat hoc Corollarium in Scholio hunc in modum: *Hoc eſt, quoties externe, ex fortuito nempe rerum occurſu, determinatur ad hoc vel illud contemplandum, & non quoties interne, ex eo ſcilicet, quod res plures ſimul contemplatur, determinatur ad earundem convenientias, differentias & oppugnantias intelligendum; quoties enim hoc vel alio modo interne diſponitur, tum res clare & diſtincte contemplatur, ut infra oſtendam.* Sic explicatum poſſumus iſtud corollarium admittere; ita interna autem diſpoſitio mentis, cum opponatur externæ, quæ dependet à fortuito rerum occurſu, debet ab ipſa mente proficiſci, & propterea aliud quid debet eſſe, quod humanam mentem conſtituit, quam idea humani corporis; & ſic Deus quoque concipi debet tanquam operans in mentem humanam & iſtam internam ejus diſpoſitionem efficiens, adeoque à mente humana plane diſtinctus, non vero ſpectandus erit ſemper, (uti fit à Spinoza) tanquam is, cujus ſubſtantiæ modus ſit mens humana, ut idea prius concipiatur in mente humana, quam in Deo, uti videtur velle. Sic ergo admittimus quidem ipſum corollarium, non tamen ejus demonſtrationem ob falſum fundamentum, quale eſt Prop. 23. II. quod cum reliquis veris ſociatur.

PROPOSITIO XXX.

Nos de duratione noſtri corporis nullam niſi admodum inadæquatam cognitionem habere poſſumus.

NEmo huic propoſitioni contradicere poteſt. Etiam demonſtratio facile admitti poſſet, modo ſeparentur quædam falſa mixta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

veris, cujuſmodi eſt, *quod noſtrum corpus determinetur ad exiſtendum ab aliis cauſis, quæ iterum ab aliis cauſis ſint determinatæ in infinitum*; cum loco iſtarum cauſarum infinitarum rectius ponatur unica illa cauſa omnium, Deus ſumme perfectus, adeoque non extenſus, qualem homo iſte non agnoſcit; item, *quod cognitio durationis noſtri corporis ſit in Deo admodum inadæquate, quatenus tantum naturam mentis humanæ conſtituere conſideratur*, quia hoc modo Deo imperfectiones noſtræ attribuuntur, quod nec ex ipſius hypotheſi mirum, ſiquidem mens noſtra poſſit conſiderari tanquam modus divinæ ſubſtantiæ.

PROPOSITIO XXXI.

Nos de duratione rerum ſingularium, quæ extra nos ſunt, nullam, niſi admodum inadæquatam cognitionem habere poſſumus.

INter res ſingulares non refert ille Deum & per *inadæquatam* cognitionem intelligit *confuſam*; unde ſic propoſitionem iſtam pro vera poſſumus habere. Sed in demonſtratione pro fundamento affert Prop. 28. I. quam nos ut abſurdam rejecimus.

Corollarium. *Hinc ſequitur, omnes res particulares contingentes & corruptibiles eſſe*; quod facile quoque admitto.

PROPOSITIO XXXII.

Omnes ideæ, quatenus ad Deum referuntur, veræ ſunt.

INtelligit hic per *Veritatem* convenientiam idearum cum ſuis ideatis, atque ita poteſt hæc propoſitio admitti. Dum autem dicit, ideas referri ad Deum intelligit prout ſunt ipſius Dei, uti ex demonſtratione Prop. 17. V. poteſt patere. Sed in demonſtratione aſſumit Coroll. Prop. 7. II. quod, prout ibi exprimitur, tanquam falſum rejecimus, quamvis generalem ejus ſenſum, quem hic adducit, quod *omnes ideæ, quæ in Deo ſunt, cum ſuis ideatis omnino conveniant*, ei non refragemur, ſicque etiam in hac demonſtratione queamus acquieſcere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXXIII.

Nihil in ideis poſitivum eſt, propter quod falſæ dicuntur.

HÆc propoſitio vera eſt quoque; Demonſtratio adjecta nititur Prop. 15. II. quam refutavimus, quamvis eo ſenſu, quo hic utitur, queat admitti; nullum enim eſt poſitivum, quod à Deo non ſit, & quod non ſit in Deo, prout ab eo concipitur. Simplicius vero longe hoc ſic confici poteſt. Quod poſitivum eſt in ideis vel convenit cum ideato, & ſic non eſt falſum, vel non convenit, & ſic non pertinet ad ideam.

PROPOSITIO XXXIV.

Omnis idea, quæ in nobis eſt abſoluta, ſive adæquata, & perfecta, vera eſt.

VEra quoque eſt hæc propoſitio, non tamen rite demonſtrata eſt ab Auctore. Idea quæ eſt adæquata, hoc eſt juxta illius mentem diſtincta, eo ipſo vera eſt, quia illud ipſum diſtinctum eſt quid poſitivum, & propterea verum ex Prop. 33. II. Demonſtratio Auctoris nititur Corollario Prop. 32. II. quod abſurdiſſimum eſſe oſtendimus.

PROPOSITIO XXXV.

Falſitas conſiſtit in cognitionis privatione, quam ideæ inadæquatæ, ſive mutilatæ & confuſæ involvunt.

HÆc propoſitio falſa eſt & abſurda. Jam olim Philoſophi obſervarunt, nullam in prima mentis operatione, quæ eſt ſimplicium apprehenſio, poſſe eſſe falſitatem ſed eam demum in judiciis locum habere. Si enim quis habeat confuſam rei alicujus ideam, modo eam non referat ad rem extra ſe, neque affirmet, aliquid in re ipſa eſſe, quod ei reſpondeat, nulla in mente ejus erit falſitas. Demonſtratio, quam adducit, imbecilla admodum eſt. Dicit, *falſitatem in abſoluta privatione non eſſe conſiſtere (mentes enim non corpora errare,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

re, nec falli dici) neque etiam in abſoluta ignorantia, diverſa enim eſſe ignorare & errare; hinc autem concludit, *in cognitionis privatione, quam rerum inadæquata cognitio, ſive ideæ inadæquatæ & confuſæ involvunt, conſiſtere*. Reſpondeo, falſitatem conſiſtere in abuſu voluntatis adeoque in privatione, quam præcedit privatio cognitionis; ſi ad iſtam privationem cognitionis non accederet judicium, falſitas plane non obtineret, etſi privatio cognitionis adſit: Formaliter ergo error in privatione rectitudinis judicii conſiſtit, quod, cum illud debeat ſuſpendi, exſerat ſe, diſtincta perceptione non præcedente: Id tam clare demonſtratum eſt à Carteſio in meditatione IV. ut mirandum ſit, iſti rei homines contradicere velle. De cætero fateor, ſi per *abſolutam privationem* intelligat talem privationem, quæ non ſit in mente, in tali abſoluta privatione non conſiſtere errorem, quia verum eſt, mentes, non corpora, dici errare vel falli, ſed propterea negare nequit in ea conſiſtere privatione, quam antea explicuimus, quando judicium formatur dum formari non debet, & per conſequens nitens confuſa perceptione, adeoque rectum dici nequit.

Scholium. Narrat hic, *quod in Scholio Prop.* 17. *hujus partis explicuerit, qua ratione error in cognitionis privatione conſiſtat*; ſed nos ibidem quoque in quo peccaverit, deteximus; hic exemplum addit. *Falluntur homines*, inquit, *quod ſe liberos eſſe putent, quæ opinio in hoc ſolo conſiſtit, quod ſuarum actionum ſint conſcii, & ignari cauſarum, à quibus determinantur. Hæc ergo eſt eorum libertatis idea, quod ſuarum actionum nullam cognoſcant cauſam*. Sed hæc gratis aſſeruntur & ſine probatione, continentque cramben bis coctam, antea enim idem jam aſſeruerat, Appendice nempe ad Partem I. ubi etiam nos reſpondimus. Conſcii ſumus, nos volentes, & lubentes agere, dum agimus, etſi determinemur aliunde: agnoſcimus enim nos determinari à Deo, agnoſcimus etiam alias cauſas determinationis noſtræ intervenire, quas ſæpe ignoramus; at hæ determinationes non tollunt noſtram voluntatem, & hæc eſt, quæ nos facit liberos; hæc eſt libertatis noſtræ idea, quod agamus volentes & lubentes. Inſurgit contra hæc: *Nam quod ajunt, humanas actiones à voluntate pendere, verba ſunt, quorum nullam habent ideam*. Quî ſic? *Quid enim voluntas ſit, & quomodo moveat corpus, ignorant omnes; qui aliud jactant, animæ ſedes & habitacula fingunt, vel riſum, vel nauſeam movere ſolent*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſolent. Hic duo confundit, quæ accurate erant diſtinguenda. Quid ſit voluntas quilibet novit, per intimam conſcientiam, qui habet. Spinoza non negat nos habere ideam vel intellectum. Quomodo hoc novit? An non per interiorem conſcientiam? Sic equidem ſentio. Similiter igitur novimus voluntatem. An non novimus nos facere quædam invitos, nos invitos percipere dolorem? An non è contrario novimus nos alia facere lubentes, ut ambulare, edere, bibere &c.? An ergo nullam inter eas actiones experimur differentiam? Quòd ſi igitur agnoſcamus inter illa differentiam, quid obſtabit, quo minus id, quod ſic non inviti agimus, cenſeamur agere per voluntatem. Etſi autem quomodo iſta voluntas moveat noſtrum corpus, ignoremus, an propterea negabimus id fieri? An non experimur, dum corpus noſtrum ſanum eſt, ambulationem ſequi noſtram voluntatem, omnia membra noſtra ad illam certa quadam ratione moveri? An novit Spinoza, quomodo ex Dei natura ſequantur omnia, quæ fiunt in hoc mundo? An quia id non novit aſſerere non audet? An novit ille cauſas, à quibus determinantur hominum animæ? An novit modum determinationis? An novit modum, quo corpus agit in animam, res extenſa in rem cogitantem? An propterea, quia hæc non novimus, ſunt neganda? An non ſæpe novimus rem talem eſſe etſi cauſas ignoremus? An non novimus cadaver humanum in agro jacens mortuum eſſe? An propterea novimus cauſas ejus mortis? Infinita talia obvia ſunt. Animæ ſedem non fingimus in cerebro, ubi eſt concurſus omnium nervorum & ſpirituum, quorum interventu corpus moveri poteſt, ſed certis argumentis probamus. Rideant qui volunt, nos multo majori jure ridebimus eorum ſententiam, qui animam fingunt modum quendam divinæ ſubſtantiæ, qui ex Dei natura fluat, cum id ne veriſimili quidem ulla ratione probent. Sed ſimili ſuum aſertum illuſtrare conatur. *Sic cum ſolem intuemur, eum ducentos circiter pedes à nobis diſtare imaginamur, qui error in hac ſola imaginatione non conſiſtit; ſed in eo, quod dum ipſum ſic imaginamur, veram ejus diſtantiam & hujus imaginationis cauſam ignoramus. Nam tametſi poſtea cognoſcamus, eundem ultra 600. terræ diametros à nobis diſtare, ipſum nihilominus prope adeſſe imaginabimur; non enim ſolem adeo propinquum imaginamur, propterea quod veram ejus diſtantiam ignoramus; ſed propterea, quod affectio noſtri corporis eſſentiam ſolis involvit, quatenus ipſum corpus ab eodem af-*

afficitur. Quod ſimile quomodo rei præſenti poſſit applicari, equidem non video. Non enim poteſt dici, quod ſimiliter imaginemur, nos eſſe liberos, ſicut imaginamur, *cum ſolem intuemur, eum ducentos circiter pedes à nobis diſtare*. Quomodo enim hic locum haberet imaginatio, ubi nihil corporeum intuemur? Quod ſi imaginaremur, nos eſſe liberos, deberet dici, affectionem noſtri corporis eſſentiam libertatis involvere, quatenus corpus à libertate afficitur, ſicut hic dicitur, *affectionem noſtri corporis eſſentiam ſolis involvere, quatenus ipſum corpus ab eodem afficitur*, quod quomodo dici queat, intelligi non poteſt. Spinoza ſaltem iſtud ſimile debuiſſet ad rem præſentem applicare, ſiquidem cenſuit illud, ad ſuum ſcopum quicquam prodeſſe. Fruſtaneus ergo hic omnis in eo fuit labor. Sed in ſequentibus videtur illud ulterius urgere, & omne id, in quo nos eſſentiam voluntatis conſtituimus, ad ideam referre, quod qua fecerit felicitate nos ſecuti ejus filum ſuo loco videbimus.

PROPOSITIO XXXVI.

Ideæ inadæquatæ & confuſæ eadem neceſſitate conſequuntur, ac adæquatæ, ſive claræ ac diſtinctæ ideæ.

PEr neceſſitatem hic intelligit, quod ex eſſentia divina fluant neceſſario ideæ diſtinctæ in Deo & confuſæ in mente noſtra, quam conſiderat tanquam modum divinæ ſubſtantiæ. Sed id falſum eſſe jam aliquoties obſervavimus & in ſpecie ad Prop. 20. II. unde & hanc Propoſitionem tanquam falſam repudiare nos oportet. Demonſtratio auctoris nititur falſis fundamentis, quale eſt Prop 15, I. Coroll. Prop. 7. II. & Coroll. Prop. 6, II. & propterea ſubductis tibicinibus ſponte ſua concidit.

PROPOSITIO XXXVII.

Id, quod omnibus commune, (de his vide ſupra Lemma II.) *quodque æque in parte ac in toto eſt, nullius rei ſingularis eſſentiam conſtituit.*

ADmittimus libenter hanc Propoſitionem, ut & Demonſtrationem ejuſdem, quamvis explicatione tantum videntur opus habe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bere, & per ſe notum videatur eſſe, illud quod æque eſt in hoc ac in illo non poſſe hujus naturam conſtituere potius quam illius; unde ſponte ſequitur, *non poſſe illud ullius rei eſſentiam conſtituere.*

PROPOSITIO XXXVIII.

Illa, quæ omnibus communia, quæque æque in parte, ac in toto ſunt non poſſunt concipi niſi adæquate.

PEr adæquate concipi procul dubio intelligit, ut antehac, diſtincte concipi, ſed quæ ſintilla, quæ omnibus ſint communia, debebat hic explicuiſſe. Id quidem facit ad Prop. XL. ſed non ſuo loco, & non ad Mathematicorum morem. Nec tamen id ita facit, ut ſatisfaciat menti, prout ibidem annotabimus. Demonſtratione confunditur conceptus Deï cum conceptu, quem habet mens noſtra atque iſte mentis noſtræ conceptus Deo adſignatur. Sic nititur iſta demonſtratio Coroll. Prop. 7. II. Prop. 12. & 13. II. item Corol. Prop. 11. II. quæ fundamenta falſa eſſe antea obſervavimus.

Corollarium non repudiamus. *Hinc ſequitur, dari quaſdam ideas, ſive notiones omnibus hominibus communes;* quod etiam longe univerſalius exiſtimamus, quam ab ipſo explicatur. Nam in demonſtratione hujus Corollarii tantum ſumit illud de corporibus. *Nam* (per Lem. 2.) *omnia corpora in quibuſdam conveniunt, quæ* (per Prop. præced.) *ab omnibus debent adæquate ſive clare & diſtincte percipi.*

PROPOSITIO XXXIX.

Id, quod corpori humano & quibuſdam corporibus externis, à quibus corpus humanum affici ſolet, quodque in cujuſcunque horum parte æque ac in toto commune eſt, & proprium, ejus etiam idea erit in mente adæquata.

ETiam hæc Propoſitio dubia eſt & demonſtratio eodem peccat vitio, quo peccavit præcedens, & nititur Coroll. Prop. 7. II. Prop. 13. II. & Coroll. Prop. 11. II. quæ plane falſa ſunt fundamenta.

Corollarium. *Hinc ſequitur, quod mens eò aptior eſt ad plura adæqua-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

te (dicatur diſtincte) *percipiendum*, *quo ejus corpus plura habet cum aliis corporibus communia*; de cujus obſcuritate iterum habemus juſtam conquerendi cauſam.

PROPOSITIO XL.

Quæcunque ideæ in mente ſequuntur ex ideis, quæ in ipſa ſunt adæquatæ, etiam ſunt adæquatæ.

UBi, ſi vox *adæquatæ* idem valeat, quod diſtinctæ, nihil in iſta Propoſitione occurrit, cui non libenter ſubſcribamus. Sed demonſtratio eodem laborat vitio, quo priores, & nititur Coroll. Prop. 11, II. quod falſum eſſe oſtendimus.

Adjungit huic Propoſitioni duo Scholia. In Scholio I. narrat primum, quod *è re foret explicare alias quorundam axiomatum ſive notionum cauſas*, ſed addit, *ſe alii id dicaſſe tractatui*; *attamen, ne quid horum omittat, quod ſcitu neceſſarium ſit, ſe cauſas breviter additurum, ex quibus termini*, Tranſcendentales *dicti*, *ſuam duxerunt originem, ut ens, res, aliquid.* Hæc ergo nunc conſideremus. *Hi termini*, inquit, *ex hoc oriuntur, quod ſcilicet humanum corpus, quandoquidem limitatum eſt, tantum eſt capax certi imaginum numeri.* (Quid imago ſit explicui in Schol. Prop. 17, hujus) *in ſe diſtincte ſimul formandi, qui ſi excedatur, hæ imagines confundi incipient, et ſi hic imaginum numerus quarum corpus eſt capax, ut eas in ſe ſimul diſtincte formet, longe excedatur, omnes inter ſe plane confundentur. Cum hoc ita ſe habeat, patet ex Coroll. Prop. 17. & 18. hujus, quod mens humana tot corpora diſtincte ſimul imaginari poterit, quot in ipſius corpore imagines ſimul poſſunt formari. At, ubi imagines in corpore plane confunduntur, mens etiam omnia corpora confuſe ſine ulla diſtinctione imaginabitur, & quaſi ſub uno attributo comprehendet, nempe ſub attributo entis, rei* &c. At nimis univerſaliter hæc dicuntur, & ſuppoſitione hac nituntur, quaſi nullas haberemus ideas niſi corporum; poſſumus aliâs hæc de imaginibus, quæ in cerebro formantur per imaginandi facultatem, admittere. Aliam adjungit rationem: *Poteſt hoc etiam ex eo deduci, quod imagines non ſemper æque vigeant, & ex aliis cauſis his analogis, quas hic explicare non eſt opus; nam ad noſtrum, ad quem collimamus ſcopum, unam tantum ſufficit conſiderare. Nam omnes huc redeunt, quod hi termini ideas ſignificent ſummo gradu confuſas.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

fuſas. Verùm in eo errat Spinoza, quod omnis confuſio à confuſione imaginum, quæ ſunt in cerebro, ſit arceſſenda, cùm queat confuſio locum habere etiam in ideis de rebus ſpiritualibus, quando illæ inter ſe non ſatis diſtinguuntur, ut ſi quis mentibus creatis ea aſſignet, quæ ſolius ſunt mentis increatæ & infinitæ Dei. Pergit: *Ex ſimilibus deinde cauſis ortæ ſunt notiones illæ, quas Univerſales vocant, ut homo, equus, canis &c. Videlicet, quia in corpore humano tot imagines ex. gr. hominum formantur ſimul, ut vim imaginandi, non quidem penitus; ſed eo uſque tamen ſuperent, ut ſingulorum parvas differentias, (videlicet unius cujuſque colorem, magnitudinum &c.) eorumque determinatum numerum mens imaginari nequeat, & id tantum, in quo omnes, quatenus corpus ab iiſdem afficitur, conveniunt, diſtincte imaginetur; nam ab eo corpus maxime ſcilicet ab unoquoque ſingulari, affectum fuit; atque hoc nomine hominis exprimit hocque de infinitis ſingularibus prædicat.* Homo ille tantum loquitur de imaginibus cerebri, iiſque tribuit omnes iſtas notiones, ſicque purum intellectum cum imaginandi facultate confundit. Ita ergo nihil intelligemus niſi imaginemur, idque clare & diſtincte, ſi imago corporea ſit talis, confuſe vero ſi imago cerebri ſit confuſa. Ergo & Deum, & mentes, & cogitationem & omnia imaginari debemus, ſi velimus intelligere, quæ eſt ſumma confuſio. Mens dicitur ipſi *diſtincte imaginari ea tantum, in quibus omnes imagines cerebri conveniunt*, & tamen antea dixit, *mentem omnia corpora confuſe & ſine ulla diſtinctione imaginari, & quaſi ſub uno attributo comprehendere, nempe ſub attributo entis, rei &c.* Ergo ea non diſtincte imaginatur, in quibus omnes imagines cerebri conveniunt. Quomodo vero conveniunt. Quomodo vero convenientiæ iſtæ intelliguntur & ſimilitudines? an non hoc eſt puri intellectus opus? quomodo res intellectuales intelligemus, de quibus imaginatio nullas habet imagines cerebri corporeas? Multa ſunt alia objecta mere incorporea, quæ non poſſunt per imaginationem, ſed per ſolum intellectum concipi, unde nec poteſt per imaginationem formari eorum conceptus Univerſalis, quod etiam videtur ipſe in Scholio II. velle agnoſcere.

Scholium II. *Ex omnibus ſupra dictis clare apparet, nos multa percipere, & notiones univerſales formare I. ex ſingularibus, nobis per ſenſus mutilate confuſe & ſine ordine ad intellectum repræſentatis* (vide Coroll. Prop. 29. hujus) *& ideo tales perceptiones cognitionem ab experientia vaga vocare conſuevi.* II. *Ex ſignis, ex. gr. ex eo, quod auditis aut lectis quibuſdam*

verbis rerum recordemur, & earum quaſdam ideas formemus ſimiles iis, per quas res imaginamur. (Vid. Schol. Prop. 18. hujus) *utrumque hunc res contemplandi modum cognitionem primi generi opinionem, vel imaginationem in poſterum vocabo.* III. *Denique ex eo, quod notiones communes, rerumque proprietatum ideas adæquatas habemus;* (vide Coroll. Prop. 38. & 39. eum ejus Coroll. & Prop. 40. hujus) *atque hunc Rationem & ſecundi generis cognitionem vocabo. Præter hæc duo cognitionis genera datur, ut in ſequentibus oſtendam, aliud tertium, quod ſcientiam intuitivam vocabimus. Atque hoc cognoſcendi genus procedit ab adæquata idea eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum. Hæc omnia unius rei exemplo explicabo. Dantur ex. gr. tres numeri, ad quartum obtinendum, qui ſit ad tertium ut ſecundus ad primum. Non dubitant mercatores ſecundum in tertium ducere, & productum per primum dividere; quia ſcilicet ea, quæ à magiſtro abſque ulla demonſtratione audiverunt, nondum tradiderunt oblivioni, vel quia id ſæpe in numeris ſimpliciſſimis ſunt experti, vel ex vi demonſtrationis Prop. 19. lib. 7. Euclid. nempe ex communi proprietate proportionalium. At in numeris ſimpliciſſimis nihil horum opus eſt. Ex. gr. datis numeris 1. 2. 3. nemo non videt, quartum numerum proportionalem eſſe 6. atque hoc multo clarius, quia ex ipſa ratione, quam primum ad ſecundum habere uno intuitu videmus, ipſum quartum concludimus.* Hæc omnia volui deſcribere quia Auctor in ſequentibus ad iſta reſpicit, uti mox patebit. Ex quibus etiam deprehendi poterit, quo ſenſu *ab adæquata*, hoc eſt diſtincta, *idea eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum* velit procedi *ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum*, nimirum, quatenus res conſiderat tanquam quoſdam modos attributorum Dei vel ejuſdem eſſentiæ; quod nulla ratione propter ſæpius dicta & impoſterum adhuc dicenda poſſumus admittere; patebit id inprimis ex Scholio Prop. 47. ubi inquit: *Cum autem omnia in Deo ſint & per Deum concipiuntur, ſequitur, nos ex cognitione hac plurima poſſe deducere, quæ adæquate cognoſcamus.*

PROPOSITIO XLI.

Cognitio primi generis unica eſt falſitatis cauſa, ſecundi autem & tertii neceſſario vera.

HAnc propoſitionem pro falſa habemus, quoniam aliam in ſuperioribus oſtendimus falſitatis cauſam, voluntatis illum abuſum,

quando judicare volumus de iis, quæ clare & diſtincte non percepimus: Videantur annotationes noſtræ ad Prop. 35. Nec demonſtrata eſt ab illo iſta propoſitio; nititur enim Prop. 15. quam ut falſam rejecimus.

PROPOSITIO XLII.

Secundi & tertii, & non primi generis cognitio docet nos verum à falſo diſtinguere.

HUic propoſitioni nemo jure poteſt contradicere: Primi enim generis cognitio eſt obſcura & confuſa, altera eſt clara & diſtincta, quamvis id non conveniat cum aliis hypotheſibus Spinozæ, uti antea obſervavimus. Rite etiam demonſtrata illa fuit, hunc in modum: *Qui enim inter verum & falſum ſcit diſtinguere, debet adæquatam veri & falſi habere ideam, hoc eſt* (per 2 Schol. Prop. 40. hujus) *verum & falſum ſecundo aut tertio cognitionis genere cognoſcere.*

PROPOSITIO XLIII.

Qui veram habet ideam ſimul ſcit, ſe veram habere ideam, nec de rei veritate poteſt dubitare.

ASſentimur huic propoſitioni tanquam per ſe notæ, ut non egeat Demonſtratione; & quæ adducitur à Spinoza debet haberi pro erronea. Nititur enim corollario Prop. 11. II. & 20. II. quæ falſitatis ſunt convictæ.

In Scholio, quod ſubnectit, provocat primum ad Scholium Prop. 21. II. de quo nos ſuo loco egimus. Porro notat, *præcedentem propoſitionem ſatis per ſe eſſe manifeſtam. Nam nemo*, inquit, *qui veram habet ideam ignorat, veram ideam ſummam certitudinem involvere; veram namque habere ideam nihil aliud ſignifiat, quam perfecte ſive optime rem cognoſcere; nec ſane aliquis de hac re dubitare poteſt, niſi putet, ideam quid mutum inſtar picturæ in tabula, & non modum cogitandi eſſe, nempe ipſum intelligere; & quæſo, quis ſcire poteſt, ſe rem aliquam intelligere, niſi prius rem intelligat? hoc eſt, quis poteſt ſcire, ſe de aliqua re certum eſſe, niſi prius de ea re certus ſit? Deinde, quid idea vera clarius & certius dari poteſt, quod norma ſit veritatis? Sane ſicut lux ſe ipſam & tenebras*

mani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

manifeſtat, ſic veritas norma ſui & falſi eſt. Quæ omnia talia ſunt, ut nemo cum ratione iis contradicere queat, quamvis revera in antecedentibus ipſe Spinoza iis contradixerit, quando imagines cerebri, quæ quid mutum ſunt inſtar picturæ in tabula, cum ideis confudit. In reliquis, quæ in hoc Scholio recenſet, vera ſunt mixta falſis, de quorum diſtinctione facile poteſt judicari ex dictis. Differentia inter falſam & veram ideam ſupponitur ex Prop. 35. II. aſſignata, quam nos falſitatis nota ſignavimus, & corollarium Prop. 11. II. urgetur, quod à nobis rejectum fuit.

PROPOSITIO XLIV.

De natura rationis non eſt res, ut contingentes, ſed ut neceſſarias contemplari.

SEnſus hujus propoſitionis videtur idem eſſe, qui eſt aliorum Philoſophorum dicentium, *rerum eſſentias eſſe æternas*, vel ſimilia, adeoque facile poteſt admitti, cum per ſe hæc videntur eſſe nota. Demonſtratio quoque recte procedit, nitens Prop. 41. II. Ax. 6. I. & Prop. 29. I. Neſcio tamen, an ſub illis verbis non aliud quid occultetur, quam quod prima fronte videntur præ ſe ferre. Hactenus ſane omnes res debent ut contingentes ſpectari, quatenus in ipſarum natura nulla neceſſitas ad exiſtendum involvitur, ſicque omnes differunt à Deo, cujus ſolius natura talis eſt, ut in eâ exiſtentia involvatur, & per conſequens neceſſario exiſtat. Si Spinoza hanc propoſitionem ita intelligat, ut velit, omnes res neceſſario fluere ex natura Dei, uti alias ſolet loqui, fateor, me iſtam propoſitionem non admittere, imo pro falſiſſima habere. Demonſtratio, quam adhibet, ad priorem ſenſum verum videtur deducere, ſed corollaria, quæ inde elicit, poſteriorem ſenſum ſupponere videntur. Sed forte ſequentes propoſitiones animum hujus Auctoris melius denudabunt, prout quoque id in antecedentibus fuimus experti. Et revera poſtea hic ſorex proprio ſuo ſe prodidit indicio, & cuilibet conferenti demonſtrationem Prop. 29. V. cum hac propoſitione & corollario facile apparebit, hoc ſenſu, quem ſubodorabar, & propoſitionem hanc & corollaria adjecta protuliſſe.

Corollarium I. eſt, *hinc ſequitur, à ſola imaginatione pendere, quod res*

res tam reſpectu præteriti, quam futuri ut contingentes contemplemur. Hoc nimis univerſale videtur, atque ita ulterius extendi quam rerum natura permittit, aut ſupponere, omnes res eſſe imaginabiles, quod ſane eſt confundere res corporeas & incorporeas inter ſe invicem ineptiſſima confuſione. Mentes ſane noſtræ nequeunt per imaginationem concipi, cum totæ ſint ſpirituales, earumque eſſentia in cogitatione plane conſiſtat: non ergo poteſt ab imaginatione pendere, quod mentem Petri vel meam reſpectu præteriti & futuri ut contingentem contempler, niſi id intelligam tantummodo de ipſo tempore, quatenus tali, quòd fateor me per imaginationem concipere poſſe; quod ſi igitur corollarium iſtud de tempore voluit intelligere & hinc ejus ſenſum voluit eſſe, quod imaginatione noſtra verſemur circa tempus & ejus differentias, atque adeo, dum res ad illas temporis differentias referimus, nos illam relationem non poſſe niſi ope imaginationis concipere, quatenus tempus alterum relationis extremum non niſi imaginatione poteſt concipi, poſſet id admitti. Sed quid ſibi velit hoc corollario ulterius patebit ex ſcholio, in quo corollarii explicationem inſtituit. Provocat ad Prop. XVII. hujus cum corollario, ubi tamen minus reperitur, quàm hîc ſe oſtendiſſe dicit. Ex iis patet quidem, *poſſe mentem humanam corpora externa, à quibus corpus humanum ſemel affectum fuit contemplari ut præſentia, etſi non exiſtant nec præſentia ſint*, ſed inde non patet, quod hic dicit Spinoza, *mentem, quamvis res non exiſtant, eas tamen* SEMPER *ut ſibi præſentes imaginari, niſi cauſæ occurrant, quæ earum præſentem exiſtentiam ſecludant.* Prop. 18. habet hoc, quod hîc dicit. Quâ ratione tandem tempus imaginemur non malè declarat, quibus propterea nos refragari nolumus.

Corollarium II. *De natura rationis eſt res ſub quâdam æternitatis ſpecie percipere.* Hoc illud eſt, quod ad propoſitionem ipſam obſervavimus, exprimi per receptum inter omnes axioma: *Rerum eſſentias eſſe æternas* demonſtrationem vero, qua confunditur æterna Dei neceſſitas cum æternitate rerum propter Prop. 16. I. quam falſam oſtendimus, & cui ex parte hæc demonſtratio nititur, meritò rejicimus.

PROPOSITIO XLV.

Unaquæque cujuſcunque corporis, vel rei ſingularis, actu exiſtentis, idea Dei æternam & infinitam eſſentiam neceſſariò involvit.

HÆc propoſitio merito tanquam falſa eſt repudianda, cùm involvat confuſionem, huic Auctori conſuetam, inter eſſentiam Dei & eſſentiam non tantùm creaturarum ſpiritualium ſive cogitantium, ſed etiam corporearum. Id quod apparet quoque ex demonſtratione ficulnea, quæ nititur coroll. Prop. 8. II. Prop. 15. I. Prop. 6. II. & Def. 6. I. quæ omnia ſuis locis refutavimus.

In ſcholio obſervat, ſe *per exiſtentiam hîc non intelligere durationem, hoc eſt, exiſtentiam, quatenus abſtracte concipitur, & tanquam quædam quantitatis ſpecies*, quam explicationem admittimus. Sed quod dicit, ſe *loqui de ipſa natura exiſtentiæ, quæ rebus ſingularibus tribuitur, propterea quod ex æterna neceſſitate Dei naturæ infinita infinitis modis ſequuntur* juxta Prop. 16. I. concipit talem rerum exiſtentiam, quæ merum eſt inanis cerebri figmentum, cùm Principium illud Prop. 16. I. poſitum longe ſit falſiſſimum.

PROPOSITIO XLVI.

Cognitio æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei, quam unaquæque idea involvit, eſt adæquata & perfecta.

SUpponit hæc Propoſitio, *unamquamque ideam involvere cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei*, quod nititur illa confuſione eſſentiæ divinæ cum eſſentia rerum ſæpius à nobis reprehenſa, quamvis aliâs non negemus ideam cujuslibet rei nos adducere ad cognitionem Dei tanquam ejus cauſam, cùm res quælibet non poſſit aliter concipi, quam ut dependens à Prima omnium rerum cauſa, quæ eſt Deus. Sed hinc non conſequimur niſi imperfectam quandam cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei, eamque generalem, adeoque non ſatis diſtinctam, quam ille more ſuo *adæquatam* appellat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Demonſtratio nititur propoſitione præcedenti, quæ jam de falſitate eſt convicta.

PROPOSITIO XLVII.

Mens humana adæquatam habet cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei.

EX ſcholio Prop. 36. IV. putat, eum hac propoſitione intelligere, *quod ad mentis humanæ eſſentiam pertineat habere adæquatam cognitionem Dei infinitæ & æternæ eſſentiæ*, id quod falſum plane eſt, cùm multæ ſint humanæ mentes, quæ non habeant ullam actualem cognitionem Dei infinitæ & æternæ eſſentiæ, pauciſſimæ, quæ habeant talem cognitionem Dei infinitæ & æternæ eſſentiæ, qualem habet Spinoza cum ſuis.

Demonſtratio nititur fundamentis plane erroneis, quem in cenſum referenda eſt Prop. 22 & 23. II. ut & Propoſitiones præcedentes 45, & 46.

In Scholio rectè obſervat, *Dei infinitam eſſentiam ejusque æternitatem omnibus eſſe notam*, quod tamen non intelligendum eſt eo modo, quo vult ipſe ſcilicet, quod ea involvatur in ipſis rebus, tanquam in ſuis modis, qua ratione ille res extra Deum ſolet concipere. Verum eſt, *nos ex cognitione Dei plurima poſſe deducere, quæ diſtinctè cognoſcamus de rebus*, eo modo, quo id factum eſt à Carteſio oſtendente, veracitatem Dei eſſe fundamentum, quare in clara & diſtincta cognitione rerum non fallamur; item, quatenus idem demonſtravit, omnia à Dei voluntate, omnes rerum eſſentias, omne bonum, omne verum, quod ſcilicet eſt in creaturis, dependere; quatenus idem quoque regulas motûs ex Dei conſtantia & immutabilitate derivavit & deduxit; ſed propterea tamen non poſſumus admittere quod hic dicit, *nos ex cognitione Dei plurima poſſe deducere, quæ adæquatè* hoc eſt diſtinctè *cognoſcamus* eò *quòd omnia in Deo ſint & per Deum concipiantur*: Ille enim omnia in Deo eſſe putat tanquam modos eſſentiæ divinæ, ſicque per Deum vult ut concipiantur, quatenus nequeunt concipi ſine ſubſtantia ejus, cujus ſunt modi, quod apprime falſum. Reliqua, quæ in hoc Scholio ſequuntur, rectius ſe habent. Dicit: *Quod homines non æque claram Dei, ac notionum communium habeant cogni-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

gnitionem, inde fieri, quod Deum imaginari nequeant, ut corpora, & quod nomen Deus *junxerunt imaginibus rerum, quas videre ſolent, quod homines vix vitare poſſunt, quia continuo à corporibus externis afficiuntur.* Quibus verbis pro errore habet, quod homines nomen *Deus* jungant imaginibus rerum corporearum; dicit, *id homines vix vitare poſſe*, ſed propterea non negat abſolute, id poſſe vitari. Si ergo id poteſt vitari & debet quoque, cum ſit erroneum, quare ergo ipſemet non meliorem quoque format Dei conceptum, confundens eum cum Mundo, tribuens ei æque extenſionem ac cogitationem, corpora conſiderans tanquam Dei modos, adeoque ut pertinentes ad ipſum Deum? Quæ concluſionis loco adjicit notatu ſunt digna & veriſſima. *Et profectò plerique errores in hoc ſolo conſiſtunt, quod ſcilicet nomina rebus non rectè applicamus. Cùm enim aliquis ait, lineas, quæ ex centro circuli ad ejuſdem circumferentiam ducuntur, eſſe inæquales, ille ſane aliud, tum ſaltem per circulum intelligit, quàm Mathematici. Sic cum homines in calculo errant alios numeros in mente, alios in charta habent. Quare ſi ipſorum mentem ſpectes non errant ſane; videntur tamen errare quia ipſos in mente putamus habere numeros, qui ſunt in charta: Si hoc non eſſet, nihil eoſdem errare crederemus; ut non credidi quendam errare, quem nuper audivi clamantem, ſuum atrium volaſſe in gallinam vicini, quia ſcilicet ipſius mens ſatis perſpecta mihi videbatur. Atque hinc pleræque oriuntur controverſiæ nempe, quia homines mentem ſuam non rectè explicant, vel quia alterius mentem male interpretantur. Nam revera, dum ſibi maxime contradicunt, vel eadem, vel diverſa cogitant, ita ut, quos in alio errores, & abſurda, eſſe putant, non ſint.*

PROPOSITIO XLVIII.

In mente nulla eſt abſoluta ſive libera voluntas; ſed mens ad hoc vel illud volendum determinatur à cauſa, quæ etiam ab alia determinata eſt, & hæc iterum ab alia, & ſic in infinitum.

DUæ hujus Propoſitionis ſunt partes, quarum utraque eſt falſa. Prima negat libertatem voluntatis, de qua jam egimus primùm ad Defin. 7. Partis I. dein ad Appendicem Partis I. poſtea ad Scholium Prop. 17. II. & tandem ad Scholium Prop. 35. II. quibus in locis libertatem voluntatis aſſeruimus, explicuimus & contra objectiones

ctiones Auctoris defendimus; Altera pars Propoſitionis infinitum cauſarum ordinem introducit à nulla prima dependentem, quod jam in ſuperioribus refutavimus. Demonſtratio nihil minus quam hoc evincit. Nititur Prop. 11. II. Coroll. 2. Prop. 17. I. Prop. 28. I. quæ omnia falſa ſunt fundamenta.

In Scholio dicit, *eodem modo demonſtrari, in mente nullam dari facultatem abſolutam intelligendi, cupiendi, amandi &c.* unde nos colligimus, nihil plane horum ab ipſo eſſe demonſtratum: demonſtratio enim, quam pro priori adduxit, vana fuit; ſic ergo nec hoc niſi vano & inani ratiocinio probari poterit. Hinc jam vult ſequi, *has facultates nihil eſſe præter entia Metaphyſica ſive univerſalia*; ita abſurda abſurdis ſuperſtruit, quæ cadunt omnia ſubruto fundamento. Quomodo hoc intelligat, melius apparet ex Demonſtratione Prop. 49. *In mente tantum dicit eſſe ſingulares volitiones, hanc & illam affirmationem & hanc & illam negationem.* Ergo exiſtimat, in mente nullam eſſe facultatem. Equidem fateor, facultatem non eſſe quid diſtinctum re ab actu, interea puto, diſtingui poſſe & debere tanquam modum cogitandi adeoque ratione. Mens enim, dum hoc affirmat, non repugnat ei abſolute, quò minus poſſet hoc ipſum negare, quod videmus ſæpe ab eadem mente antehac factum & ab aliis mentibus adhuc fieri. Vide & repete illa quæ ad Defin. VII. P. I. ſupra obſervavimus. Subjungit, quid hic intelligat per voluntatem ſcilicet, *affirmandi & negandi facultatem non autem cupiditatem*; illam ulterius explicat dicens, *ſe intelligere facultatem qua mens, quid verum, quidve falſum ſit affirmat vel negat, & non cupiditatem, qua mens res appetit, vel averſatur.* Largiamur ipſi hanc diſtinctionem, quid inde? an propterea facultas affirmandi & negandi non diſtinguitur à facultate percipiendi ſive intelligendi? An mens non habet aliam formam quando negat, aliam quando affirmat, aliam quando ſolummodo intelligit & percipit, nihil judicans, quod fieri poteſt vel dubitando, vel ad aliam rem celeritate cogitandi tranſeundo? Vix videtur id cum ratione negari poſſe. Putat tamen, ſe *demonſtraſſe, has facultates eſſe notiones univerſales,* & tantum nunc inquirendum, *an ipſæ volitiones aliquid ſint præter ipſas rerum ideas.* Quia ſcilicet id deduxit ex Prop. 48. quam falſam oſtendimus; inquiſitionem inſtituit Prop. 49. ſequenti, ubi illam examinabimus; hîc tantum adhuc annotat, ſe agere de ideis ſive mentis conceptibus, non de imaginibus, quales in fundo oculi vel cerebro formantur.

PROPOSITIO XLIX.

In mente nulla datur volitio, affirmatio & negatio præter illam, quam idea, quatenus idea eſt, involvit.

IN hac propoſitione ambiguitas hæret, poteſtque illa ſano ſenſu concedi. Dum quis habet ideam alicujus rei, qualiſcunque illa fuerit, opus eſt ut aliquid de illa re percipiat, v. gr. qui habet ideam centauri, percipit à parte ſuperiori hominem, à parte inferiori equum; hoc, quod ſic percipit de centauro, eo ipſo de eo affirmat, dicitque in mente ſua, centaurum eſſe à parte ſuperiori hominem à parte inferiori equum. Sic affirmationem eſſe in idea, quatenus idea eſt, facile concedimus. Dicat nunc aliquis centaurum exiſtere, dicat alter centaurum non exiſtere, ego vero nihil de eo determinem; negari ſane non poteſt, alium eſſe cogitationis formam, qua nihil determinatur de centauri exiſtentia, nihil quoque cogitetur de illa exiſtentia, aliam qua ea affirmatur, aliam qua negatur: Quid nunc eſt difficultatis, ſi ad has mentis functiones revera inter ſe invicem diſtinctas utar vocibus diſtinctis, dicamque, eum, qui habet ideam centauri neque cogitat de ejus exiſtentia, habere *nudam* ejus *ideam*; qui nihil de exiſtentia iſta determinat, quamvis de ea cogitet *dubitare* de illa; qui dicit, centaurum exiſtere, *affirmare*; qui dicit centaurum non exiſtere, *negare*. Et ſane ex illis, quæ Spinoza habet in Tract. de intellectus Emendatione, aliiſque conſtare poteſt, ne quidem ab ipſo hæc potuiſſe negari. pag. 371. Inquit, *ſe fingere*, *Petrum ire domum*. Ponamus nunc, alium fingere, *Petrum ire domum*, an non potuit Spinoza audire hoc dicentem, & non cogitare an hoc ſit verum nec ne? An non potuit cogitare de eo, & nihil determinare, an verum ſit Petrum ire domum? An non potuit ita de eo cogitare ut aſſentiretur dicenti, vel ut diſſentiret? An non in priori caſu debebit dici *nudam habuiſſe* ejus rei *ideam*? In ſecundo caſu *dubitaſſe*, in tertio *affirmaviſſe*, in quarto *negaviſſe*? Quantum jam ad negationem attinet eam non poteſt idea, quatenus idea eſt, involvere, ſi una & ſola conſideretur, ſed ſi duæ diverſæ ideæ inter ſe invicem comparentur, poteſt ſuo ſenſu dici, quod una idea involvat negationem alterius. Ita v. gr. idea Trianguli involvit negationem quadrati,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

drati, quatenus is, qui affirmat, triangulum eſſe figuram tres complectentem angulos, negat eſſe figuram complectentem angulos quatuor, ſemper tamen eo modo, quo antea, poteſt idea nuda à dubitatione, negatione & affirmatione diſtingui. Diſtinguendum autem porro eſt inter id, quod exprimit rei eſſentiam, cujus ideam habemus, & id quod aliquam rei exprimit proprietatem. Id quod exprimit rei eſſentiam ita involvit idea rei, ut omnino id affirmet, uti, Triangulum eſt figura tres complectens angulos; ſed quod exprimit rei proprietatem, id ita tantum involvit idea rei, ut dum exprimit rei eſſentiam ſuppeditet ſufficiens fundamentum id eliciendi. Hoc tantum probat demonſtratio Spinozæ. Sic recte quidem dicitur, trianguli ideam in volvere hanc affirmationem, quod *tres ejus anguli æquentur duobus rectis*, quatenus ſufficiens ſuppeditat fundamentum, ex quo poſſit concludi, in triangulo quolibet 3. angulos eſſe æquales duobus rectis; ſed propterea hæc affirmatio & negatio non poteſt dici formaliter cum idea ipſa convenire, vel non diſtingui mentis actum, quo idea formatur, ab illo mentis actu, quo aliquid affirmatur & negatur. Sic idea anguli contactus involvit, illum eſſe minorem omni angulo rectilineo, uti demonſtratum eſt Prop. XVI. Euclidis Lib. III. ſed non tamen propterea id affirmavit Peletarius, qui cum Clavio hâc de re contendit. Ita idea corporis involvit ejus diviſibilitatem in infinitum, ſunt tamen, qui eam non affirmant, ſed negant hanc ipſam proprietatem, & ita de infinitis aliis.

Corollarium hinc deducit: *Voluntas & intellectus unum & idem ſunt*; quod poteſt duplici ſenſu accipi, vel ita, ut ſignificet, voluntatem & intellectum realiter non differre, cum ſint attributa ejuſdem mentio, quod libenter concedimus; ſed hoc ſenſu non id accipitur, verum hoc alio, quod voluntas & intellectus ne quidem formaliter differant, quodque intellectus non poſſit eſſe ſine voluntate; quo ſenſu ego illud pro falſo rejicio, poteſtque id ſatis cognoſci ex antea dictis. Demonſtratio ſponte ſua cadit, quia nititur Prop. 48. & ejuſdem Schol. & propoſitionibus præcedentibus, quas nos falſitatis arguimus. Pergamus tantùm ad Scholium, quod huic propoſitioni annectit. In eo poſt repetitionem eorum, quæ in præcedentibus tractavit, primum oſtendit, *hominem qui falſis adhæret, non poſſe dici certum, quoniam per certitudinem quid poſitivum intelligimus, non vero du-*

dubitationis privationem, & provocat ad Prop. 43. hujus cum ejuſdem Scholio. Sed Propoſ. 43. tantum dicit, quod is, *qui veram habet ideam ſimul ſciat, ſe veram habere ideam, nec de rei veritate poſſit dubitare*; unde non ſequitur, eum, qui habet ideam confuſam, non poſſe habere aſſenſum de re non clare & diſtincte percepta, eique aſſenſui firmiter adhærere, contrarium enim teſtatur experientia. Vox vero *certum* vel *certitudo* ex communi uſu videtur ferre, ut etiam iis tribuatur, qui pro ſententia aliqua, quamvis falſa, tanquam pro aris & focis pugnant; unde eſt, quod ad hanc difficultatem ſolvendam ſoleat diſtingui inter certitudinem *formalem* & *adhæſivam*, idque ita, ut per *formalem* certitudinem intelligatur ille animi aſſenſus, qui firmis ſtabilitus eſt fundamentis, & qui nititur clara & diſtincta perceptione, ſive, ut cum Spinoza loquar, qui nititur vera idea; & per certitudinem *adhæſivam* ille aſſenſus, quo firmiter animus adhæret objecto alicui, de quo tamen tantum confuſam habet cognitionem: Sed ſic quæſtio ſupereſſet tantum de nomine.

Deinde vult diſtingui *inter ideam, ſive mentis conceptum, & inter imagines rerum, quas imaginamur, & inter verba, quibus res ſignificamus*, in quo facile inter nos conveniet. Porro dicit, *eos, qui ideas veluti picturas in tabula mutas adſpiciunt, hoc præjudicio præoccupatos non videre, ideam, quatenus idea eſt, affirmationem aut negationem involvere*; qua de re jam diximus in antecedentibus, oſtendentes quo ſenſu poſſit dici, ideam involvere affirmationem aut negationem. Ego igitur omnino puto, diſtinguendas eſſe imagines rerum corporearum, quæ in fundo oculi vel in medio cerebro formantur, ab ideis, quæ in mente ſunt, quæ plane incorporeæ ſunt, ac nihil aliud quam repræſentamina rerum, & animi noſtri conceptus, quos de rebus habemus, quæ propterea mutæ dici nequeunt; ſed tamen propterea non video, *ideam quatenus idea eſt, affirmationem aut negationem involvere*, eo ſenſu, ac ſi neceſſario & ſemper in actu mentis illius, qui habet ideam, dum illam habet, debeat adeſſe affirmatio aut negatio, prout vidimus ad Propoſ. præced. 49. Quantum attinet ad eos, *qui verba confundunt cum idea, vel cum ipſa affirmatione, quam idea involvit* (intellige id hoc ſenſu, quo admiſi ſuperius) concedo, eos putare, *ſe poſſe contra id, quod ſentiunt velle, quando aliquid ſolis verbis contra id, quod ſentiunt, affirmant aut negant*, quia tales, quod eſt in verbis, transferunt ad voluntatem ſive mentem; libenter quoque admitto, quod

idea

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

idea ſit modus cogitandi, inde concludendum ſentio, non debere ipſam mentem humanam pro modo Dei haberi, contra quàm ille ſentit, prout etiam ſuperius obſervatum fuit.

His ſic præmiſſis accingit ſe ad ſolvendas, quas vocat, objectiones contra ſuam doctrinam, qua volitionem omnem ſive Liberum Arbitrium, quod ſit diſtinctum à mentis idea, plane evertere conatur. Objectio prima inde deſumitur, quòd voluntas latius ſe extendat, quàm intellectus, quia experimur, nos non majore aſſentiendi, ſive affirmandi & negandi facultate indigere ad aſſentiendum infinitis aliis rebus, quas non percipimus, quàm jam habemus, quamvìs indigemus majori facultate intelligendi; diſtingui ergo voluntatem ab intellectu, quod finitus hic ſit, illa autem infinita; hanc objectionem proponit p. 88. Videamus reſponſionem, quæ occurrit p. 89. Dicit, *ſe concedere, voluntatem latius ſe extendere, quàm intellectum, ſi per intellectum claras tantummodo & diſtinctas ideas intelligimus, ſed negare, voluntatem latius ſe extendere, quàm perceptiones ſive concipiendi facultatem; nec ſane videre, cur facultas volendi potius dicenda ſit infinita, quam ſentiendi facultas; ſicut enim infinita (unum tamen poſt aliud; nam infinita ſimul affirmare non poßumus) eadem volendi facultate poſſumus affirmare, ſic etiam infinita corpora (unum nempe poſt aliud) eadem ſentiendi facultate poßumus ſentire, ſive percipere.* Ad quæ reſpondeo, me hîc quod concedit accipere, *voluntatem* nempe *ſe latius exendere quàm claras & diſtinctas ideas*, quibus Prop. 35. II. opponit *ideas mutilatas & confuſas*: at qui habet ideas mutilatas & confuſas non poteſt dici rem intelligere. In ideis confuſis eſt aliquid clarum, ſed quod non eſt ſeparatum ab altero, quod clarum non eſt. Quod clarum eſt hoc ſolum intelligitur, ſed alterum eo ipſo, quo tale non eſt, non intelligitur. Eſt ergo idea confuſa ea, in qua aliquid intelligitur, aliquid verò non intelligitur, & tamen de utroque & de eo, quod intelligitur, & quod non intelligitur, judicatur: v. gr. intelligitur vinum eſſe in poculo, ſed non intelligitur venenum commixtum, judicatur tamen poculum qualecunque eſt, eſſe exhauriendum. Idea ergo confuſa, quatenus confuſa eſt non intelligitur, & ideæ nomen accipit ratione ejus *clari*, quod in ipſa eſt, non ratione, alterius quod cum ea conjungitur, quod non intelligitur. An enim diceret Spinoza, eum *mentem* intelligere, qui illam concipit tanquam aliquid ſubtile & tenue per corporis noſtri membra diffuſum, atque inde judicat, men-

tem ſe contrahere & recipere ad reliqua membra reſciſſo pede, vel mentis quandam partem mutilari mutilato pede, ſicque mentem dividi? An qui ſtatuit dari poſſe vacuum extenſum ſine corpore poteſt dici naturam corporis intelligere? An naturam Dei intellexerunt gentiles, qui plures Deos eſſe opinati ſunt? An non iſtorum omnium voluntas ſive judicium ſeſe extendit ulterius quam intellectus? An non pro communi notione fere eſt habendum, *quod erremus, quando judicare volumus, dum res non intelligimus*, in quo ſupponitur voluntatem ſeſe extendere ultra intellectum, adeoque ſe latius extendere voluntatem quàm ſe extendit intellectus? An non ſolemus dicere errantibus, eos rem non intelligere? Quid hic eſt in quo poſſit contradici. Cæterum omnem abſurditatem ſuperat, quod negat, volendi facultatem potius poſſe dici infinitam, quàm facultatem ſentiendi: nihil enim eſt, quod homo non poſſit velle, cujus rei exempla ſunt ubique obvia, cum tamen multa ſint, quæ nequeat intelligere, multò plura quæ nequeat ſentire: Fuerunt homines qui voluerunt eſſe dii, qui auſi ſunt bellum Deo inferre, qui volunt Deum non eſſe: An horum omnium quiſquam cenſendus eſt iſtud objectum intellexiſſe? An ergo eorum voluntas non ſe extendit latius, quam eorum intellectus? An non homo poteſt velle multa, quæ nunquam ſenſit, nunquam ſenſurus eſt, quæ ſentiri non poſſunt? An non infinita vult, hoc eſt affirmat eorum, quæ ſpectant puram Matheſin, an non multa, quæ in Algebra docentur? An hæc poteſt dici percipere poſſe facultate ulla ſentiendi? An homo non vult virtutes, prudentiam, amorem Dei &c. quæ nullis ſenſibus unquam poteſt percipere? An non ergo manifeſtum eſt, facultatem volendi potius dicendam eſſe infinitam, quam facultatem ſentiendi? Sed format ſibi Spinoza inſtantias iiſque ſatisfacere conatur Inſt. 1. eſt, *quod ſi dicant, infinita dari, quæ percipere non poſſumus.* Reſponſio ſequitur: *regero, nos ea ipſa nulla cogitatione & conſequenter, nulla volendi facultate poſſe aſſequi.* At nos contrarium ejus jam oſtendimus: percipere non poſſumus plures Deos, an propterea tamen non ſunt crediti? An non creduntur adhuc? quot quæſo ſunt errores in communi vita? an non in illis omnibus judicat homo de non perceptis? An qui merces emit corruptas eas intellexit tales, an non tamen voluit? an qui venenatum poculum ebibit non voluit illud? an tamen venenatum intellexit? Inſt. 2. eſt, *At dicunt, ſi Deus vellet efficere, ut ea etiam perciperemus, majorem quidem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

dem facultatem percipiendi deberet nobis dare, ſed non majorem, quàm dedit volendi facultatem. Reſponſio ejus eſt : *quod idem eſt, ac ſi dicerent, quod ſi Deus velit efficere, ut infinita alia entia intelligeremus, neceſſe quidem eſſet, ut nobis daret majorem intellectum, ſed non univerſaliorem entis ideam, quam dedit, ad eadem infinita entia amplectendum; Oſtendimus enim voluntatem ens eſſe univerſale, ſive ideam, qua omnes ſingulares volitiones, hoc eſt, id, quod in omnibus commune eſt, explicamus. Cùm itaque hanc omnium volitionum communem, ſive univerſalem ideam facultatem eſſe credant, minime mirum, ſi hanc facultatem ultra limites intellectus in infinitum ſe extendere dicant. Univerſale enim æque de uno, ac de pluribus, ac de infinitis individuis dicitur.* Sed quod de univerſalitate voluntatis hîc oggerit ejus fundamenta & nervi jam eliſi ſunt ad Prop. 48. II. Voluntas item intellectus meæ v. gr. mentis, nihil eſt aliud, quam mea mens diverſimode denominata, prout reſpicitur ad actum aliquem ejus intelligendi vel ad actum aliquem volendi. Hæc *mea mens* eſt res quædam ſingularis, ſic etiam voluntas mea, meus intellectus, quæ nihil aliud ſunt, quam *mea mens*, ſunt res eadem ſingularis. Meus intellectus tamen valde finitus eſt, cum pauca admodum ſint, quæ intelligo, ſi comparatio inſtituatur cum illis omnibus, quæ non intelligo; in quorum cenſum referenda ſunt omnia ea, de quibus habeo ideas tantum confuſas juxta dicta ſuperius; adeoque mea mens, prout tanquam intelligens ſive tanquam intellectus concipitur, valde eſt finita; ſed mea voluntas, adeoque mea mens, quatenus ſpectatur ut volens, procul dubio juxta dicta ſe extendere quoque poteſt ad infinita, quæ intellectui non obverſantur, adeoque latior eſt intellectu. Eſt tamen manetque mea mens, ſive intelligat ſive velit, non ens aliquod univerſale, ſed ſingulare plane, eo ipſo quòd mea eſt, manetque.

Objectionem ſecundam ſic proponit p. 88 & 89. *quod noſtrum judicium poſſumus ſuſpendere, ne rebus quas percipimus aſſentiamur, teſte experientia; quod hinc etiam confirmatur, quod nemo dicitur decipi, quatenus aliquid percipit, ſed tantum quatenus aſſentitur aut diſſentit: ex. gr. qui equum alatum fingit, non ideò concedit, dari equum alatum, hoc eſt, non ideo decipitur, niſi ſimul concedat, dari equum alatum, nihil igitur clarius videtur docere experientia, quàm quod voluntas, ſive facultas aſſentiendi libera ſit, & à facultate intelligendi diverſa;* ſed in hac objectione proponenda non ſatis ſincere agit: Nos enim non dicimus,

 nos

nos poſſe judicium noſtrum ſuſpendere, tunc, quando rem aliquam percipimus clare & diſtincte, ſive, quando intelligimus, (hæc enim duo nobis ſunt eadem); ſed dicimus, nos id poſſe, quando non intelligimus, ſive, quando rem clare & diſtincte non percipimus. Expreſſe Carteſius docet; quod quando clara lux eſt in intellectu, non poſſit non magna eſſe propenſio in voluntate, quomodo ergo poſſet dicere, nos poſſe noſtrum judicium ſuſpendere, ne rebus, quas percipimus, aſſentiamur? Sed hoc nos docemus cum Carteſio; nos poſſe judicium noſtrum ſuſpendere, quando res non percipimus, idque teſtari dicimus experientiam, quod ſatis ex IV. Meditatione Carteſii patet his inter alia verbis: *Suppono, nullam adhuc meo intellectui rationem occurrere, quæ mihi unum magis quam aliud perſuadeat, certe ex hoc ipſo ſum indifferens ad utrumlibet affirmandum vel negandum, vel etiam ad nihil de ea re judicandum.* Noſtrum argumentum totum huc redit, quod nemo decipiatur, quando rem non ſatis clare percipit, ſed quando de re illa, quam non recte intelligit, vult judicare, dum eam nondum clare intelligit. Ita exemplum de equo alato huc ſic poteſt applicari, quod is, qui equum alatum concipit, ſive, qui ideam format equi alati, recte quidem ſtatuat, illum conceptum nullam implicare contradictionem, ſed poſſit judicium ſuſpendere de exiſtentia equi alati, quamdiu non clare percipit equum alatum exiſtere. Sic nunc videamus, quid ad illam objectionem, quam pro lubitu formavit, reponat. Reſpondet p. 90. *negando, nos liberam habere poteſtatem judicium ſuſpendendi. Nam cum dicimus, aliquem judicium ſuſpendere, nihil aliud dicimus, quam quod videt, ſe rem non adæquate percipere. Eſt igitur judicii ſuſpenſio revera perceptio, & non libera voluntas.* Sed id ſic non evincit. Quando conſcii ſumus claræ alicujus & diſtinctæ perceptionis, ea luce ſuâ ita irradiat & abripit mentem, ut non poſſit non ſequi judicium: Sed alia ratio eſt perceptionis *non diſtinctæ*, quam ille dicit *non adæquatam*, quæ mentem non adeo afficit, niſi conjunctum habeat vehementem aliquem affectum, ut ſequatur judicium. Ejus quidem tanquam perceptionis mens ſemper eſt conſcia, ſed non tanquam perceptionis confuſæ, tenebræ non cognoſcuntur niſi ex luce vel antecedente vel ſubſequente. Hæc lux quando ſupervenit menti, tum demum mens fit conſcia hujus ſuæ confuſæ ideæ, quæ ei obverſatur, eamque ut talem cognoſcit, atque ſic poteſt dici dividere, quod *rem confuſe*, ſive, prout ille loqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tur, non adæquate, *percipiat*? Quid ergo eſt illud videre? Et quomodo videt mens, quod *non adæquate*, h. e. non diſtinctè *percipiat*? Hoc videt, dum attendit ad aliquam claram perceptionem, eamque comparat cum præſente confuſa: illa eſt quaſi lux quædam afferens etiam lucem perceptioni non diſtinctæ, ſaltem ut cognoſcatur, quod non ſit diſtincta. Sed propterea ipſum illud *videre*, *quod rem non adæquate* h. e. non diſtinctè, *percipiamus*, non eſt *ſuſpenſio judicii*: Poſſunt affectus vehementes v. gr. amor, ira &c. impedire, ut non ſuſpendatur judicium, quando quis videt, quod rem non diſtinctè percipiat; fieri etiam poteſt, ut, ubi res ſentitur non diſtinctè percipi; ſequatur tamen judicium, quia quis cenſet alios viros ſapientes rem illam, quam tradiderunt, diſtinctè intellexiſſe, ut ita auctoritate illorum ductus conſentiat in iis, quæ non diſtinctè ſe percepiſſe eſt perſuaſus. Concedimus, ſæpe ſequi iſtam judicii ſuſpenſionem, quando animadvertitur, rem diſtinctè non eſſe perceptam, negamus id fieri ſemper. Neque tamen, ſi id ſemper fieret, ſequeretur, hos actus, judicium ſuſpendendi, & videndi, quod rem non perceperimus adæquate ſive diſtinctè, à ſe invicem non differre. Non tantum enim ſuſpenditur judicium, quando quis videt, ſe rem non adæquate ſive non diſtinctè percipere, fit etiam illud, quando id non videt, per quandam negligentiam, non attendendo ad ea, quæ obveniunt & ſic de iis non judicando, quod inprimis locum habet in infantibus; ſicut, etſi judicium ſemper ſequatur diſtinctam perceptionem, non tamen propterea judicium eſt ipſa perceptio, judicium enim illud adeſt quoque ſæpe, quando prævia clara & diſtincta perceptio non præcedit: ſub alia forma eſt mens, dum percipit, ſub alia, dum judicat, & ſub alia, quando judicium ſuſpendit: debent ergo iſta omnia à ſe invicem diſtingui.

Sed videamus, quomodo hoc ille ſtabiliat. *Concipit puerum equum imaginantem, nec aliud quicquam percipientem. Quandoquidem, inquit, hæc imaginatio equi exiſtentiam involvit* (per Coroll. Prop. 17. hujus) *nec puer quicquam percipit, quod equi exiſtentiam tollit, ille neceſſario equum, ut præſentem, contemplabitur: nec de ejus exiſtentia poterit dubitare, quamvis de eadem non ſit certus.* Sic putat ſequi nos non habere liberam poteſtatem ſuſpendendi. Corollarium Prop. 17. hujus dicit: *poſſe mentem humanam corpora externa, à quibus corpus humanum ſemel affectum fuit, contemplari velut præſentia, etſi nec exiſtant, nec præſentia ſint*, ſed

corollarium non dicit, mentem humanam v. gr. pueri iſtius, *ſemper contemplari* equum velut præſentem, etſi non exiſtat. Viderit puer equum præſentem, formata eſt ſic imago iſtius equi in pueri cerebro, eam, dum contemplatur, repræſentat ſua imaginatione ſibi equum, ſed, dum non amplius viſui ejus obverſatur, non cogitabit eum exiſtere. Nec opus eſt, ut puer quicquam percipiat, quod equi exiſtentiam tollat, ſufficit; ut equus ejus viſui non occurrat; ſic enim non neceſſario contemplabitur equum ut præſentem : iſtud igitur exemplum non probat inſtitutum. Quomodo verò is, qui non eſt certus de exiſtentia alicujus rei, non poſſit dubitare de exiſtentia ejuſdem, fateor, me non intelligere. Si is, qui non eſt certus de aliqua re, non poſſit de eadem dubitare, quis ergo id poterit? An dicendum erit eum id poſſe, qui eſt certus de aliquâ re? An potius dicendum, neminem poſſe dubitare de aliqua re, ſive ſit certus, ſive incertus? Sic ergo nulla amplius locum habebit dubitatio inter homines, quod qui dixerit ſoli obloquetur. Alterum ex ſomnis deſumit. Dicit, *ſe non credere, aliquem eſſe, qui putet, ſe, dum ſomniat, liberam habere poteſtatem ſuſpendendi de iis, quæ ſomniat, judicium, efficiendique ut ea quæ ſe videre ſomniat, non ſomniet; & nihilominus contingere, ut etiam in ſomnis judicium ſuſpendamus, nempe cum ſomniamus, nos ſomniare.* Sed quid tum? An quia, dum ſomniamus, hoc eſt, quia aliquando, non habemus liberam poteſtatem ſuſpendendi judicium: Ergo nunquam habemus? Quis ſic concluſerit? Eſt hoc inter illa, quæ neceſſitatem errandi imponunt humanæ naturæ, prout nunc eſt conſtituta. Exempla hujus rei adduxit Carteſius in Medit. VI. quodque ea cum immenſa Dei bonitate non pugnent, demonſtravit. Quid vero fit in ſomnis? Ligatis ſenſibus externis, ſpiritus in cerebro non occcupati aliis diverticulis, quæ in vigilantibus locum habent, dum variis modis debent movere muſculos, & eorum interventu membra corporis humani, ſatis copioſi incurrunt in veſtigia illa, quæ in cerebro ſunt, quæ antea facta erant per incurſum objectorum externorum; ſic ſatis vehementer in illa agentes tam vividè repræſentant objecta ac olim vigilantibus eſt factum. Non ergo mirum, quod ſecundum iſtam ideam tunc formetur illud judicium. Ex his verò tantùm conſequitur, neceſſitatem *aliquando* imponi menti noſtræ, ut judicet, quod nos non negamus; nam etiam quando prævia eſt clara & diſtincta perceptio alicujus rei ſequitur neceſ-

ſario

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſario judicium in noſtra mente ſecundum iſtam claram & diſtinctam perceptionem. Neque enim pugnat omnis neceſſitas cum voluntatis Libertate, quod à Theologis noſtris in doctrina de Providentia Dei ſolet demonſtrari, ſed tantum neceſſitas naturalis, quæ locum habet in rebus brutis & omnem voluntatem ab iis excludit, & neceſſitas coactionis, quæ ipſi voluntati & libertati repugnat. Etſi igitur dum ſomniamus, non habeamus liberam poteſtatem ſuſpendendi judicium de iis, quæ ſomniamus non tamen tunc vel coacti vel neceſſitate brutâ acti judicamus, ſed lubentes & volentes adeoque liberè. Ipſe Spinoza à libertatis definitione neceſſitatem non excludit, ſed includit potius, dum Parte I. Defin. VII. ſic format: *Ea res libera dicetur, quæ ex ſola ſuæ naturæ neceſſitate exiſtit, & à ſe ſola ad agendum determinatur.* Epiſtola vero 60. p. 578. reprehendit eum, ad quem ſcribit, quod nullam inter Coactionem vel vim & Neceſſitatem differentiam conſtituere videatur, & neget, liberum & neceſſarium eſſe duo inter ſe contraria, quæ etiam nos antea dum Definit. VII. examinaremus, conſideravimus. Si ſomniemus nos ſomniare, non tam ſuſpendimus judicium, quam judicamus, prius illud viſum eſſe ſomnium, quod tamen parum facit ad noſtrum negotium, cùm in his omnibus actibus locum habere poſſit voluntas ſive liberum arbitrium, quia lubentes ſic judicamus. Fons erroris Spinozæ in eo videtur conſiſtere, quod Libertatem confundat cum indifferentia, quæ infimus eſt gradus Libertatis eamque non corroborat, ſed imminuit potius, ſpectatque ad ejus imperfectionem, cum tamen aliis quibuſdam in locis, ubi negat neceſſitatem pugnare cum libertate, quæ ad Def. VII. vidimus, eo ipſo illam indifferentiam à natura Libertatis plane removeat.

Poſt hæc conatur probare, *Hominem, quatenus percipit, affirmare*; Sic ille: *Porro concedo, neminem decipi, quatenus percipit, hoc eſt, mentis imaginationes, in ſe conſideratas, nihil erroris involvere concedo*; (vide Schol. Prop. XVII. hujus) *ſed nego, hominem nihil affirmare, quatenus percipit. Nam quid aliud eſt equum alatum percipere, quàm alas de equo affirmare? Si enim Mens præter equum alatum nihil aliud perciperet, eundem ſibi præſentem contemplaretur, nec cauſam haberet ullam dubitandi de ejuſdem exiſtentiâ, nec ullam diſſentiendi facultatem, niſi imaginatio equi alati juncta ſit ideæ, quæ exiſtentiam ejuſdem equi tollit, vel quod percipit, ideam equi alati, quam habet, eſſe inadæquatam, atque tum vel ejuſdem equi exiſtentiam neceſſario negabit, vel de eâdem neceſſariò dubitabit.* Hîc

autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

autem primùm obſervo, eum pro iiſdem habere mentis perceptiones & mentis imaginationes, quod perperam fieri ad Schol. Prop. XVII. hujus jam obſervavimus; quam enim imaginem format prudentiæ, amoris Dei, juſtitiæ aliarumque virtutum? quam imaginem format, dum percipit mentem, dum objecta puræ Matheſeos ipſi obverſantur? An verò negabit ſe iſthæc percipere, quia nequit imaginari? Nequeo verò intelligere, quomodo dici poſſit hominem affirmare, quâtenus percipit, ſi non decipiatur quâtenus percipit. Concedit enim, hominem multa percipere inadæquatè, hoc eſt, non diſtinctè; ſi igitur illa, quatenus percipit, affirmat, utique errat ſive decipitur. Si is, qui affirmat plures Deos, eos affirmat quatenus percipit, cum in illâ affirmatione ſive perceptione, uti ipſe loquitur, ſit error, utique talis, juxta ipſius hypotheſin, dici debet decipi, quâtenus percipit. Porrò argumentum, quo probat, hominem, quâtenus percipit, affirmare, imbecillum admodum eſt. Quando habemus ideam alicujus rei claram & diſtinctam, omnia illa, quæ ſic in eâ intelligimus, de eâ affirmamus, ob illum neceſſarium nexum, qui eſt inter claram & diſtinctam perceptionem & judicium; poteſt etiam fieri, ut uno eodemque actu, quo rem iſtam percipimus, etiam affirmemus, cum mentis iſti actus ſeſe immeent quaſi in tali caſu, unuſque alterum includat, ſed propterea non ſequitur, formaliter illos non eſſe diſtinctos, quod in ſuperioribus jam notavimus; neque id ſemper obtinet, ut homo, quâtenus percipit, affirmet; ſi enim percipit inadæquate, hoc eſt, non diſtinctè, poteſt utique judicium ſuſpendere, idque ſæpe fieri ſupra oſtendimus, etſi homo ne quidem percipiat, ſe iſtam rem non clarè & diſtinctè percipere. Supra quoque diximus falſum eſſe, quod puer, qui nihil aliud percipit, quam ut equum imaginetur, eum neceſſariò ut præſentem contempletur: Falſum ergo etiam eſt, quod ſi mens præter equum alatum nihil aliud perciperet, eundem ſibi præſentem contempletur, & quæ reliqua hinc deducit Spinoza.

Tertia objectio, quam Spinoza ſibi refutandam ſumit, ſic proponitur. Pag. 89. *quòd una affirmatio non plus realitatis videtur continere, quàm alia, hoc eſt, non majore potentiâ indigere videmur ad affirmandum, verum eſſe id, quod verum eſt, quàm ad aliquid, quod falſum eſt, verum eſſe affirmandum; ac unam ideam plus realitatis, ſive perfectionis, quàm aliam habere percipimus; quantum enim objecta alia aliis præſtantiora,*

tiora, tantum etiam eorum ideæ aliæ aliis perfectiores ſunt; ex quibus etiam conſtare videtur differentia, inter voluntatem & intellectum. Hanc objectionem ſolvi poſſe putat duplici reſponſo: prius eſt, *quòd voluntas univerſale quid ſit, quod de omnibus ideis prædicatur, quodque id tantum ſignificat, quod omnibus ideis commune eſt, nempe affirmationem, cujus propterea adæquata eſſentia, quatenus ſic abſtractè concipitur, debet eſſe in unâquaque ideâ, & hâc ratione tantùm in omnibus eadem; ſed non quatenus conſideratur eſſentiam ideæ conſtituere; nam eâtenus ſingulares affirmationes æque inter ſe differunt, ac ipſæ ideæ. Ex. gr. affirmatio, quam idea circuli, ab illa, quam idea trianguli involvit, æquè differt, ac idea circuli ab ideâ trianguli.* Atque ego quidem fateor, voluntatem poſſe conſiderari, ut quid univerſale, reſpectu ſingularium volitionum, prout ſunt vel in diverſis, vel in uno etiam homine, ſicut etiam idea hoc ſenſu poteſt ſpectari tanquam quid commune omnibus ideis ſingularibus, quas homines ſinguli habent vel etiam unus idemque homo diverſo tempore: nego verò, voluntatem eſſe aliquid univerſale, quod de omnibus ideis prædicatur, nego, ideas eſſe ſpeciem voluntatis, cùm idea & voluntas potius ut oppoſita debeant animadverti. Fundamentum ex quo oritur, ut confundantur idea & judicium, in eo conſiſtit, quod affirmatio involvat ideam in ſuo conceptu, cui addit lationem quandam verſus illud objectum, quod per ideam repræſentatur, ſed tamen malè infertur, iſtam affirmationem ab ideâ non differre, quod tunc demum ſequeretur, ſi vice verſâ idea ſuâ naturâ ſemper involveret affirmationem vel negationem, quod falſum eſſe in ſuperioribus evicimus.

Altera reſponſio Spinozæ ad tertiam objectionem *abſolutè negat, nos æquali cogitandi potentiâ indigere ad affirmandum, verum eſſe id, quod verum eſt, quàm ad affirmandum verum eſſe id, quod falſum eſt. Nam hæ duæ affirmationes, ſi mentem ſpectes, ſe habent ad invicem ut ens ad non ens; nihil enim in ideis poſitivum eſt, quod falſitatis formam conſtituit* (vide Prop. 35. hujus cum ejus Schol. & Schol. Prop. 47. hujus) *quare hîc apprimè venit notandum, quàm facile decipimur, quando univerſalia cum ſingularibus, & entia rationis & abſtracta cum realibus confundimus.* Ego verò puto, attendenti ſatis patere non majorem eſſe potentiam *cogitandi* (NB loquimur de potentiâ cogitandi, quæ in omni actu mentis conſpicitur, non de aliâ) *in affirmando*, verum eſſe id quod verum eſt, quàm in affirmando, verum eſſe id, quod falſum eſt: Sed ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

obſervandum, ſermonem eſſe tantùm de illo mentis actu, qui affirmatio dicitur, ſive, præciſè, de affirmatione, quâtenus eſt affirmatio, quæ conſiſtit tantùm in conjunctione & unione unius conceptûs mentis cum altero. Quid enim quæſo differentiæ eſt in ipſâ affirmatione quâtenus tali, ſive quis affirmet, Deum eſſe unicum, ſive affirmet, Deos eſſe plures? æquè affirmativa eſt prior propoſitio ac poſterior, æquè magna potentia cogitandi requiritur ad unam quàm ad alteram, nulli hìc gradus poſſunt habere locum, non requiritur major intentio animi, non major eſt proclivitas, omnia planè ſunt paria, atque ſic manifeſtum, quòd una affirmatio non plus realitatis contineat, quàm alia. Secus ſe res habet in ideis, quarum una alteram quoad realitatem ſuperat; idea enim, quæ Deum ſupremum, omnes habentem perfectiones, nobis repræſentat, procul dubio plus realitatis in ſe comprehendit, quàm ea, quæ vermem vel plantam vel quid minus perfectum exhibet. Ratio, quæ movit Spinozam ad hoc negandum, imbecilla eſt planè: nego affirmationes iſtas duas, alteram veri, alteram falſi ſe habere ad invicem ut ens ad non ens, utraque enim poſitiva eſt affirmatio, utraque realis, quâtenus utraque realis quidam mentis actus; quod ſi verò in ideis ipſis nihil ſit poſitivum, quod falſitatis formam conſtituat, quod libens concedo; & ſi iſtæ affirmationes ab ideis non differant, ut ille, quamvis perperam, ſtatuit, quomodo ergo poterunt dici à ſe invicem differre, ut ens & non ens? Quod ſi dicat, hactenus differre ut ens & non ens, quâtenus affirmatio falſa oritur ex ignorantiâ, ſive ex ideis mutilatis & confuſis, uti alibi loquitur, regero, ſic non ſpectari ut actus mentis, ſed prout cum altera ex illis iſta ignorantia conjuncta eſt, quâ ratione falſam affirmationem ut non ens ſpectari libens concedo; At de eo non erat quæſtio, ſed de ipſis illis affirmationibus, *ſi mentem ſpectes;* (NB ſic ipſe loquitur) quâ ratione evicimus, utramque eſſe æquè realem.

Reſtat, ut ad quartam objectionem reſponſiones Spinozæ examinemus; objectionem ſic proponit p. 89. *Si homo non operatur ex libertate voluntatis, quid ergo fiet, ſi in æquilibrio ſit, ut Buridani aſina? Famene & ſiti peribit? Quod ſi concedam, viderer aſinam, vel hominis ſtatuam, non hominem concipere, ſi autem negem, ergo ſe ipſum determinabit, & conſequenter eundi facultatem, & faciendi quicquid velit, habet.* Ad hanc objectionem reſpondet p. 91. *ſe omnino concedere, quod homo in*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

in tali æquilibrio poſitus (*nempe, qui nihil aliud percipit, quam ſitim & famem, talem cibum & talem potum, qui æque ab eo diſtant*) *fame & ſiti peribit. Si me rogant, an talis homo non potius aſinus, quam homo ſit æſtimandus? Dico me neſcire, ut etiam neſcio, quanti æſtimandus ſit ille qui ſe penſilem facit, & quanti æſtimandi ſint pueri, ſtulti, veſani &c.* At objectio iſta hâc reſponſione non tollitur; concedit conſequentiam, negat hoc eſſe abſurdum. Vis tamen objectionis in conſequentia majoris conſiſtit, abſurdum vero id eſſe conſtat ex experientia, quæ ſatis conſtanter docet variis exemplis, hominem in tali æquilibrio poſitum ſemetipſum determinare: ſic v. gr. proponuntur ſæpe merces æqualis plane præſtantiæ, emtor convenit de pretio & numero mercium, venditor concedit electionem emtori, ſumit ergo in tali caſu quodvis, adeoque ſemetipſum determinat; quis dubitet ſimiliter futurum, ſi quis fame & ſiti prematur, & proponatur cibus vel potus ejuſdem ſpeciei & præſtantiæ, ita ut nulla ſit diſtinctio; quis inquam dubitet hominem ſumturum quemvis ex illis ad famem & ſitim ſedandam, adeoque ſemetipſam ſe ejus voluntatem determinare? Cum etiam, quando parvum admodum diſcrimen æſtimatur, fieri ſoleat, ut quodcunque ex illis ſingularibus ſumatur, cùm non videatur tanti eſſe, ut illæ diſtinguantur. Si Spinoza de tali homine dubitaverit, an non potius aſinus quàm homo ſit æſtimandus, potuit ergo de ſemetipſo dubitare, cum fieri nequeat, quin ipſi talia objecta æqualia in emtione & aliis uſibus vitæ humanæ ſæpe fuerint oblata. Non miror autem, ipſum neſciviſſe, quanti æſtimandus ſit ille, qui ſe penſilem facit &c. qui omnibus animatis tribuit ideam ſui corporis, quod refutavimus ad Scholium Prop. 13. II.

Tandem indicare conatur, *quantum hujus doctrinæ cognitio ad uſum vitæ conferat.* Intelligit autem hîc doctrinam illam ſuam, quâ omnem tollit diſtinctionem inter volitionem & ideam, ſive inter voluntatem & intellectum & quâ Liberum Arbitrium planè tollit & evertit. Scilicet I. *nos ex ſolo Dei nutu agere, divinæque naturæ eſſe participes, & eò magis, quò perfectiores actiones agimus, & quo magis magiſque Deum intelligimus.* Egregius verò hic uſus! Nos ſumus naturæ divinæ participes, quia ſomniat, nos eſſe modos Dei, vel, quia Deus humanæ mentis eſſentiam conſtituit prout loquitur in Coroll. Prop. 11. II. (*Mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei, ac proinde, cùm dicimus, Mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud nos dicere,*

quàm Deus, non quâtenus per naturam humanæ mentis explicatur, ſive, quâtenus humanæ mentis eſſentiam conſtituit, hanc vel illam habeat ideam,) quæ abſurda eſſe in ſuperioribus ſatis evicimus. Hinc jam deducit, *quòd hæc doctrina, præterquam quòd animum omnimodè quietum reddit, hoc etiam habeat, quòd nos doceat, in quo noſtra ſumma felicitas ſive beatitudo conſiſtit, nempe in ſolâ Dei cognitione, ex quâ ad ea tantùm agenda inducimur, quæ amor & pietas ſuadent.* Scilicet animus ſic quietus redditur, quia quæ nos agimus, Deus agit, quâtenus per naturam humanæ mentis explicatur, hoc eſt quia noſtra actio formalitèr eſt Dei actio, & dum nos vel furamur, vel occidimus, vel fraudamus, Deus id omne facit: Deus autem extra omnem culpam eſt collocandus: Ergo ne nos quidem, ullâ ratione poterimus argui. Hæc eſt illa quies, quæ nobis quærenda eſt. Quid verò hîc eſt, quod in nobis gaudium poſſit & delectationem magnam parere? Nonne per iſtam doctrinam. Deus æquè hominem ſceleratorum mentem conſtituit ac priorum? Nonne ſic æquè ipſorum actiones ſunt formaliter actiones Dei, ac homines proborum? Annon ergo eandem habebunt felicitatem & beatitudinem? Quomodo verò talis cognitio Dei nos ad ea tantum agenda inducet, quæ amor & pietas ſuadent? Quænam ſunt quæſo illa, quæ ſuadet amor & pietas? Amorem erga Deum is habet, qui ſe ſuoſque affectus clarè & diſtinctè intelligit, juxta Spinozam Prop. 15. V. Pietatem vocat *Cupiditatem benè faciendi, quæ ex eo ingeneratur, quòd ex rationis ductu vivimus* Schol. I. ad Prop. 37. IV. Non ergo aliud videbuntur iſta ſuadere, quàm ut ex rationis ductu vivamus: At rationis ductus ſupponit veram Dei cognitionem, quæ ex doctrinâ Spinozæ hauriri nequit juxta antea demonſtrata. Ex hâc autem utilitate hoc porrò Conſectarium elicit p. 92. *Unde clarè intelligimus, quantum illi à verâ virtutis æſtimatione aberrant, qui pro virtute & optimis actionibus tanquam pro ſummâ ſervitute, ſummis præmiis à Deo decorari exſpectant, quaſi ipſa virtus, Deóque ſervitus non eſſet ipſa felicitas & ſumma libertas.* Quòd ſi hîc notet eos, qui iſta præmia à cognitione Dei perfectâ, ab amore Dei ſummo & gaudio ineffabili, quod inde reſultat, ſeparant, non rejicio iſtam reprehenſionem, qui enim hæc inter ſe invicem connectunt, quæ omnino connecti eſt neceſſe, tantum abeſt ut notandi veniant, ut potius ſummis modis ſint celebrandi.

Secundus uſus huc redit, quòd *utramque fortunæ faciem debeamus*

æquo animo exſpectare & ferre; ſed is non ex negatâ voluntate humanâ conſequitur, verum ex eo, uti ipſe loquitur, *quia & omnia ab æterno Dei decreto eâdem neceſſitate ſequuntur, ac ex eſſentia trianguli ſequitur, quòd tres ejus anguli æquales ſunt duobus rectis*; ubi ſenſum vocabulo emollit dicens *æternum Dei decretum*, ut ſe fortè accommodet Chriſtianis, quod alias *neceſſitatem naturæ divinæ* appellare ſolitus fuit; atque ſic quidem ex doctrinâ ſuâ, quâ citra voluntatem, quam Deo denegat, omnia quæ fiunt ex neceſſitate naturæ Dei deducit, ſequitur, nos *debere utramque fortunæ faciem æquo animo expectare & ferre*, ſed ſuavius id ſequitur ex doctrina de decreto Dei, quæ ſimul docet benignitatem & clementiam Dei erga ſuos, quâ fit, ut omnia ad ipſorum ſalutem ducat.

Tertium uſum vult *facere ad vitam ſocialem, quatenus doceat, neminem odio habere, contemnere, irridere, nemini iraſci, invidere. Præterea quatenus doceat, ut unuſquiſque ſuis ſit contentus & proximo auxilio; non ex muliebri miſericordiâ, partialitate neque ſuperſtitione, ſed ex ſolo rationis ductu, prout ſcilicet tempus & res poſtulat, ut in Tertia parte oſtendam.* Sed ſi nullam habeamus voluntatem, ſi careamus Libero Arbitrio, non intelligo, quomodo poſſimus ullâ doctrinâ flecti ad iſtiusmodi officia, cùm ductui naturæ tantùm ſimus ſubjecti, neque ei queamus reſiſtere, ſi ad contraria vitia nos flectat. Verùm de his in Tertiâ parte uberiùs.

Quartus uſus etiam refertur *ad communem ſocietatem, quatenus docet, quâ ratione cives gubernandi ſint & ducendi, nempe non ut ſerviant, ſed ut liberè ea, quæ optima ſunt, agant*; circa quem eadem moveri poteſt difficultas, quæ circa primam mota fuit. Sed operæ pretium non videtur his inhærere prolixius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PARTIS TERTIÆ
ETHICÆ SPINOZÆ EXAMEN.

IN Procemio reprehendit eos, *qui de Affectibus & hominum vivendi ratione ſcripſerunt, quòd hominem concipere videantur in natura veluti imperium in imperio, quodque humanæ impotentiæ & inconſtantiæ cauſam non communi naturæ potentiæ, ſed naturæ vitio tribuant;* quæ rectè intellecta nullam reprehenſionem mereri videntur; modo diſtinguatur inter ordinem hominibus præſcriptum, & ordinem Univerſi, & cogitetur, homines ordinem Univerſi nunquam poſſe turbare, etſi ab ordine ſibi præſcripto non raro devient, quod & ipſe vix videtur negare poſſe, quando negat, omnes homines ductum rationis ſequi. Porrò conqueritur, *neminem affectuum naturam & vires & quid contrà mens in iiſdem moderandis poſſit determinaſſe, Carteſium verò ſuo judicio nihil niſi magni ingenii ſui acumen oſtendiſſe* dicit. Tandem rationem reddit, *quare affectuum naturam certâ ratione more Geometrico demonſtrare voluerit quia nempe judicet, omnia ſecundum leges & regulas naturæ univerſales fieri, ac proin certas cauſas agnoſcere & certas habere proprietates cognitione noſtra dignas.* Quod an rectè fecerit an ſecus, ex ſequentibus liquebit; & comparatis ipſius inventis cum Carteſii cogitatis cuilibit patebit, quantum diſtent æra lupinis. Meritò quoque dubium videri poteſt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

an illa, quæ ad impotentiam humanam ſpectant, cujuſmodi ſunt humani affectus, quos ipſe Spinoza cum morbis humani corporis comparat Scholio Prop. 44. hujus Partis, & imperfectionem humanam arguunt, debeant vel poſſint Mathematicè demonſtrari, cùm multis mutationibus ſint obnoxiæ, & in diverſis hominibus ab iiſdem objectis diverſi affectus excitentur, imò in eodem homine quoque diverſis temporibus diverſi affectus ab iiſdem objectis produci queant, quod & ipſe Spinoza apertè aſſerit Prop. 51. III. Quid verò? An quoque poſſumus more Geometrico demonſtrare connexiones cogitationum, quæ ſunt in diverſis hominibus de eodem objecto? An eas, quæ ſunt in eodem homine de eodem objecto diverſo tempore? Unde verò eſt, quod ſermonem habentes de eadem re tàm diverſa de illâ dicant? An quis demonſtrabit more Geometrico morborum naturam eorumque ſymptomata tàm varia tam diverſa in diverſis hominibus, & in eodem homine diverſis temporibus? Cùm omnia iſta dependeant à diverſis circumſtantiis particularibus & diſpoſitione ac qualitate corporis, quæ eſt in homine? Sed rem ipſam aggrediamur initium facientes à Definitionibus.

EXAMEN DEFINITIONUM.

DEFINITIO I.

Cauſam adæquatam appello eam, cujus effectus poteſt clarè & diſtinctè per eandem percipi. Inadæquatam autem ſeu partialem illam voco, cujus effectus per ipſam ſolam intelligi nequit.

HUic equidem definitioni non repugno, quamvis mirum ſit, quare potius Definitionem voluerit formare relatam ad noſtram cognitionem, quàm ad rei naturam, ad quam ſi attendiſſet, cauſa adæquata dicenda fuiſſet ea, cujus ſolius viribus citra concurſum alterius cauſæ ejuſdem ordinis res producitur, & ſic è contrario cauſa inadæquata dicenda fuiſſet, quæ concurſu alterius cauſæ ad rem producendum opus habet. Videtur forte ſupponere, effectus habere plures & fortè infinitas cauſas, quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

omnes à nobis non intelligantur, & hîc ſufficere, ſi tot intelligantur, quot ſufficiunt, ut effectus poſſit clarè & diſtinctè percipi, eaſque omnes ſimul ſumtas cauſam adæquatam videtur appellare.

DEFINITIO II.

Nos tum agere dico, cùm aliquid in nobis, aut extra nos fit, cujus adæquata ſumus cauſa, hoc eſt, (per Defin. præced.) *cùm ex noſtrâ naturâ aliquid in nobis aut extra nos ſequitur, quod per eandem ſolam poteſt clarè & diſtinctè intelligi. At contra nos pati dico, cùm in nobis aliquid fit, vel ex noſtrâ naturâ aliquid ſequitur, cujus nos non, niſi partialis, ſumus cauſa.*

HAnc etiam admitto ſub illâ obſervatione, quam præcedenti adjeci.

DEFINITIO III.

Per Affectum intelligo Corporis affectiones, quibus ipſius Corporis agendi potentia augetur, vel minuitur, juvatur vel coërcetur, & ſimul horum affectionum ideas.

HÆc Definitio obſcura eſt admodum & intricata, adeoque nomen definitionis nullo jure meretur. Mentio fit noſtræ mentis, ſed non aliter, quàm quâtenus ab illis Corporis affectionibus accipit ideas, de aliis verò, quæ in mente fiunt eâ occaſione, altum eſt ſilentium. Quomodo verò corporis agendi potentia per affectus augeatur vel minuatur, nobis hîc non explicatum dedit, nec id locum videtur obtinere in omnibus affectibus. Non enim videtur odium ullo modo augere vel minuere corporis agendi potentiam. An putet, nos habere etiam ideas affectionum corporis, ut ſimul percipiamus corporis noſtri agendi potentiam augeri vel minui; an verò tantum in perceptione prioris abſolvi putet iſtas ideas, ut per affectus quidem augeatur vel minuatur corporis agendi potentia, ut tamen illud non percipiatur, non ediſſerit; quæ tamen accuratè omnia fuiſſent explicanda. Præferenda ergo eſt definitio Carteſii, quam habet Paſſionum art. 27. & quam ulterius explicat per partes

art. 28. 29. & 37. utpote clara & evidens, quod cuilibet ex collatione poteſt patere. Huic Definitioni ſubjungit: *Si itaque alicujus harum affectionum adæquata poſſimus eſſe cauſa, tùm per Affectum actionem intelligo; aliàs paſſionem*; de quo videbimus in ſequentibus.

EXAMEN POSTULATORUM.

POSTULATUM I. & II.

Corpus humanum poteſt multis affici modis, quibus ipſius agendi potentia augetur, vel minuitur, & etiam aliis, qui ejuſdem agendi potentiam nec majorem nec minorem reddunt.

Corpus humanum multas pati poteſt mutationes, & nihilominus retinere objectorum impreſſiones, ſeu veſtigia, (de quibus vide Poſtul. 5. p. 2.) *& conſequentèr eaſdem rerum imagines*; quarum defin. vide Schol. Prop. 17. p. 2.

HÆc duo poſtulata ut concedamus, nihil videtur obſtare.

EXAMEN PROPOSITIONUM.

PROPOSITIO I.

Mens noſtra quædam agit, quædam verò patitur, nempe quâtenus adæquatas habet ideas, eâtenus quædam neceſſariò agit, & quâtenus ideas habet inadæquatas, eâtenus neceſſariò quædam patitur.

POſſumus hanc Propoſitionem admittere, modò illud agere non conſtituatur in eo, quòd aliquis habeat ideas adæquatas, hoc eſt, claras & diſtinctas, quod tamen ſtatuere videtur Auctor, quod imprimis ex demonſtratione 58. Propoſitionis patet, ubi illud *agere* hoc accipit ſenſu; unde hanc Propoſitionē rejicere nos oportet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tet. Demonſtratio falſis nititur fundamentis, cujuſmodi ſunt Coroll. Prop. 11. II. Prop. 36. I. Prop. 9. II. Coroll. Prop. 11. II. Et ſanè in hâc Demonſtratione mira confuſio rerum conſpicitur. *Deus* nempe dicitur *humanæ Mentis eſſentiam conſtituere*, item *noſtram mentem & alias mentes in ſe ſimul continere*, quorum prius procul dubio ſic intelligit, quâtenus Deum putat eſſe ſubſtantiam, & noſtras mentes illius Modos, ut ſic tanquam ſubſtantia conſtituat eſſentiam iſtius modi, & omnes mentes in ſe contineat, quemadmodum ſubſtantia in ſe continere dicitur omnes modos. Sed de iſtâ ſententiâ in ſuperioribus ſatis egimus, eamque falſitatis abundè convicimus.

Corollarium admittimus, tanquam verum: *Hinc ſequitur, mentem eò pluribus paſſionibus eſſe obnoxiam, quo plures ideas inadæquatas habet, & contra, eò plura agere, quò plures habet adæquatas.*

PROPOSITIO II.

Nec corpus mentem ad cogitandum, nec mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (ſi quid eſt) aliud determinare poteſt.

Mira eſt hæc Propoſitio, qua negatur omnis actio corporis in mentem, & vice verſa mentis in corpus, quam utramque tamen experientia ſatis confirmat; unde eam negare non poſſumus, quamvis modum, quo illa fit actio, non ſatis intelligamus. Nec videtur hæc Propoſitio ſatis convenire cum iis, quæ tradit de determinatione mentis à cauſis externis, quæ iterum ab aliis ſunt determinata in infinitum Prop. 28. I. & Prop. 48. II. Partis. Niſi ex numero illarum cauſarum externarum excludat corpora, quod tamen contra rationem faceret, nec poſſet alias externas cauſas pręter corpora deſignare. Etiam non video, quomodo illa queat conciliari cum Prop. 17. II. *Si humanum corpus affectum eſt modo, qui naturam corporis alicujus externi involvit, mens humana idem corpus externum ut actu exiſtens, vel ut ſibi præſens, contemplabitur &c.* neceſſario enim iſtud corpus externum mentem debebit determinare ad talem contemplationem, niſi forte per *τὸ determinare* aliud quid intelligat quam homines per illam vocem ſolent intelligere. Demonſtrationis fundamenta falſa ſunt planè, qualia ſunt Prop. 6. II. & Prop. 11. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

In Scholio vult, ut revocemus nobis in memoriam, quod *mens & corpus una eademque res ſit, quæ jam ſub cogitationis, jam ſub extenſionis attributo concipitur*; quam ſententiam adeo abſurdam exiſtimo, ut neſciam, quomodo ab homine ſani ſyncipitis ei queat aſſenſus adhiberi. Initio II. Partis conatus eſt oſtendere, unam eandemque eſſe ſubſtantiam, cui cogitatio & extenſio conveniat, quam ibidem quoque abſurditatis convicimus. Sed tunc illam ſubſtantiam volebat eſſe Deum, cui iſta diverſa attributa aſſignabat. Nunc mentem & corpus conſiderat, quæ alibi ſancit eſſe tantum modos iſtius divinæ ſubſtantiæ. Sic ergo unus idemque modus quoque erit, qui jam ſub cogitationis, jam ſub extenſionis attributo concipitur. Nihil ſanè in rerum naturâ adeo oppoſitum & contrarium eſt alteri, quàm eſt extenſio & cogitatio: impoſſibile igitur eſt, ut uni eidemque ſubjecto eodem tempore conveniant. Quomodo una eademque ſimplex ſubſtantia capax eſſe poteſt tam diverſorum attributorum, quæ juxta Spinozam habent diverſas eſſentias? Ergone una eademque ſubſtantia eodem tempore diverſas habebit eſſentias? Sed de his ſatis in ſuperioribus actum fuit. Quomodo autem modi adeò diverſi una eademque res eſſe poſſunt? Ex illo adeo vero antecedente hoc tam egregium conſequens elicit. *Unde fit, ut ordo, ſive rerum concatenatio una ſit, ſive natura ſub hoc, ſive ſub illo attributo concipiatur, conſequenter, ut ordo actionum & paſſionum corporis noſtri ſimul ſit natura cum ordine actionum & paſſionum mentis*. Quod conſequens negato antecedente ſponte ſuâ concidit. Vult præterea *hoc patere ex modo, quo Propoſitionem* 12. *Partis* II. *demonſtravimus*. Sed illa Propoſitio 12. etiam falſitatis fuit convicta.

Poſthæc experientiâ iſtud ipſum conatur confirmare, idque propterea, *quia*, ut dicit p. 98. *homines adeo firmitèr perſuaſi ſunt, corpus ex ſolo mentis nutu jam moveri, jam quieſcere, plurimaque agere, quæ à ſolâ mentis voluntate & ex cogitandi arte pendent.* Huic ſententiæ opponit, *quod, quid corpus poſſit, nemo hucuſque determinaverit, hoc eſt, quod neminem hucuſque experientia docuerit, quid corpus ex ſolis legibus naturæ, quatenus corporea tantùm conſideratur, poſſit agere, & quid non poſſit, niſi à mente determinetur.* Hîc vera mixta ſunt falſis. Si quis ſtatuat, mentem humanam corpori noſtro conferre motum, motum novum in illo producere, & quæ ſimilia ſunt, eum contra rationem loqui facile poſſemus evincere, non tamen iis argumentis, quibus uti vellet Spinoza. Hoc verò eſt, quod nos exiſtimamus; eſſe in corpore

humano motus principium, eſſe ſanguinem juxta ſolas leges naturæ per arterias & venas circulantem, eſſe ſpiritus, qui ex cerebro in omnes muſculos corporis diffunduntur, illoſque diverſis modis, muſculorum interventu, noſtri corporis membra movere vel etiam ad quietem reducere: at motus iſtos membrorum ſolo mentis nutu ſæpe dicimus variis modis determinari, idque putamus ſatis abundè confirmari experientiâ. Quid enim potius niti dicemus experientiâ, quàm id quod propria conſcientia quemlibet docet? An non enim quilibet, qui corpore ſano utitur, conſcius eſt, ſe ubi voluerit, ambulare, ubi voluerit, ſedere, ubi voluerit, loqui, ubi voluerit, tacere, & quæ ſimilia ſunt? Ergo utique ex nutu mentis hæc omnia dependent? ſed tamen ſic motus corpori humano non confertur à mente, ſed qui motus in eo jam eſt, (ſupponimus ſemper corpus ſanum) pro lubitu mentis determinatur; id conſcientia noſtra nos docet, ſicque experientiâ diſcimus, quid mens noſtra in corpus noſtrum poſſit. Quod non evertitur ex eo, quia *non exactè novimus, quid corpus ex ſolis legibus naturæ, quatenus corporea tantùm conſideratur, poſſit agere, & non poſſit;* Non negamus equidem, ad varios iſtos motus determinari quoque poſſe corpus ſine mente, ex ſolis legibus naturæ corporeæ, idque experientiâ probari poſſe concedimus, ſed negamus inde ſequi, quòd iſta determinatio non fiat à mente, quando nobis planè ſumus conſcii, ad nutum noſtræ voluntatis ſequi iſtiuſmodi corporis motus. Probat hinc argumentis, *nos non exactè noviſſe, quid corpus ex ſolis legibus naturæ poſſit agere vel non poſſit. Nam nemo,* inquit, *hucuſque corporis fabricam tam accurate novit, ut omnes ejus functiones potuerit explicare, ut jam taceam, quòd in brutis plura obſerventur, quæ humanam ſagacitatem longè ſuperant, & quod ſomnambuli in ſomnis plurima agant, quæ vigilando non auderent; quod ſatis oſtendit, ipſum corpus ex ſolis ſuæ naturæ legibus multa poſſe, quæ ipſius mens admiratur.* Quæ omnia nos concedimus, neque adeo iſtiuſmodi probationibus erat opus ad conficiendum id, quod intendit. At inquit, *nemo ſcit, qua ratione, quibuſve mediis mens moveat corpus, neque quot motus gradus corpori poſſit tribuere, quantaque cum celeritate idem movere queat. Unde ſequitur, cùm homines dicunt, hanc vel illam Corporis actionem oriri à Mente, quæ imperium in Corpus habet, eos neſcire, quid dicant, nec aliud agere, quàm ſpecioſis verbis fateri, ſe veram illius actionis cauſam abſque admiratione ignorare.* Ubi confunduntur ea,

quæ

quæ quàm maximè erant diſtinguenda. Aliud procul dubio eſt, mentem in corpore motum producere, efficere, corpori motum vel aliquos ejus motûs gradus conferre, quod nos cum ipſo planè negamus; aliud eſt, motum ſpirituum, qui eſt in corpore, interventu mentis gubernari, determinari, quod experientia quemlibet docet, quemadmodum etiam ex eâ quilibet debet diſcere, quanto celeritatis gradu corpus ſuum poſſit moveri. Uti enim motus dependet à corporeo motus principio, ita ab eodem dependent gradus celeritatis, mens pro viribus corporis majoribus vel minoribus aliter atque aliter iſtum motum determinare poteſt. Perperam verò admodum colligitur, nos ignorare, quòd nutu mentis corpus noſtrum variis modis moveatur, quia ignoramus, quâ ratione quibuſve mediis mens moveat corpus, cùm tamen unius cognitio à cognitione alterius non dependeat. An ergo ignorant quoque homines è vulgo, plantas, arbores, animalia creſcere, quia modum, quo creſcunt, & gradus iſtius incrementi, quos ſingulis diebus & noctibus conficiunt, neſciunt? An ignorat febri laborans, ſe ſitire, laſſatum eſſe corpus, per intervalla frigore & calore corripi, quia ignorat modum iſtorum ómnium, quia neſcit, quâ ratione iſta omnia in corpore peragantur? Quis ferat hominem ita argumentantem?

Duo, quæ huic ſuæ argumentationi opponi poſſunt, præoccupat; primum eſt, *ſive ſciant homines ſive neſciant, quibus mediis mens moveat corpus, tamen experiri, quòd niſi mens humana apta eſſet ad excogitandum, corpus iners eſſet.* Sic reſponderent forte illi, qui ipſum motum à mente produci crederent; quid nos regeſſerimus ex dictis patet: Utrumque requiritur, &, ut corpus in ſe habeat principium motus, ſanguinem & ſpiritus, &, ut mens motui ſpirituum ita præſit, ut membra ex nutu voluntatis faciant officium. Alterum eſt, *ſe experiri, in ſola mentis poteſtate eſſe tàm loqui quàm tacere, & alia multa, quæ proinde à mentis decreto pendere credunt*; quod iterum aliquo modo eſt reformandum, hoc modo: In mentis poteſtate eſſe tam loqui quam tacere &c. ſed non in ſolâ, cum ad hoc quoque requiratur corporis noſtri aptitudo. Ad hæc duo quid regerat, videamus. Ad primum *rogat, num experientia etiam non doceat, quòd ſi contrà corpus iners ſit, mens ſimul ad cogitandum ſit inepta? Nam cum corpus ſomno quieſcit, mens ſimul cum ipſo ſopita manet, nec poteſtatem habet, veluti cum vigilat, excogitandi. Deinde omnes expertos eſſe credo, mentem*

 non

non ſemper æque aptam eſſe ad cogitandum de eodem ſubjecto; ſed, prout corpus aptius eſt, ut in eo hujus vel illius imago excitetur, ita mentem aptiorem eſſe ad hoc vel illud objectum contemplandum. Reſpondeo, nos non negare, quòd mens quoque à corpore pendeat, quodque mutuæ ſint mentis & corporis in ſe invicem actiones & paſſiones. Mentem eam, quæ ſibi junctum habet corpus, quod maximè vividis imaginibus pollet, aptiorem eſſe ad hoc vel illud objectum contemplandum, neminem negare poſſe putamus; impediri quoque à corpore multùm mentis meditationes & ratiocinia, libentèr fatemur, in ſomno imprimis affici mentem à corpore, dubio omni caret, morbos quoſdam etiam mentis ſanitatem planè turbare experientia teſtatur; ſed negamus, mentem unquam à corpore ita affici, ut ad cogitandum ſit inepta, ſive, ut nihil cogitet, cum ſine cogitatione mens eſſe nequeat, & in nihilum planè ſit abitura; & quamvis cogitationum illarum in ſomno non recordemur, non tamen ſequitur, eas non fuiſſe. Non igitur ex his ullâ veriſimilis ſpecie poteſt evinci, motus membrorum noſtrorum non ſolo mentis nutu variis modis determinari, cujus contrarium experientia tàm manifeſtè ſuadet. Obiter autem ex his patet, Philoſophiam eorum, qui negant mentem ſemper cogitare, quique præfractè tuentur, mentis eſſentiam in cogitatione non conſiſtere, qui cogitationem & cognitionem etiam brutis tribuunt, longè plus habere affinitatis cum Spinoza, adeoque ad Atheiſmum ſuſcipiendum magis eſſe idoneos, quam eos, qui in alia omnia eunt, quique eâ Philoſophandi methodo utuntur, quâ Renatus des Cartes fuit uſus, qui fundamenta omnia Atheiſmi ſic convellunt.

Movet poſtea inſtantiam cui conatur reſpondere. Inſtantia eſt: *At dicent, ex ſolis legibus naturæ, quatenus corporea tantum conſideratur, fieri non poſſe, ut cauſæ ædificiorum, picturarum, rerumque hujuſmodi, quæ ſola humana arte fiunt, poſſint deduci, nec corpus humanum, niſi à mente determinaretur, duceretur que, pote eſſet ad templum aliquod ædificandum.* Reſponſum ejus eſt: *Verùm ego jam oſtendi, ipſos neſcire, quid corpus poſſit, quidve ex ſola ipſius naturæ contemplatione poſſit deduci, ipſoſque plurima experiri ex ſolis naturæ legibus fieri, quæ nunquam credidiſſent poſſe fieri, niſi ex mentis directione, ut ſunt ea, quæ ſomnambuli in ſomnis agunt, quæque ipſi, dum vigilant, admirantur. Addo hic ipſam corporis humani fabricam, quæ artificio longiſſimè ſuperat omnes, quæ huma-*

na arte fabricatæ ſunt, ut jam taceam, quòd ſupra oſtenderim, ex natura, ſub quovis attributo conſiderata, infinita ſequi. Quæ ſuo loco relinquo, cùm mihi nulla de re iſta cum ipſo intercedat quæſtio, uti ex ſuperioribus patet, ſed quòd ad nutum voluntatis fiant determinationes variorum motuum in noſtri corporis membris ſolâ experientiâ confirmem.

Ad ſecundum dicit, *longè felicius ſeſe res humanas habituras, ſi æquè in hominis poteſtate eſſet tam tacere, quàm loqui. At experientiam ſatis ſuperque docere, homines nihil minus in poteſtate habere, quàm linguam, nec minus poſſe, quàm appetitus moderari ſuos; unde factum, ut plerique credant, nos ea tantum liberè agere, quæ leviter petimus, quia earum rerum appetitus facile contrahi poteſt memoria alterius rei, cujus frequenter recordantur, ſed illa minimè, quæ magno cum affectu petimus, & qui alterius rei memoriâ ſedari nequit. Verum enimverò niſi experti eſſent, nos plura agere, quorum poſtea pænitet, noſque ſæpe, quando ſcilicet contrariis affectibus conflictamur, meliora videre & deteriora ſequi, nihil impediturum, quo minus crederent, nos omnia liberè agere.* Sed homo hic iterum ſplendidè ſibi contradicit. Negat, æquè in hominis eſſe poteſtate tacere & loqui. Supponit igitur, eſſe in hominis poteſtate *loqui.* Si in hominis poteſtate eſt loqui, ergo poteſt loqui, quando vult, & poteſt non loqui, quando loqui non vult. Si poteſt non loqui, quando loqui non vult, poteſt ergo tacere, quando vult; quia hæc planè ſunt eadem. Ego verò nego his everti, quæ hîc tam clarè docet experientia. Nos poſſe moderari affectibus noſtris abſolutè loquendo, hoc eſt, nos habere eam facultatem, quæ voluntas dicitur; nos etiam per illam poſſe velle ea, quæ cum rectâ ratione conveniunt, tàm clarum eſt experientiâ, ut id omnes uno ore fateantur. Ea autem dicimur habere in noſtra poteſtate, quæ, dum volumus, facimus. Quis neget nos moderari affectibus noſtris, quando id volumus? Conſidero hanc rem Philoſophicè & in abſtracto, attendendo ad naturam hominis in ſe ſpectatam, non attendendo ad hominis varios ſtatus, quos Theologi ex Scriptura docent. Omnes homines utique cenſent præcepta præſcribenda eſſe, quibus tradatur ratio moderandorum affectuum. Stoici jactitant ſe illa ſervare; multi ſanè magnum imperium in ſuos affectus ſunt conſecuti; ipſe Spinoza talia præſcribit, & Sapientiæ magnam partem in eo dicit conſiſtere. Non ergò abſolutè repugnat, quin homines poſſint & linguam & affectus ſuos habere in poteſta-

te

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

te. Corporis motus hîc multum poſſe in mentem, non diffiteor, ſed non eſt tamen abſoluta hîc neceſſitas. Fateor, plurimos homines duci affectibus, hoc tamen non fit ipſis invitis, ſed volunt eos ſequi, & illis delectantur; intervenit ergo voluntas, neque hîc eſt abſoluta ulla neceſſitas. Quid alii putent, nihil ad nos. Si ſint, qui *credant, nos ea tantum liberè agere, quæ levitèr petimus, ſed illa minimè, quæ cum affectu magno petimus*, id parum nos movet, qui non quid homines credant examinamus, ſed quid credere illos, ex recto judicio, oporteat. Spinoza verò eodem errore hîc implicatus eſt, quo alii plures tenentur, dum confundunt libertatis acceptionem, prout opponitur ſervituti, cum eâ, quæ opponitur neceſſitati naturali, quæ neceſſitas eſt in rebus brutis ratione & mente carentibus, & à certis quibuſdam naturæ legibus & regulis dependet. Verum eſt, plurimos homines non eſſe liberos, quia ſervi ſunt ſuorum appetituum & affectuum, quibus ſuccumbunt, & à quibus rapi ſe quovis patiuntur, qui tamen propterea nulla neceſſitate naturali ſunt determinati, & quod volunt etiam ſic acti ab affectibus liberè volunt, lubenter & cum delectatione atque ſuavitate. Exempla igitur, quæ adducit ad probandum, *quod homines ea tantum credant ſe liberè agere, quæ levitèr petimus, non illa, quæ petimus magno cum affectu*, non opus eſt attendere propter dicta. Cadit etiam concluſio, quam exinde nectit, *quòd experientia non minus clarè quàm ratio doceat, quòd homines ea ſola de cauſa liberos ſe eſſe credant, quia ſuarum actionum ſunt conſcii, & cauſarum, à quibus determinantur, ignari, & præterea quòd mentis decreta nihil ſint præter ipſos appetitus, quæ propterea varia ſunt pro varia corporis diſpoſitione.* Poſterius tamen conatur hunc in modum probare. *Nam unusquiſque ex ſuo affectu omnia moderatur, & qui præterea contrariis affectibus conflictantur, quid velint, neſciunt; qui autem nullo, facili momento huc atque illuc impelluntur.* Sic non omne genus hominum recenſuit: ſunt enim etiam homines, qui ratione ducuntur, nec ſuis affectibus ſerviunt: hi non impelluntur huc atque illuc facili momento, ſed conſtantes ſunt in ſuis judiciis. Nec tamen vel hoc modo obtinet inſtitutum; nam illi ipſi homines non ſemper eodem modo ſe habent, aliquando affectibus ducuntur, aliquando nullo agitantur, rectam rationem etiam in quibuſdam actionibus ſequuntur. Multa quoque ſunt, quæ hominibus occurrunt, in quibus non poſſunt occupari affectus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ctus, ut ſunt objecta ſcientiarum. Poſitis verò his omnibus tantum efficitur, homines eſſe ſervos & eo ſenſu non liberos, quatenus libertas opponitur ſervituti; unde nullo modo evinci poteſt, eos non eſſe liberos ea libertate, quæ opponitur neceſſitati naturali, de qua ſola hîc eſt quæſtio.

Pergit & ex uno falſo concludit & infert aliud: *Quæ omnia profectò clare oſtendunt, mentis tam decretum, quam appetitum & corporis determinationem ſimul eſſe natura, vel potius, unam eandemque rem, quam quando ſub cogitationis attributo conſideratur, & per ipſam explicatur, decretum appellamus, & quando ſub extenſionis attributo conſideratur, & ex legibus motus & quietis deducitur, determinationem vocamus; quod adhuc clarius ex jam dicendis patebit.* Hæc concluſio ex nulla veritate in antecedentibus demonſtrata eluceſcit, & per conſequens ſponte ſua cadit. Mirus hic eſt conceptus & ſemet ipſum evertens, unam eandemque rem ſub diverſis adeò & nihil inter ſe invicem connexionis habentibus conſiderare attributis, non ſecus ac ſi ferrum, modo ſub attributo ferri, modo ſub attributo ligni contemplari velis, vel Deum ſub attributo creaturæ, cælum ſub attributo terræ, virtutem ſub attributo vitii. An jam ex ſequentibus clarius pateat iſta concluſio nunc videamus. *Nam aliud eſt, quod hîc apprimè notari vellem, nempe, quòd nos nihil ex mentis decreto agere poſſumus niſi ejus recordemur ex. gr. non poſſumus verbum loqui, niſi ejuſdem recordemur. Deinde in libera mentis poteſtate non eſt rei alicujus recordari, vel ejuſdem obliviſci. Quare hoc tantum in mentis poteſtate eſſe creditur, quòd rem, cujus recordamur, vel tacere, vel loqui ex ſolo mentis decreto poſſumus. Verùm cùm nos loqui ſomniamus, credimus nos ex libero mentis decreto loqui, nec tamen loquimur, vel, ſi loquimur, id ex corporis ſpontaneo motu fit. Somniamus deinde, nos quædam homines celare, idque eodem mentis decreto, quo, dum vigilamus, ea, quæ ſcimus, tacemus. Somniamus denique, nos ex mentis decreto quædam agere, quæ, dum vigilamus, non audemus, atque adeo pervelim ſcire, an in mente duo decretorum genera dentur, Phantaſticorum unum, & liberorum alterum? Quòd ſi eo uſque inſanire non libet, neceſſariò concedendum eſt, hoc mentis decretum, quod liberum eſſe creditur, ab ipſa imaginatione, ſive memoria non diſtingui, nec aliud eſſe præter illam affirmationem, quam idea, quatenus idea eſt, neceſſariò involvit* (vide Pr. 49. p. II.) *Atque adeo hæc mentis decreta eadem neceſſitate in mente oriuntur, ac ideæ rerum actu exiſtentium. Qui igitur credunt, ſe ex libero mentis decreto loqui, vel ta-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

cere, vel quicquam agere, oculis apertis ſomniant. Quibus non plus effecerit, quam prioribus. Falſum eſt, *nos nihil ex mentis decreto agere poſſe, niſi ejus recordemur.* Alia ſunt, quæ immediatè & mox agimus, dum decernimus, dum volumus, in iis nulla intervenit memoria. Dum volumus, ambulamus, ſedemus, ſtamus, currimus &c. Dum ſpeculationibus Mathematicis incumbimus & abſtractis, Metaphyſicis item, inſpicimus ideas, quæ diſtinguendæ ſunt, ſanciente quoque Spinoza, ab imaginibus corporeis, in illis ideis videmus varia rerum attributa, quæ iis per judicium & decretum mentis tribuimus, nullo intercedente ſermone externo, mentis interiori ſermone tantum affecti. Quantum attinet ad ſermonem externum, etiam dum volumus, loquimur; hîc tamen quædam obſervanda eſt differentia. Non poſſumus loqui niſi verbis vel geſtibus, ad quod opus eſt memoria; ſed memoria etiam opus eſt ad intelligendum id, quod alii loquuntur, hæc tamen intellectio non eſt ipſa memoria, nec cum ea eſt confundenda. Memoria ergo non tam in ipſa loquela eſt ſita, ſed eſt aliquid antecedens neceſſariò connexum, quod propterea cum ſuo conſequente non eſt confundendum, ſicut aurora eſt neceſſarium antecedens diei, non tamen ipſa dies. Ipſum igitur loqui eſt voluntatis, ſed ejus, quæ memoriam prærequirit. Verum ergo eſt, id tantum eſſe in mentis poteſtate, quòd rem, cujus recordamur, loqui poſſumus. Hoc non evertitur ex eo, quia ſomniamus, nos aliquando loqui, vel, quia in ſomnio loquimur ſine mente, quod tamen non eſt ſemper verum. Quando ergo loquimur in ſomnio, cum mente quoque ſæpe loquimur, adeoque liberè, non ſecus ac quando vigilamus. Hæc tantum intercedit differentia, quòd in ſomnio phantaſticis, in vigilia veris imaginibus rerum corporearum præſentium afficiamur, niſi morbo laboremus aliquo cerebri. Sic non erunt ſtatuenda decreta mentis aliqua phantaſtica, alia libera, ſed decreta quædam, quæ omnia ſunt libera, oriuntur ex phantaſticis ideis, alia ex veris. Non ergo ſequitur, *mentis decretum ab ipſa imaginatione, ſive memoria, non diſtingui.* Adeoque non illi ſomniant, *qui credunt, ſe ex libero mentis decreto loqui, vel tacere vel quicquam agere*, ſed ille ſomniavit apertis oculis, qui ea, quæ ſunt vigilantium, à ſomniis dormientium diſtinguere neſcit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO III.

Mentis actiones ex ſolis ideis adæquatis oriuntur; paſſiones autem à ſolis inadæquatis ideis pendent.

HAnc Propoſitionem non admittimus, quia etiam mentis quædam actiones ex ideis inadæquatis, quas dicit, hoc eſt, confuſis oriri poſſunt, quod ex antecedentibus patere poteſt: poteſt enim voluntatis noſtræ actio etiam oriri ex ideis confuſis, quod autem à voluntate proficiſcitur, id merito nomen actionis ſuſcipit. Quantum attinet ad mentis paſſiones, earum aliæ ſunt ſpirituales, quæ fiunt citra commotionem ſpirituum, aliæ verò corporeæ appellari poſſunt, eo quod ſpirituum commotiones interveniant: priores oriri poſſunt ex ideis adæquatis h. e. diſtinctis, ut eſt Amor Dei originem ſumens ex clarà & diſtincta Dei perceptione. Nec demonſtravit iſtam Propoſitionem Auctor, quia nititur falſis fundamentis ejus prætenſa demonſtratio, cujuſmodi ſunt Prop. 11. & 13. II. idem 15. II. Citatur tamen poſtea hæc Propoſitio in Demonſtratione prima Prop. 51. IV. & 52. IV. hoc ſenſu, ut ſignificetur, tunc demum cenſendum eſſe hominem agere, quando aliquid producit ex ductu rationis, h. e. ex clara & diſtincta perceptione, ſive idea, quam ipſe adæquatam appellat; ſed ſic vocem Actionis nimium reſtringit, dum negat, actiones oriri ex ideis confuſis, quod cum uſu planè pugnat.

Scholium ſic habet: *Videmus itaque paſſiones ad mentem non referri, niſi quatenus aliquid habet, quod negationem involvit*, (quod notari volumus, ſi forte in ſequentibus nobis poſſit eſſe uſui, hîc verò obſervamus hoc ipſo ſequi, mentem non poſſe eſſe modum Dei, qui neceſſario debet concipi tanquam res ſummè perfecta, cùm impoſſible ſit in eo involvi negationem) *ſive, quatenus conſideratur naturæ pars, quæ per ſe abſque aliis non poteſt clarè & diſtinctè percipi.* Quæ ſano ſenſu intellecta nolumus repudiare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO IV.

Nulla res, niſi à cauſâ externâ, poteſt deſtrui.

HÆc vera eſt Propoſitio, & legitimè quoque eſt demonſtrata, *quia definitio cujuſque rei ipſius rei eſſentiam affirmat, ſed non negat; ſive rei eſſentiam ponit, ſed non tollit. Dum itaque ad rem ipſam tantum, non autem ad cauſas externas attendimus, nihil in eâdem poterimus invenire, quod ipſam poſſit deſtruere.*

PROPOSITIO V.

Res eatenus contrariæ ſunt naturæ, hoc eſt, eatenus in eodem ſubjecto eſſe nequeunt, quatenus una alteram poteſt deſtruere.

VEra eſt & hæc Propoſitio & nititur præcedente. Hoc tamen obſervetur, non tantum illas res eſſe contrariæ naturæ, quarum una alteram poteſt deſtruere, ſed etiam, quæ diverſas planè habent eſſentias, ut eſt mens & corpus.

PROPOSITIO VI.

Unaquæque res, quantum in ſe eſt, in ſuo eſſe perſeverare conatur

HUic quoque non refragamur, nititurque Prop. IV. præcedente. Sed quæ ad eam demonſtrandam adducit Spinoza, ut Coroll. Prop. 25. I, & Prop. 34. I. falſa ſunt fundamenta.

PROPOSITIO VII.

Conatus, quo unaquæque res in ſuo eſſe perſeverare conatur, nihil eſt præter ipſius rei actualem eſſentiam.

VEriſſima eſt hæc Propoſitio & per ſe nota ſi de re corporea intelligatur, quia præter actualem eſſentiam in re iſta nihil eſt. At ſi de mente ſumatur, & per iſtum conatum perſeverandi intelligatur ea actio, qua mens omnia incommoda à ſe & ſuo corpore repel-

pellit, omnia verò commoda proſequitur, falſum eſt illum conatum à mentis eſſentia non differre. Hoc autem ſenſu iſtam Propoſitionem accipi ex demonſtratione Prop. 60. IV. poteſt liquere. Et porrò ex demonſtratione Prop. 9. V. colligimus, quòd per conatum iſtum intelligat *potentiam cogitandi.* Quomodo verò in potentia cogitandi poſſet conſiſtere iſte conatus? an eo ipſo, quo mens habet potentiam cogitandi, imo, an eo ipſo, quo mens cogitat, vult omnia commoda proſequi & omnia incommoda à ſuo corpore repellere? An non hæc volitio eſt certus quidam cogitandi modus, qui non ſemper adeſt menti? Spinoza quoque in demonſtranda hac Propoſitione nititur falſo fundamento, quod eſt Prop. 36. I. unde hanc demonſtrationem neceſſe eſt concidere.

PROPOSITIO VIII.

Conatus, qua unaquæque res in ſuo eſſe perſeverare conatur, nullum tempus finitum, ſed indefinitum involvit.

VEra quoque eſt iſta Propoſitio, una cum demonſtratione, quæ tota nititur Prop. 4. præcedente.

PROPOSITIO IX.

Mens tàm quatenus claras & diſtinctas, quàm confuſas habet ideas, conatur in ſuo eſſe perſeverare indefinita quadam duratione & hujus ſui conatus eſt conſcia.

VEra quidem eſt hæc Propoſitio, ſi recte intelligatur, & hoc ſenſu, quod omnes homines natura & ordinarie horreant mortem, adeoque ament perſeverare in hac vita, & eſſe conjuncti cum corpore, in quo ſtatu non poſſunt non diſtinctæ ideæ in illis eſſe conjunctæ cum confuſis. Certum enim eſt alias, eſſe quoque homines, qui, conſiderato hoc ſtatu non ſatis perfecto, quem confuſæ iſtæ ideæ cauſantur ſuo modo, malunt ab eo liberari, & perfectiorem deſiderant, quam poſt mortem conſequi poſſunt. Quin imò ſunt homines qui valdè confuſas habentes ideas, quibus ſtatum, in quo ſunt in hâc vitâ ſibi repræſentant tanquam ſummum malum, ſibi ipſis violentas manus inferunt. Demonſtratio prioris partis adhibita à Spinoza,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

noza, quæ nititur Prop. 7. hujus, quam falſam oſtendimus corruere neceſſario debet. Sed partis poſterioris, *quod mens ſui conatus eſt conſcia* fundatur inter alia Prop. 23. II. quæ falſa eſt; per ſe tamen eſt nota & melius ſine demonſtratione cognoſcitur ex hoc ſolo, quod omnium eorum, quæ in mente noſtrâ ſunt, eo ipſo, dum ſunt, ſimus conſcii.

Scholium videamus. *Hic conatus*, inquit, *cum ad mentem ſolam refertur, voluntas appellatur; ſed cum ad mentem & corpus ſimul refertur, vocatur appetitus, qui proinde nihil aliud eſt, quàm hominis eſſentia, ex cujus naturâ ea, quæ ipſius conſervationi inſerviunt, neceſſariò ſequuntur; atque adeo homo ad eadem agendum determinatus eſt.* Vera hîc mixta ſunt falſis. Quod conatum illum referendum cenſeat ad voluntatem, non ad intellectum, in eo rectè ſentit; ſed errat, quod voluntatem abſolvi putat in eo ſolo conatu. Voluntas ſanè intellectui hoc addit, quòd feratur erga illud objectum, quod quovis modo ab intellectu apprehenſum eſt; in iſta latione, vel inclinatione, vel conatu quoque, vel tendentia verſus objectum, vel quocunque alio modo id appellare velis, conſiſtit ratio formalis voluntatis; prout autem varium eſt objectum, ita quoque variat voluntas. Inter objecta, quæ mens apprehendit vel percipit, eſt quoque mens ipſa noſtra, conatus igitur iſte vel latio aut inclinatio verſus ſe ipſam eſt ſpecies quædam voluntatis, ſed cum præter mentem uniuſcujuſque propriam etiam alia ſint objecta, etiam verſus illa inclinari & ferri poteſt, adeoque circa illa ipſa quoque erit conatus, qui propterea ut ſpecies quædam voluntatis debet conſiderari. Appetitus à voluntate non videtur commodius diſtingui poſſe, quàm ſi appetitum dicamus eam voluntatem, quæ fertur verſus ſenſibilia objecta, quæ ut grata nobis ſive menti percepimus, qualia ſunt primùm noſtrum corpus, deinde ea, quæ ſuaviter illud afficiunt. Quomodo autem *ex iſtius appetitus natura ea, quæ hominis conſervationi inſerviunt, neceſſario ſequantur*, fateor me non intelligere: homo enim ſæpe appetit noxia errore inductus, niſi hoc ita interpreteris, quòd appetat quidem in genere ea, quæ hominis conſervationi inſerviunt, ſed quod in particularibus non raro aberret. Forte autem hæc verba non ſunt intelligenda de natura appetitus, ſed de natura hominis, quo poſito, adhuc obſcurum manet, *quomodo ex natura hominis ea, quæ hominis conſervationi inſerviunt, neceſſariò ſequantur*: æquè enim ex hominis natura, prout nunc eſt, oritur ſenium, quod tendit ad mortem, ac ſanitas, quæ facit ad ejus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

conſervationem. Diſtinguit poſtea etiam *inter Appetitum & Cupiditatem*, inter quæ nullam aliam agnoſcit differentiam, *niſi quòd cupiditas ad homines plerumque referatur, quatenus ſui appetitus ſunt conſcii, & propterea ſic definiri poſſe* putat, *quòd cupiditas ſit appetitus cum ejus conſcientia*. Credo tamen illum exiſtimare iſtum appetitum eſſe actum quendam mentis, quod niſi faciat, voce illa appetitus aliter utitur, ac uſus ejus fert, qui talis eſt, ut cognitionem aliquam in ſe includat & complectatur. Sic igitur appetitus, quâ talis, à cupiditate nullâtenus diſtingui poteſt. Commodior erit diſtinctio, ſi dicamus, appetitum eſſe voluntatem, quâ fertur verſus ſenſibilia objecta, & cupiditatem eſſe voluntatem, quâtenus excitatur ad iſta objecta ſenſibilia per motum ſpirituum, per quem etiam iſta voluntas conſervatur. Concludit Auctor hoc Scholium: *Conſtat itaque ex his omnibus, nihil nos conari, vel appetere, neque cupere, quia id bonum eſſe judicamus; ſed contrà, nos propterea aliquid bonum eſſe judicare, quia id conamur, volumus, appetimus atque cupimus*. Id hoc modo exiſtimo ipſum colligere velle: Voluntas noſtra nihil aliud eſt, quàm iſte conatus perſeverandi in ſuo eſſe, hic conatus eſt ipſa hominis eſſentia, quæ primum eſt omnium, quæ ſunt in homine: Ergo præcedit omnia, quæ ſunt in homine, adeoque etiam judicium de bono. Hæc ſpectant Carteſium, qui ex conſideratione boni vel mali diverſimodi deducit naturam & ordinem affectuum humanorum. Sed nos jam oſtendimus, iſtum conatum eſſe ſpeciem tantùm voluntatis, quæ neceſſariò ſupponit aliquam cognitionem, & perceptionem boni, in quâ Spinoza comprehendi putat ſudicium, quod, ab ideâ non vult diſtinguere; judicium ergo, quod aliquid ſit bonum præcedit voluntatem ſtrictè ſic dictam. Et ſanè non poſſumus non pro communi notione habere hoc axioma: *Ignoti nulla eſt cupido*, cùm id natura mentis planè doceat.

PROPOSITIO X.

Idea, quæ corporis noſtri exiſtentiam ſecludit, in noſtrâ mente dari nequit, ſed eidem eſt contraria.

INtelligo hanc Propoſitionem de ſtatu noſtræ mentis, quem obtinet in hac vita, & ſic ut veram admitto. Quamdiu enim hic ſumus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mus manet conjunctio inter mentem & corpus, ac propterea corpus noſtrum mentem ſemper afficit, ſicque ideam continuo habet de ejus exiſtentia. Sed Spinoza, ut ex Demonſtratione apparet ulterius hoc trahit, quàm oportebat, atque ita videtur intelligere, ut mens noſtra ſemper debeat habere ideam, quæ noſtri corporis exiſtentiam includit, adeoque ſi aliquando non habeat, noſtra quoque mens ceſſare ſit dicenda. Quod patet ex Prop. 11. & 13. II. quibus traditur, *quòd objectum ideæ humanam mentem conſtituentis ſit corpus noſtrum & nihil aliud.* At hoc ſenſu non tantùm falſiſſima eſt hæc Propoſitio, ſed & impia & abſurda, quæ mentem planè interire ſancit, ubi deſtructum fuit corpus, quod cum ea eſt conjunctum. Demonſtratio quoque, cadit, nixa præter Prop. 11. & 13. II. etiam Coroll. Prop. 9. II. quæ omnia ſunt falſa.

PROPOSITIO XI.

Quicquid corporis noſtri agendi potentiam auget, vel minuit, juvat, vel coërcet, ejuſdem rei idea mentis noſtræ cogitandi potentiam auget, vel minuit, juvat vel coërcet.

FAlſa eſt & abſurda admodum hæc propoſitio, ex qua ſequitur, ideam ſanitatis mentis noſtræ cogitandi potentiam augere & contrà, cum tamen experientia ſæpe teſtatur homines robuſtos, ſanos & validos non adeo eſſe ingenioſos, ſed è contrario imbecilla valetudine affectos eos multum antecellere. Sed homo ille verbis planè abutitur contra uſum eorum receptum, prout apparet ex eorum explicatione, quam legere licet in fine hujus Partis in explicatione definitionis ſuæ Affectuum. Sic ille: *Cum igitur ſupra dixerim, mentis cogitandi potentiam augeri vel minui, nihil aliud intelligere volui, quàm quòd mens ideam ſui corporis, vel alicujus ejus partis formaverit, quæ plus minuſve realitatis exprimit, quàm de ſuo corpore affirmaverat. Nam idearum præſtantia & actualis cogitandi potentia ex objecti præſtantia æſtimatur.* Juxta hæc igitur ſenſus iſtius propoſitionis fuerit: Quicquid noſtri corporis agendi potentiam auget, vel minuit, juvat vel coërcet, ejuſdem rei idea plus minuſve realitatis de ſuo corpore vel ejus parte exprimit; quo ſenſu abſurdum non fuerit, ſi dicamus, ideam ſanitatis augere mentis potentiam cogitandi, quia plus realitatis in ſanita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

nitate quàm in morbo concipimus; quod tamen ipſum juxta Spinozæ principia verum non fuerit. Sed in hoc ſupponitur, de nulla alia re cogitare mentem, quàm de corpore, quod in ſuperioribus falſitatis fuit convictum. Lex verò omnis methodi Geometricæ ſic violatur, quæ ſemper procedit à clarioribus ad magis obſcura, & ſemper præmittit ea, ex quibus poſteriora queunt intelligi, contra quàm fit ab hoc auctore, qui explicationem rei, à qua ſequentia dependent, differt in locum planè poſtremum. His ſic præmiſſis accingit ſe ad explicationem affectuum humanorum, in quâ planè alio modo & ordine procedit, quàm Carteſius quoniam alia fundamenta conatus eſt ſibi præſtruere. Id facit hoc Scholio. *Videmus itaque*, inquit, *mentem magnas poſſe pati mutationes, & jam ad majorem, jam autem ad minorem perfectionem tranſire*, (quod non nego, quamvis id non admittam eo, quo ille vult, modo) *quæ quidem paſſiones nobis explicant affectus Lætitiæ & Triſtitiæ. Per* Lætitiam *itaque in ſequentibus intelligam* paſſionem, qua mens ad *majorem perfectionem* tranſit. *Per* Triſtitiam *autem* paſſionem, quâ ipſa ad *minorem* tranſit *perfectionem*. Atque hîc verum quidem eſt, ubi majorem ſentimus in noſtrâ mente perfectionem, nos non poſſe non Lætitiâ affici, & contrà, ſed tamen propterea Lætitia non conſiſtit in illo tranſitu ad majorem perfectionem, & nequaquam hæc Lætitia concipi debet tanquam omnium Paſſionum prima, cùm iſta major perfectio poſſit prius ſpectari ſimpliciter tanquam bona, atque ita poſſit amari, quamvis nondum ſit præſens, atque tùm demum oriatur Lætitia, quando ut præſentem percipimus. Similiter odium imperfectionis prius debet conſiderari ac Triſtitia quæ imperfectionem præſentem ſpectat, ſicut ex Carteſii libello de Paſſionibus patere poteſt. Si quis attentâ mente ad naturam ipſius Rei animum reflexerit, videbit, eam docere quòd in ſe reperiat Conatum perſeverandi in ſuo eſſe, quæ autem percipit facere poſſe ad iſtam perſeverantiam in ſuo eſſe, ut bona percipit & judicat, in quibus porro, illam bonitatem ſpectat vel ſimpliciter, unde Amor, vel cum relatione ad tempus, vel futurum, unde cupiditas, vel ad tempus præſens, unde Lætitia. Quid poteſt quæſo magis conveniens rei naturæ excogitari, quàm ut res quælibet vel ſpectentur ut facientes ad noſtri conſervationem, vel ut nihil ad eam attinentes? Si poſterius in iis obſervetur, niſi objecta iſta ſint nova & inſolita, ſolent negligi, neque ullus circa ea locum habet affectus,

ſi verò ſpectentur ut bona, quid exactius conveniet cum ordine naturæ, quàm iſtiuſmodi conſideratio? Pergit Spinoza: *Porrò affectum Lætitiæ ad mentem & corpus ſimul relatum, Titillationem vel hilaritatem voco; Triſtitiæ autem dolorem vel Melancholiam. Sed notandum, Titillationem & dolorem ad hominem referri, quando una ejus pars præ reliquis eſt affecta; Hilaritatem autem & Melancholiam, quando omnes pariter ſunt affectæ.* De quibus facile conveniret nobiſcum, ſi æquè de reliquis conſenſus eſſet, quamvìs Carteſius per Hilaritatem aliud quid intelligat, de quo agemus ad Prop. 19. Schol. II. De cupiditate vidimus ad Schol. Prop. 9. an autem ex his tribus omnes reliqui affectus poſſint dici componi, prout hìc indicat, videbimus cum ipſo in ſequentibus.

Aliud adhuc in iſto Scholio molitur, *explicationem nempe Prop.* 10. *hujus partis, ut intelligatur, qua ratione idea ideæ ſit contraria.* Sed demonſtratio ſive explicatio iſtius rei, iterum nititur pro more huic homini conſueto falſis fundamentis. In Scholio Propoſ. 17. II. ſupponit, *ideam, quæ mentis humanæ eſſentiam conſtituit, corporis humani exiſtentiam involvere*, quod falſum. Falſum etiam eſt, *quòd præſens noſtræ mentis exiſtentia ab hoc ſolo pendeat, quòd mens actualem corporis exiſtentiam involvit.* Nititur etenim Prop. 18. II. quæ itidem falſa eſt. Ex his ſequi dicit, *mentis præſentem exiſtentiam ejuſque imaginandi potentiam tolli, ſimulatque mens præſentem corporis exiſtentiam affirmare deſinit*, quòd fateor eodem modo ſequi, quo uno abſurdo dato plura ejuſmodi ſequi neceſſe eſt; quâ ratione animæ immortalitas planè tollitur, imò animam deſinere dicendum deſinente corpore humano. Habet quoque demonſtratio pro fundamento Prop. 6. II. ex qua conſtare dicit, *cauſam, cur mens corporis exiſtentiam affirmat, non eſſe, quia corpus exiſtere incepit;* quæ falſitatis eſt convicta, unde hoc iterum fragile eſt fundamentum ad oſtendendum, quâ ratione idea ideæ ſit contraria, quod tia videtur intelligere, ut mens noſtra in morte plane novam accipiat eſſentiam, cùm nunc ejus eſſentia in ideâ corporis humani fuerit conſtituta, quæ idea poſtea per aliam deſtruitur. Sic miræ metamorphoſes ab illo homine introducuntur.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XII.

Mens quantum poteſt, ea imaginari conatur, quæ corporis agendi potentiam augent, vel juvant.

HÆc Propoſitio procul dubio ſupponit, mentis eſſentiam totam in ideâ corporis humani conſiſtere, uti antea profeſſus fuit, adeò ut ſic nulla detur in eâ idea purè ſpiritualis. Poſſet aliâs ſanum recipere ſenſum, hunc nimirum, quod mens ſtudens ſe ipſam conſervare in hoc ſtatu, in quo eſt, occupata ſit in iis cogitandis, quæ corporis humani potentiam augent. Cùm autem in demonſtratione Prop. 60. IV. conjungatur cum Prop. 7. III. tanquam ὁμοψήφῳ, certum eſt, ſenſu illo falſo à Spinoza ſumi. Quicquid de eâ ſit, demonſtratio quâ nititur infirma eſt iterum, ob Prop. 7. II. & 11. III. quæ falſæ ſunt.

PROPOSITIO XIII.

Cùm mens ea imaginatur, quæ corporis agendi potentiam minuunt, vel coërcent, conatur, quantum poteſt, rerum recordari, quæ horum exiſtentiam ſecludunt.

GEneralia valde ſunt iſta & nimis abſtracta, quæ hic & alibi dicit de mente humanâ, cujus tamen natura melius ex inſpectione ſui ipſius adeoque conſcientiâ poteſt cognoſci, quàm ex ejuſmodi generalibus & abſtractis. Dicamus potius reducendo hæc generalia ad quid particulare; Cùm mens imaginatur adverſam valetudinem conatur ſibi in memoriam revocare remedia, quæ adverſam valetudinem ſecludunt, ſi quædam olim novit, vel conatur ea inquirere. Sic concedemus iſtud libenter, neque tamen multum quoque refragabimur Propoſitioni ipſi, prout hîc eſt propoſita.

Demonſtratio non aliena eſſe videtur à veritate : *Quamdiu mens quicquam tale imaginatur, tamdiu mentis & corporis potentia minuitur, vel coërcetur* (ut in præced. Prop. demonſtravimus) *& nihilominus id tamdiu imaginabitur, donec mens aliud imaginetur, quod hujus præſentem exiſtentiam ſecludat* (per Prop. 17. p. II.) *hoc eſt*, (*ut modo oſtendimus*)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mentis & corporis potentia tamdiu minuitur, vel coërcetur, donec mens aliud imaginetur, quod hujus exiſtentiam ſecludit, quodque adeo mens (per Propoſ. 9. hujus) *quantum poteſt imaginari vel recordari conabitur.*

Corollarium etiam concedo, *quòd mens ea imaginari averſatur, quæ ipſius & corporis potentiam minuunt vel coërcent.*

Scholium dicit, ex his clarè nos intelligere, *quid amor, quidque odium ſit. Nempe amor nihil aliud eſt, quàm Lætitia concomitante ideâ cauſæ externæ, & odium nihil aliud, quàm Triſtitia concomitante ideâ cauſæ externæ.* Mira hæc definitio amoris, amor eſt Lætitia, ſimilis iis, quibus alibi uti ſolet: Deus eſt extenſus & cogitans, mens eſt idea corporis humani; huc enim redire debet juxta ſua principia. Quomodo vero amor erit Lætitia, cùm poſſit eſſe amor ſine ullâ Lætitiâ: amare enim poſſumus etiam illa bona quibus caremus, quibus non fruimur, quæ non poſſidemus: annon enim pauper poteſt amare divitias, quibus caret, æger ſanitatem, quâ eſt deſtitutus? & ſic de aliis. Similiter de odio eſt cenſendum: An non enim odio quis habere poteſt morbum, paupertatem à quibus tamen ſit liber & de quibus non habeat cauſam triſtandi? Sic judicandum cenſui ex hoc Scholio? Sed in Scholio ad Prop. 30. III. docet, ſe Amorem pro genere agnoſcere, quo poſito poſterius hoc argumentum fateor collabi. Quàm verò obſcurum eſt illud, *concomitante ideâ cauſæ externæ*! An hoc vult, Amorem eſſe lætitiam *ſi concomitetur illum idea cauſæ externæ?* Ergo amor non erit lætitia, ſi non concomitetur eum idea cauſæ externæ: quando ergo aliquis ſe ipſum amat, cùm non concomitetur idea cauſæ externæ, non habebit lætitiam, imò non habebit amorem: Sic amor erit non amor, vel potius, non dabitur amor ſui ipſius, quod neſcio an dicere voluiſſet vir ille. Sciſcit tamen ille p. 152. ad Definit. 24. *eſſe affectus lætitiæ & triſtitiæ quos idea rei internæ comitatur, tanquam cauſa.* Quis hæc conciliet! Alterum, quod in Scholio habet, non rejicimus: *Videmus deinde, quòd ille, qui amat, neceſſariò conatur rem, quam amat, præſentem habere & conſervare; & contrà, qui odit, rem, quam odio habet, amovere & deſtruere conatur.*

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XIV.

Si mens duobus affectibus ſimul affecta ſemel fuit, ubi poſtea eorum alterutro afficietur, afficietur etiam altero.

FAcilè admittimus hanc Propoſitionem unà cum ejus demonſtratione, quæ nititur Prop. 18. II. & Corol. 2. Prop. 16. II. quas ut veras agnovimus.

PROPOSITIO XV.

Res quæcumque poteſt eſſe per accidens cauſa lætitiæ, triſtitiæ vel cupiditatis.

OBſcura admodum eſt hæc Propoſitio, & exemplo declarandum fuiſſet, quomodo hoc intelligat. Quod ſi attendamus ad demonſtrationem Prop. 36. III. videbimus hunc ejus ſenſum: *Quicquid homo ſimul cum re, quæ ipſum delectavit, vidit, id omne erit, per accidens lætitiæ cauſa*, quod falſum eſſe facile exemplis oſtendi poteſt. Quid ſi enim cum re, quæ ipſum delectavit, conjunctum vidit aliquid, quod non delectat, an ergo hoc ipſum poterit eſſe lætitiæ cauſa? Delectet hominem pulchra mulier facie, quæ claudicet? An ergo dicetur claudicationem eſſe lætitiæ cauſam? quis hoc dixerit? Demonſtratio etiam rem non claram reddit, multò minus probat. *Ponit, mentem duobus affectibus ſimul affici, uno, qui ejus potentiam neque auget neque minuit, altero qui eandem vel auget vel minuit*, quod ſupponamus cum ipſo; dicit poſtea, *ex præcedenti Propoſitione patere, quod ubi mens poſtea illo à ſuâ verâ cauſâ, quæ* (per hypotheſin) *per ſe ejus cogitandi potentiam nec auget, nec minuit, afficietur, ſtatim & hoc altero afficietur.* At hoc non patet ex præcedenti Propoſitione, quod vera cauſa affectus ſit ille, qui humanæ mentis cogitandi potentiam nec auget nec minuit. Et intelligi nequit, quæ ſit illa vera cauſa & cujus effectus ſit cauſa; de affectu ſermo hîc tantum eſt, nec quis ſit ille affectus dicitur: Eritne ergo vera cauſa *affectus*, ſed neſcio cujus, ipſe affectus, neſcio quis? Et ſupponitur, affectum eſſe affectionem corporis, quâ ejus potentia agendi augetur vel minuitur ex Defin. 3. quam rejecimus; ſimul quoque ſupponi debet, quod id, quod corporis agendi potentiam auget vel minuit, etiam mentis cogitandi po-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

potentiam augeat vel minuat ex Propoſ. 11. quam falſitatis convicimus. Tandem ſupponit quoque, quod id, quod cogitandi potentiam auget vel minuit; ſit lætititia vel triſtia ex Scholio Prop. II. hujus, ad quod definitiones illas Spinozæ, quibus lætitiam vel triſtitiam definit, rejecimus.

Corollarium derivat ex illâ Propoſitione: *Ex eo ſolo, quod rem aliquam affectu lætitiæ; vel triſtitiæ, cujus ipſa non eſt cauſa efficiens, contemplati ſumus, eandem amare vel odio habere poſſumus*, quod non eſt clarius præcedenti Propoſitione. Videamus, an ex Demonſtratione aliquid lucis queamus haurire. Nempe ex Prop. 14. hujus colligit, *ex hoc ſolo quòd rem aliquam amemus vel odio habeamus fieri, ut mens iſtam rem poſtea imaginando affectu lætitiæ vel triſtitiæ afficiatur*, quod concedamus. At falſum eſt, quod ex Schol. Prop. II. hujus colligit, *per lætitiam & triſtitiam mentis & corporis potentiam augeri vel minui*, non enim definitionem illam lætitiæ & triſtitiæ ibi poſitam admittimus. Nititur quoque hæc demonſtratio Prop. 12. hujus & Sch. Prop. 13. ubi tum perverſas definitiones amoris & odii vidimus.

Scholium. *Hinc intelligimus, qui fieri poteſt, ut quædam amemus vel odio habeamus abſque ullâ causâ nobis cognitâ, ſed tantùm ex ſympathiâ (ut ajunt) & antipathiâ.* Quibus verbis hoc ipſum velle puto, quod quando aliqua res potentiam agendi mentis & corporis auget vel minuit, ſimul illam amemus vel odio habeamus: Quod quidem rejicere nolo, quamvis putem ejus rei adhuc alias dari poſſe rationes, etiam præter illam, quam ſubjungit: *Atque huc referenda etiam ea objecta, quæ nos lætitiâ vel triſtitia afficiunt ex eo ſolo, quòd aliquid ſimile habent objectis, quæ nos iisdem affectibus afficere ſolent, ut in ſequenti Prop. oſtendam.*

PROPOSITIO XVI.

Ex eo ſolo, quod rem aliquam aliquid habere imaginamur ſimile objecto, quod mentem lætitiâ vel triſtitiâ afficere ſolet; quamvis id, in quo res objecto eſt ſimilis, non ſit horum affectuum efficiens cauſa; eam tamen amabimus vel odio habebimus.

ADmittimus hanc Propoſitionem, in demonſtratione hæremus, quatenus nititur Prop. XV. & ejuſdem corollario, quæ obſcuritatis arguimus.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XVII.

Si rem, quæ nos triſtitiæ affectu afficere ſolet, aliquid habere imaginamur ſimile alteri, quæ nos æquè magno lætitiæ affectu ſolet afficere, eandem odio habebimus, & ſimul amabimus.

OBſcura hæc iterum eſt Propoſitio, & ea quæ mentem humanam attinet, longè melius cognoſcuntur per particularem explicationem & interiorem mentis conſcientiam, quàm per ejuſmodi generales demonſtrationes. Nititur autem illa demonſtratio inter alia Schol. Prop. 13. in quo vitioſa illa definitio amoris & odii reperitur, quam reprobaimus.

Scholium. *Hæc* mentis conſtitutio, quæ ſcilicet ex duobus contrariis affectibus oritur, animi *vocatur* fluctuatio, *quæ proinde affectum reſpicit, ut dubitatio imaginationem* (vid. Schol. Propoſ. 44. p. II.) *nec animi fluctuatio & dubitatio inter ſe differunt, niſi ſecundum majus & minus.* Ubi an ſatis memor fuerit eorum, quæ habuit in Schol. Prop. 44. valdè dubito. Fluctuationem enim ibi retulit ad imaginationem; at dubitatio poteſt verſari circa illas res, in quibus nulla planè imaginatio habet locum, ut, ſi quis dubitet de Deo, de mente, de cogitationibus, de virtutibus. Sed hic homo id, quod tantâ curâ & tam egregiè diſtinxerat, Carteſius, mentem nempe & ea quæ ſunt mentis, à corpore & iis quæ ad corpus attinent, iterum omni molimine confundit. Cæterum quòd *fluctuatio animi* ſit affectus & qualis ille ſit, accuratè poteſt cognoſci ex Carteſii art. 170. *De Paſſionibus*, quæ ſi quis cum Med. I. ejuſdem de Primâ Philoſophiâ conferat, facile videbit, quænam inter dubitationem & animi fluctuationem intercedat diſtinctio. Porrò *notari* vult, ſe *in Propoſitione præcedenti has animi fluctuationes ex cauſis deduxiſſe, quæ per ſe unius & per accidens alterius affectus ſunt cauſa*, quod *ideo ſe feciſſe dicit, quia ſic facilius ex præcedentibus deduci poterant; at non quòd neget, animi fluctuationes plerumque oriri ab objecto, quod utriuſque affectus ſit efficiens cauſa.* In quo nihil reprehendimus præter obſcuritatem Propoſitionis præcedentis, cujus verba hoc ipſum non videntur docere, nec etiam repugnamus probationi, quam his adjungit, quæ tota ex eo dependet, quod corpus humanum ſit ex multis iiſque diverſis individuis compoſitum, & quòd una eademque res multis diverſis modis poſſit affici.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XVIII.

Homo ex imagine rei præteritæ aut futuræ eodem Lætitiæ & Triſtitiæ affectu afficitur, ac ex imagine rei præſentis.

HÆc Propoſitio facile conceditur, neque opus erat tanto molimine ad ejus veritatem probandam, quanto uſus eſt Spinoza. Explicatione potius & melius res illa erat declaranda. Scilicet quando imago rei præteritæ aut futuræ ita exhibetur, uti exhibetur imago rei præſentis, poteſt mentem eodem modo afficere, ac ſi præſens eſſet objectum, uti in dormientibus & mente motis contingere ſolet. Aliàs ad Lætitiæ affectum excitandum, requiritur, ut res, de quâ lætamur, ſpectetur ut præſens, uti ex anteà à me dictis poteſt conſtare.

Scholium I. habet quædam de præterito & futuro, quibus docet, quomodo illud à ſe hic accipiatur. *Rem eatenus præteritam aut futuram hic voco, quatenus, ab eadem affecti fuimus, aut afficiemur. Ex gr. quatenus ipſam vidimus, aut videbimus, nos refecit, aut reficiet, nos læſit aut lædet &c.*

Scholium II. habet quaſdam affectuum definitiones. *Spes* ipſi *nihil aliud eſt, quam inconſtans Lætitia, orta ex imagine rei futuræ vel præteritæ de cujus eventu dubitamus.* At manifeſtum eſt, in ſpe quoque eſſe deſiderium rei, adeoque hunc affectum eſſe compoſitum ex Lætitiâ & deſiderio quæ inter ſe invicem miſcentur, uti benè obſervavit Carteſius de Paſſionibus art. 165. Deſideramus utique rem, quam ſperamus, non ergo poteſt deſiderium à ſpe ſeparari. Similis defectus ab ipſo commiſſus eſt in definitione *metus*, quem dicit, *eſſe inconſtantem Triſtitiam ex rei dubiæ imagine etiam ortam*, cùm & hic cupiditas ſive deſiderium neceſſariò ſit commixtum; nec enim ullus metus eſt non conſequendi vel amittendi rem, cujus nullo deſiderio tenemur. Quòd *ex ſpe fiat ſecuritas & ex metu deſperatio, ſi horum affectuum dubitatio tollatur*, rectè obſervat. Gaudium diſtinguit à Lætitiâ, dicens: Gaudium eſſe *Lætitiam ortam ex imagine rei præteritæ, de cujus eventu dubitamus*, quæ mira definitio eſt. Neque enim intelligo, quomodo Læti eſſe poſſimus de re præteritâ, de cujus eventu dubitamus. Poteſt locum habere quædam Lætitia circa mala præterita, eo ipſo nomine, quod præterierint, quod rectè obſervat Cart. de

Paſſ.

Paſſ. art. 210. quando Hilaritatem conſiderat *tanquam ſpeciem Lætitiæ, quæ id habet ſpeciale, quòd ejus dulcedo augetur recordatione malorum præteritorum, & quibus homines ſe ita ſublevatos ſentiunt, ac ſi grave aliquod onus quod diu bajulâſſent, ex ſuis humeris remotum ſentirent?* Poſſumus etiam lætari de re aliquâ bonâ, *quæ præter ſpem evenit*, uti poſtea loquitur in fine Libr. III. Defin. 16. ſed non poteſt concipi res præterita, de cujus eventu dubitamus. Et ſi ſit præterita, quomodo ergo venit conſiderandus eventus? Eventus enim ſpectat res futuras. Si eventus rei futuræ ſit certus poteſt nos afficere Lætitiâ, quia illa animi conſtitutio, quâ certus eſt, rem eventuram, eam rem tanquam præſentem conſiderare poteſt, quod locum habere nequit, ubi eſt dubius eventus. Forte tamen nihil aliud his verbis voluit ſignificare, quàm poſſe factas eſſe quaſdam actiones, & nos noſſe, quòd illæ ſint factæ v. gr. legationem de pace impetrandâ factam ad Regem, poſſe nos ignorare eventum illius legationis & tamen lætari vel hoc nomine, quod iſta legatio fuerit facta, quo ſenſu libenter admittimus. Tandem *Conſcientiæ morſum* dicit eſſe *Triſtitiam oppoſitam gaudio.* Certum autem eſt, Conſcientiæ morſum oriri ex dubitatione ſive ſcrupulo, qui injicitur, num id quod ſit, vel factum eſt bonum ſit necne? Non ergo poteſt in gaudio locum habere dubitatio, cùm hæc ſit cauſa morſus Conſcientiæ: Ergo contrarius affectus non poteſt habere eandem cauſam.

PROPOSITIO XIX.

Qui id, quod amat, deſtrui imaginatur, contriſtabitur, ſi autem conſervari, lætabitur.

PRopoſitio iſta facile concedi poteſt, & ferè pro axiomate per ſe noto poteſt haberi. Demonſtratio verò, quam adhibet rem potius intricat & difficilem reddit, nitens quoque falſis fundamentis, cujuſmodi ſunt Prop. 12. III. & Schol. Prop. 11. III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XX.

Qui id, quod odio habet, deſtrui imaginatur, lætabitur.

ET hanc Propoſitionem admittimus, quòd ea ex naturâ odii, & ex iis, quæ clarè ſatis docuit Carteſius, planè ſequatur. Demonſtrationes verò Auctoris, quod & hîc fit, rem potius intricare quàm probare ſolent, quamvis aliàs & ipſam, modo rectè intelligatur, admittimus.

PROPOSITIO XXI.

Qui id, quod amat, Lætitiâ vel Triſtitiâ affectum imaginatur, Lætitia etiam vel Triſtitia afficietur; & uterque hic affectus major aut minor erit in amante, prout uterque major aut minor eſt in re amata?

QUi ad naturam amoris ritè attenderit facile iſtam Propoſitionem admittet, neque indigebit demonſtratione partim intricatâ, partim falſo nixâ fundamento, cujuſmodi eſt Schol. Prop. 11. III. in quo ſupponitur; Lætitiam conſiſtere in tranſitu ad majorem perfectionem; quod ipſa experientia convincit falſitatis; poteſt enim quis tranſire ad majorem perfectionem corporis dum inſenſibiliter valetudo reſtauratur, qui tamen propterea non lætabitur.

PROPOSITIO XXII.

Si aliquem imaginamur Lætitia afficere rem, quam amamus, amore erga eum afficiemur. Si contrà eundem imaginamur Triſtitia eandem afficere; è contra odio etiam contra ipſum afficiemur.

HÆc Propoſitio poteſt admitti, ſi per rem, quam amamus, intelligamus hominem aut aliud quid ratione præditum; talis enim res demum Lætitiâ poteſt affici, ſed ſi per illam rem intelligamus quodcumque amoris noſtri objectum, ſupponitur, illud omne habere mentem, quæ Lætitiâ poteſt affici, quo nihil falſius, prout

ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſuo loco jam obſervatum fuit. Demonſtratio nititur inter alia Schol. Prop. 13. in quo confuſa & inepta traditur definitio amoris, quam in ſuperioribus refutavimus.

In Scholio reperitur primùm definitio *Commiſerationis*, quod ſit, *Triſtitia orta ex alterius damno*, quæ ſtrictior eſt Definitio, cùm omittat amorem, qui illi Triſtitiæ eſt mixtus, quod ſatis ex Prop. 22. videtur patere. Sed ille contra omnem rationem amorem ſpectat tanquam ſpeciem Lætitiæ, & propterea cum Triſtitia noluit eum commixtum. De affectu oppoſito commiſerationi dicit, ſe ignorare nomen, in quod parum eſt ſitum. Dein definitionem recitat Favoris & Indignationis, *amorem erga illum, qui alteri benè fecit, favorem, & contra odium erga illum, qui alteri malè fecit indignationem appellans*, de quibus nolumus contendere. *Denique notandum* dicit, *nos non tantum miſereri rei, quam amavimus, ſed etiam ejus, quam antea nullo affectu proſecuti ſumus; modo eam nobis ſimilem judicemus (ut infra oſtendam;) Atque adeo ei etiam favere, qui ſimili benè fecit, & contra in eum indignari, qui ſimili damnum intulit;* quibus nos non contradicimus.

PROPOSITIO XXIII.

Qui id, quod odio habet Triſtitiâ affectum imaginatur, lætabitur; ſi contrà idem lætitiâ affectum eſſe imaginetur, contriſtabitur; & uterque hic affectus major aut minor erit, prout ejus contrarius major aut minor eſt in eo, quod odio habet.

NEque huic Propoſitioni poſſumus refragari, cùm in naturâ Lætitiæ, Triſtitiæ & Odii ſit fundata. Nolumus etiam contradicere demonſtrationi, quamvis rem iſtam ſimpliciùs longè ex naturâ Lætitiæ, Triſtitiæ & Odii, prout hæc à Carteſio ſunt demonſtrata putemus intelligi poſſe.

Nec Scholio contrariamur, in quo obſervat, *Hanc lætitiam vix ſolidam & abſque ullo animi conflictu eſſe poſſe.* Rationis, quam adducit, hic ſenſus eſſe videtur, quod homo, qui Triſtitiâ affectus eſt, poſſit quidem ſpectari ut objectum noſtræ Lætitiæ, quatenus eſt objectum noſtri Odii, ſed tamen idem ille etiam queat conſiderari tanquam objectum noſtræ Triſtitiæ, quatenus ſpectatur ut nobis ſimilis, adeo ut ſic Lætitia in Triſtitiam poſſit commutari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXIV.

Si aliquem imaginamur Lætitiâ afficere rem, quam odio habemus, odio etiam erga eum afficiemur. Si contrà eundem imaginamur Triſtitiâ eandem rem afficere amore erga ipſum afficiemur.

SPinoza hanc Propoſitionem vult demonſtrari eodem modo, ac Propoſitio 22. hujus demonſtrata fuit; ſed quoniam illa nixa fuit definitione amori confuſa & inepta illam merito rejecimus. Natura Odii, Lætitiæ & Triſtitiæ longè melius rem iſtam docebunt, quam melius ex Carteſio quam Spinozâ diſcemus:

In Scholio definit invidiam, quam dicit, *nihil aliud eſſe, quàm ipſum Odium quatenus id conſideratur hominem ita diſponere, ut malo alterius gaudeat, & contra ut ejuſdem bono contriſtetur*; ſed confundit hic duos affectus diſtinctos; Gaudium enim de malo alterius non Invidiæ nomine, ſed Ἐπιχαιρεκακίας venire ſolet, adeoque hæc inter ſe invicem ſunt diſtincta.

PROPOSITIO XXV.

Id omne de nobis deque re amatâ affirmare conamur, quod nos, vel rem amatam Lætitiâ afficere imaginamur; Et contrà, id omne negare, quod nos vel rem amatam Triſtitiâ afficere imaginamur.

MIra hîc adhibetur phraſis, quod id conemur affirmare, quod nos vel rem amatam Lætitiâ afficere imaginamur. Videtur tamen nihil aliud per eam ſignificare, quàm quod cupiamus adeſſe nobis vel rei amatæ id, quod nos vel rem amatam Lætitiâ afficere imaginamur, & contrà, quo ſenſu ſi accipiat, poſſumus iſtam Propoſitionem admittere, quæ ſatis patet ex naturâ Amoris, Lætitiæ, & Cupiditatis, ut non indigeamus demonſtratione illa Spinozæ, quæ nititur inter alias Prop. 12. III. quam falſam eſſe oſtendimus.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXVI.

Id omne de re, quam odio habemus, affirmare conamur, quod ipſam Triſtitiá afficere imaginamur, & id contra negare, quod ipſam Lætitiâ afficere imaginamur.

SI illa phraſis *affirmare de re aliqua* idem ſit, quod velle alicui rei, & hic ſit ſenſus verborum: *Id omne rei, quam odio habemus volumus evenire, quod ipſam Triſtitia afficere imaginamur &c.* hæc Propoſitio ex natura Odii, Triſtitiæ & Cupiditatis facile intelligetur, ut de demonſtratione alia nos eſſe ſolicitos non oporteat.

In Scholio quæ habet de natura Superbiæ libenter admittimus, quam non malè dicit *ſpeciem eſſe delirii, quia homo apertis oculis ſomniat, ſe omnia illa poſſe, quæ ſola imaginatione aſſequitur, quæque propterea veluti realia contemplatur, iiſque exultat, quamdiu ea imaginari non poteſt, quæ horum exiſtentiam ſecludunt & ipſius agendi potentiam determinant. Eſt igitur* Superbia *Lætitia ex eo orta, quod homo de ſe plus juſto ſentit.* His adjungit definitionem *Exiſtimationis, quam dicit eſſe Lætitiam, quæ ex eo oritur, quod homo de alio plus juſto ſentit.* At vox exiſtimationis magis generalis eſt ut ſic perperam reſtringatur: poſſumus enim alium juſtè æſtimare. Magis etiam generalis eſt vox *Deſpectus* quæ perperam reſtringitur à Spinoza, ad eum, *qui de alio minus juſto ſentit*, cùm queamus aliquem deſpicere, quem juſto ſuo valore æſtimamus, dum nimirum eum omni Generoſitate deſtitutum & humilitate vitioſa affectum novimus. Sed hoc excuſat in *Explicatione* Definitionis XIX. & XX. hujus Partis, unde nolumus hac de re ipſi movere litem.

PROPOSITIO XXVII.

Ex eo, quòd rem nobis ſimilem, & quam nullo affectu proſecuti ſumus, aliquo affectu affici imaginamur, eo ipſo ſimili affectu afficimur.

HÆc Propoſitio, ſi intelligatur de eo, quod ordinariè ſolet fieri inter homines, admitti poteſt. Atque ita ipſa conſcientia, quâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

homo conſcius eſt ſui ipſius, veritatem hujus Propoſitionis oſtendit. Nolumus tamen rejicere demonſtrationem Spinozæ, quam apud ipſum poteſt videre Lector. Sed ſi eo ſenſu prolata fuerit, quaſi id ſemper obtineat, id quoque falſum eſſe experientia docet. Patet vero ex Scholio Prop. 68. IV. ſenſum hujus propoſitionis planè univerſalem, adeo ut nomine eorum, quæ homini ſunt ſimilia etiam bruta comprehendantur, unde liquet, falſam eſſe hanc ipſam Propoſitionem Univerſalem.

In Scholio reperitur definitio Æmulationis, ſed non perfecta, quâ ſciſcit, *Æmulationem nihil aliud eſſe, quam alicujus rei cupiditatem, quæ in nobis ingeneratur ex eo, quod alios nobis ſimiles eandem cupiditatem habere imaginamur:* addi enim debebat, quod ſic homo res illas, quas ſuſcipit, ſibi ſucceſſuras ſperet, quod aliis eas benè ſuccedere videt.

Corollaria tria ſubjungit huic Propoſitioni, quæ clariora ſunt in ſe ipſis quàm ut lucem ex demonſtrationibus Spinozæ queant conſequi, quæ propterea nudè tantùm recitabimus

Corollarium I. *Si aliquem, quem nullo affectu proſecuti ſumus, imaginamur Lætitia afficere rem nobis ſimilem, Amore erga eundem afficiemur. Si contra eundem imaginamur eandem Triſtitia afficere, contra Odio erga ipſum afficiemur.*

Corollarium II. *Rem, cujus nos miſeret, odio habere non poſſumus ex eo, quod ipſius miſeria nos Triſtitia afficit.*

Corollarium III. *Rem, cujus nos miſeret, à miſeria, quantum poſſumus, liberare conabimur.*

In Scholio Benevolentiam definit, ſed perperam. *Voluntatem ſive appetitum benefaciendi, qvi ex eo oritur, quod rei, in quam beneficium conferre volunmus, nos miſeret* Benevolentiam, *vocari*, dicit, *quæ proinde nihil aliud ſit, quàm cupiditas ex commiſeratione orta.* Benevolentiæ enim vox aliquid generalius ſignificat, & poteſt benevolentia exſeri etiam erga eum, qui miſer non eſt.

PRO-

PROPOSITIO XXVIII.

Id omne, quod ad Lætitiam conducere imaginamur, conamur promovere ut fiat, quod verò eidem repugnare, ſive ad Triſtitiam conducere imaginamur, amovere vel deſtruere conamur.

HÆc quoque Propoſitio facilè admitti poteſt ſine ulla demonſtratione, præter eam, quæ nititur intima noſtra continentia & natura Lætitiæ.

Demonſtrationis Spinozæ prima Pars, nititur inter alia fundamenta Prop. 12. III. quam duplicem admittere poſſe obſervavimus ſenſum, vero tamen hîc videtur adhiberi. Sed alia ſubſternuntur fundamenta, falſa planè, cujuſmodi ſunt Coroll. Prop. 7. & Coroll. Prop. nititur II. Altera Pars Schol. Prop. 13. III. in quo illa confuſio Triſtitiæ cum Odio reperitur, ſicque ſoliditate demonſtrationis caret.

PROPOSITIO XXIX.

Nos id omne agere etiam conabimur, quod homines (intelligi hîc & in ſeqq. vult homines, quos nullo affectu proſecuti ſumus) *cum Lætitia adſpicere imaginamur, & contra id agere averſabimur, quod homines averſari imaginamur.*

HÆc Propoſitio etiam non abſolutam habet veritatem, ſed eodem ſenſu poteſt admitti, quo Prop. 27. admiſſa fuit, ſcilicet, quòd hoc ordinariè ſoleat fieri. Demonſtratio Spinozæ à nobis propterea rejicitur, quia nititur Schol. Prop. 13. III. in quo Amor cum Lætitia & Odium cum Triſtitia perperam confunduntur.

In Scholio primùm definit Ambitionem & Humanitatem. *Hic conatus*, inquit, *aliquid agendi, & etiam omittendi, eâ ſolâ de causâ, ut hominibus placeamus, vocatur Ambitio, præſertim, quando adeo impensè vulgo placere conamur, ut cum noſtro aut alterius damno quædam agamus, vel omittamus; aliàs humanitas appellari ſolet.* Sed perperam nomine humanitatis, quæ virtus eſt, venit vitium, quod in eo conſiſtit,

quòd

quòd conemur aliquid agere & omittere, ea ſolâ de causâ, ut hominibus placeamus. Nunquam enim hic unicus ſcopus debet eſſe noſtrarum actionum, ut hominibus placeamus, cùm eâ ratione manifeſtè in vitia ſimus lapſuri omnis generis. Dein Laudem & Vituperium deſcribit: *Lætitiam*, inquit, *quâ alterius actionem, quâ nos conatus eſt delectari, imaginamur, Laudem voco; triſtitiam verò, qua contrà ejusdem actionem averſamur, Vituperium voco;* Laudem & Vituperium hîc conſiderat, prout ſunt in mente, non prout extrinſecus ſe manifeſtant. Sed etſi aliquis nos non conatus fuerit delectari, locum tamen habere Laus poteſt, modo fecerit id, quo merito delectari poſſumus, & contra. In laude etiam non tantùm locum habere poteſt lætitia, ſed etiam amor ejus, quem laudamus, venit conſiderandus, & contra, quod tamen non miror factum non eſſe à Spinoza, cùm ille Lætitiam & Amorem confundere conſueverit.

PROPOSITIO XXX.

Si quis aliquid egit, quod reliquos Lætitia afficere imaginatur, is Lætitia, concomitante idea ſui, tanquam cauſa afficietur, ſive, ſe ipſum cum Lætitia contemplabitur. Si contrà aliquid egit, quod reliquos triſtitia afficere imaginatur, ſe ipſum cum triſtitia contrà contemplabitur.

NOlo huic repugnare Propoſitioni, nec etiam demonſtrationi, prout à Spinoza adducta eſt. Etſi enim Prop. 23. II. qua inter alia nititur, non ſit vera, verum tamen eſt, hominem ſui eſſe conſcium per affectiones, quibus ad agendum determinatur.

Sed in Scholio mira videbimus. Putabam ex Scholio Prop. 13. III. quòd Amorem habeat pro ſpecie Lætitiæ, & Odium pro ſpecie triſtitiæ, quia ibi *Amorem* definivit *eſſe Lætitiam concomitante idea cauſæ externæ* & Odium dixit eſſe *Triſtitiam concomitante etiam idea cauſæ externæ*, ſed ille ex his definitionibus in ſcholio repetitis concludit: *Erit ergo hæc Lætitia & Triſtitia Amoris & Odii Species.* Erit ergo Amor ſpecies Lætitiæ, & Lætitia Species Amoris. Sed fortè diſtinguenda eſt Lætitia juxta ipſum, quòd alia ſit, quam concomitatur idea cauſæ externæ, alia, quam idea cauſæ non externæ concomitatur: Illa ergo erit Amor

Amor, non hæc. Similiter de Triſtitia dicendum. Atque hîc quidem verum erit, omnem Lætitiam præſupponere Amorem, ſed propterea tamen Lætitia non eſt dicenda Amor, quemadmodum, etſi dies ſupponat præcedentem auroram, non tamen propterea dies poterit dici aurora. Pergit Spinoza; *ſed quia Amor & Odium ad objecta externa referuntur, ideo hos affectus aliis nominibus ſignificabimus; nempe Lætitiam, concomitante idea cauſæ externæ, Gloriam, & Triſtitiam huic contrariam Pudorem appellabimus: Intellige, quando Lætitia vel Triſtitia ex eo oritur, quòd homo ſe laudari vel vituperari credit; aliàs Lætitiam, concomitante idea cauſæ externæ, Acquieſcentiam in ſe ipſo; Triſtitiam verò eidem contrariam Pœnitentiam vocabo.* Quidni verò breviſſimè ſic potius dixiſſet: *Gloria eſt ſpecies Lætitiæ ſuper Amore ſui ipſius fundata, quæ oritur ex opinione aut ſpe concepta laudis apud alios obtinendæ*, quæ Definitio eſt Carteſii de Paſſionibus art. 204. ſic clariſſimè natura Gloriæ fuiſſet explicata, ex cujus oppoſitione Pudor quoque facillimè intelligitur. Acquieſcentia in ſe ipſo melius quoque ex Cart. art. 190. intelligitur, quàm ex hoc Auctore. Acquieſcentia enim ſecundum Carteſium eſt ſpecies Lætitiæ, quam quis concipit ex eo, quòd conſtanter virtuti inſtiterit, ex qua facile natura Pœnitentiæ poteſt intelligi. His ſubjungit: *Quia (per Coroll. Prop. 17. p. 2.) fieri poteſt, ut Lætitia, qua aliquis ſe reliquos afficere imaginatur, imaginaria tantum ſit, & (per Prop. 25. hujus) unusquiſque de ſe id omne conatur imaginari, quod ſe Lætitia afficere imaginatur; facile ergo fieri poteſt, ut glorioſus ſuperbus ſit, & ſe omnibus gratum eſſe imaginetur, quando omnibus moleſtus eſt.* Quod facile admittimus, modo obſervetur, hoc longè clarius ex mente Carteſii ſic potuiſſe dici: Fieri poſſe, ut actiones ſuper quibus homines ſtabiliunt ſuam acquieſcentiam, ſint vitioſæ potius quàm virtuoſæ, & ea ratione eam non niſi ſuperbiæ & abſurdæ arrogantiæ producendæ inſervire. Sed placuit ſibi Auctor hîc in Methodo ſua ſatis intricatâ & ſpinis repletâ, quâ ſi quis ſcientiam conſequi valeat, mirabor admodum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXXI.

Si aliquem imaginamur amare, vel cupere, vel odio habere aliquid quod ipſi amamus, cupimus, vel odio habemus, eo ipſo rem conſtantius amabimus &c. Si autem id, quod amamus, eum averſari imaginamur, vel contrà, tum animi fluctuationem patiemur.

HÆc Propoſitio iterum eſt ex illis, quæ ſæpe ſolent obtinere inter homines, ſed non ſemper, adeoque non eſt univerſalis, & per conſequens non eſt demonſtrabilis. Hoc vel ex ipſa demonſtratione à Spinoza adhibita poteſt fieri manifeſtum. Nititur enim Prop. 27. III. quæ ejuſdem eſt furfuris, atque ita demonſtratio iſta hoc ſolummodo conficit, ſolere ſic fieri inter homines, non ſemper tamen id fieri. Scilicet, ſi ad prioris Amoris cauſam nova aliqua accedat, à quâ fovetur, hoc ipſo conſtantius amabimus; at illa nova cauſa non ſemper accedit.

Corollarium. *Hinc, & ex Prop.* 28. *hujus ſequitur, unumquemque, quantum poteſt, conari, ut unuſquiſque id, quod ipſe amat, amet, & quod ipſe odit, odio etiam habeat*, cui nos non refragamur.

Etiam ea, quæ in Scholio legimus, pro veris admittimus, neque piget ea his adjungere: *Hic conatus efficiendi, ut unuſquiſque probet id, quod ipſe amat, vel odio habet, revera eſt ambitio* (vid. Schol. Prop. 29. hujus) *atque ideo videmus, unumquemque ex natura appetere, ut reliqui ex ipſius ingenio vivant, quod dum omnes pariter appetunt, pariter ſibi impedimento, & dum omnes ab omnibus laudari ſeu amari volunt, odio invicem ſunt.*

PROPOSITIO XXXII.

Si aliquem re aliqua, qua unus ſolus potiri poteſt, gaudere imaginamur, conabimur efficere, ne ille illa re potiatur.

NOn intelligo, quomodo illam Propoſitionem queat habere pro tali, quæ ſit ſcientifica & demonſtrabilis, cùm ne quidem ſit ex plurimùm contingentibus, & experientiæ manifeſtè refragetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Si ulla res eſt, qua unus ſolus potiri poteſt, eſt uxor; quoties verò homines imaginantur maritos gaudere uxoribus! An ergo hominum natura eſt, conari efficere, ne mariti ſuis uxoribus potiantur?

Demonſtratio nititur Prop. 27. hujus, quæ non eſt univerſalis veritatis.

Ex Scholio patet, Propoſit. XXXII. non eſſe univerſalem. Sic ille: *Videmus itaque, cum hominum naturâ plerumque ita comparatum eſſe, ut eorum, quibus malè eſt, miſereantur, & quibus benè eſt, invideant,* & (per Prop. præced.) *eò majore odio, quo rem, quâ alium potiri imaginantur, magis amant.* Quæ omnia facilè poſſumus concedere. *Videmus deinde, ex eadem naturæ humanæ proprietate, ex qua ſequitur, homines eſſe miſericordes, ſequi etiam, eoſdem eſſe invidos & ambitioſos.* Si hîc iterum ſubintelligat *plerumque* non erit hæc dicenda proprietas humanæ naturæ, ſed accidens aliquod commune; atque eo ſenſu id demum ex antecedentibus poteſt aſſeri. Sed, quod mireris, vir ille intelligit, per naturam hominis, ea, quæ homini competunt, prout ducitur ab affectibus, eoſque cæco impetu ſequitur; cùm tamen æquè ratio competat homini ac affectus; & ſi ducatur ratione, talia in ipſo, quæ hâc in Parte III. ei adſcribuntur, non reperientur. Tertium, quod in hoc Scholio annotat, ſi intelligatur, id ſolere fieri ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, etiam facile admittimus. *Denique inquit ſi ipſam experientiam conſulere velimus, ipſam hæc omnia docere experiemur; præſertim ſi ad prioris ætatis noſtræ annos attenderimus. Nam pueros, quia eorum corpus continuo veluti in æquilibrio eſt, ex hoc ſolo ridere, vel flere experimur, quòd alios ridere vel flere vident; & quicquid præterea vident alios facere, id ipſum imitari ſtatim cupiunt, & omnia denique ſibi cupiunt, quibus alios delectari imaginantur; nimirum, quia rerum imagines, uti vidimus, ſunt ipſæ humani corporis affectiones, ſive modi, quibus corpus humanum à cauſis externis afficitur, diſponiturque ad hoc vel illud agendum.*

PROPOSITIO XXXIII.

Cùm rem nobis ſimilem amamus, conamur, quantum poſſumus, efficere, ut nos contrà amet.

NOn repugnamus huic propoſitioni ut pote in experientia fundata. Nec contradicimus demonſtrationi quæ Prop. 12. III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

adducit pro fundamento, quæ prout generatim ibi propoſita legitur falſa quidem eſt, ſed hoc tamen veritatis in ſe habet, quod hîc adducit, quòd *rem, quam amamus, præ reliquis, quantum poſſumus, imaginari conamur.* Reliquæ etiam Propoſitiones, prout hîc adhibentur, à nobis poſſunt admitti.

PROPOSITIO XXXIV.

Quo majori affectu rem amatam erga nos affectam eſſe imaginamur, eò magis gloriabimur.

ITa obtinere ſolere inter homines non negamus. Demonſtratio tamen admitti nequit, cùm inter alia vitioſâ iſta Amoris definitione nitatur, quæ in Schol. Prop. 13. III. ocurrit, ut & Prop. 11. III. quæ falſa eſt.

PROPOSITIO XXXV.

Si quis imaginatur rem amatam eodem, vel arctiore vinculo Amicitiæ, quo ipſe eadem ſolus potiebatur, alium ſibi jungere, odio erga ipſam rem amatam afficietur, & illi alteri invidebit.

ITa fieri ſolere inter homines non diffitemur, perperam tamen id prout ſæpius monui pro humanæ naturæ proprietate habetur. Demonſtratio Spinozæ nititur quibuſdam falſis, cujuſmodi eſt Schol. Prop. 13. III. ut nunc de aliis non dicam.

In Scholio format nobis Zelotypiæ ejuſmodi definitionem, quæ non ſatis ejus naturam explicat, quam ſi quis conferat cum iis, quæ Cart. de Paſſionibus §. 167, 168, 196. de ea docet, facile videbit, quantum diſtent æra lupinis. *Odium erga rem amatam Invidiæ junctum Zelotypiam vocari* dicit, cùm tamen Zelotypia dari poſſit ſine ullo odio. Eò uſque pervenimus, ſi hunc Auctorem ſequamur, ut nomina rerum cum ipſis rebus perdamus. Certum eſt, ordinariè, & ut plurimùm Zelotypiam deſignare illum affectum, quo agitatur maritus dum ſuſpicatur, ſuam uxorem rem habere cum alio viro; atque hinc illa vox per analogiam etiam aliis commotionibus applicatur. In illa autem Zelotypia eſt metus amittendi illud bonum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

de quo cenſet, id ſibi ſoli eſſe poſſidendnm, & Cupiditas adeoque ſtudium illud conſervandi. Sed non eſt Odium, niſi poſtquam cenſetur amiſſum eſſe, illudque primario erga illum, qui rapuit, dein etiam ſæpe erga rem amatam, ſi ipſius culpa intervenerit. Non tamen illud Odium ſemper locum habet; non, quando nulla culpa intervenit, aliquando etiam non reperitur illud Odium, ubi culpa interceſſit, quia magnus ſæpe eſt Amor. Jam ſi circa alia objecta verſetur Zelotypia, ut ſi præfectus urbis Zelotypia afficiatur erga illam urbem, vel honeſta mulier erga ſuum honorem, nunquam locum habebit Odium erga rem amatam. Sic igitur à janua quia aberravit Spinoza, reliqua, quæ inde ſequuntur, meliora eſſe non poſſunt. Sic autem pergit: *Quæ* Zelotypia *proinde nihil aliud eſt, quàm animi fluctuatio orta ex Amore & Odio ſimul, concomitante idea alterius, cui invidetur.* Hæc enim ſupponunt, quod ad Zelotypiam requiratur Odium erga rem amatam. Sed quod porrò annectit admitti poteſt, in eo nempe caſu, quando cum Zelotypia junctum eſt Odium erga rem prius amatam. *Præterea hoc Odium erga rem amatam majus erit pro ratione Lætitiæ, qua Zelotypus ex reciproco rei amatæ Amore ſolebat affici, & etiam pro ratione affectus, quo erga illum, quem ſibi rem amatam jungere imaginatur, affectus erat.* Etiam admittimus ejus Demonſtrationem, quam propterea ſubjungimus: *Nam, ſi eum oderat, eo ipſo rem amatam* (per Propoſ. 24. hujus) *odio habebit, quia ipſam id, quod ipſe odio habet, Lætitia afficere imaginatur; & etiam* (per Coroll. Prop. 15. hujus) *ex eo, quòd rei amatæ imaginem imagini ejus, quem odit, jungere cogitur, quæ ratio plerumque locum habet in Amore erga fœminam; qui enim imaginatur mulierem, quam amat, alteri ſeſe proſtituere, non ſolùm ex eo, quod ipſius appetitus coërcetur, contriſtabitur; ſed etiam quia rei amatæ imaginem pudendis & excrementis alterius jungere cogitur, eandem averſatur; ad quod denique accedit, quòd Zelotypus non eodem vultu, quem res amata ei præbere ſolebat, ab eadem accipitur, qua etiam de cauſa amans contriſtatur, ut jam oſtendam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XXXVI.

Qui rei, quâ ſemel delectatus eſt, recordatur, cupit eâdem cum iiſdem potiri circumſtantiis, ac cùm primò ipſa delectatus eſt.

HÆc non vera videtur eſſe Propoſitio: potuerunt enim cum eâ junctæ fuiſſe tales circumſtantiæ, quæ diſplicebant ſed quas tamen ferebat, quia Amor aliarum circumſtantiarum prævalebat. Sic qui amat & delectatur honeſta virgine ob ſapientiam & pulchritudinem, quæ egena eſt, non cupit eadem potiri cum paupertate, quam amotam vellet. Sic de aliis.

Demonſtratio etiam non roborat illam. Nititur enim Prop. 15. III. quam ut falſam rejecimus.

Corollarium, quod hinc educit, falſum itidem eſt. *Si itaque unam ex iis circumſtantiis deficere compererit, amans contriſtabitur*, cujus falſitas tum ex annotatis ad præcedentem Propoſitionem, tùm ex iis, quæ ad 15. III. obſervata fuerunt liquet. Demonſtratio nititur Propoſit. præced. quam falſam evicimus.

Scholium ſic habet: *Hanc Triſtitiam, quatenus abſentiam ejus quod amamus, reſpicit, Deſiderium vocari.* Vidimus in Scholio Prop. 9. III. quod perperam diſtinxerit Appetitum à Voluntate, & Cupiditatem ab Appetitu: Non magis ſatisfacit deſcriptio Deſiderii, ſi illud diſtinctum velit eſſe à Cupiditate? In omni Cupiditate ſupponitur abſentia rei, quam cupimus, ſi enim eam poſſideamus non eſt, quod eam cupiamus.

PROPOSITIO XXXVII.

Cupiditas, quæ præ Triſtitia, vel Lætitia, præque Odio, vel Amore oritur, eò eſt major, quò affectus major eſt.

HÆc Propoſitio obſcura eſt, niſi Præpoſitio *Præ*, quâ hîc utitur, idem ei ſit quod *Ex*, quo ſenſu facile eam admittimus, & demonſtratio etiam hoc ſenſu ſumi nobis indicat. Nititur autem hæc Propoſitio tota hoc axiomate per ſe noto, quod, *quò cauſa eſt major etiam major ſit affectus.*

De-

Demonſtratio non rectè ſe habet. Nititur enim Schol. Prop. 11. III. & definitione illa prava Triſtitiæ, quam in ſuperioribus rejecimus.

PROPOSITIO XXXVIII.

Si quis rem amatam odio habere inceperit, ita ut Amor planè aboleatur, eandem majore odio, ex pari cauſa proſequetur, quàm ſi ipſam nunquam amaviſſet, & eò majori, quo Amor antea major fuerat.

HAnc Propoſitionem videtur confirmare experientia & interior conſcientia.

Demonſtratio verò Spinozæ hoc nunquam evincet. Nititur enim definitione illa inepta Amoris, quam ad Schol. Prop. 13. III. reprobavimus, ut & Schol. Prop. 11. III. quod rejecimus quoque.

PROPOSITIO XXXIX.

Qui aliquem Odio habet, ei malum inferre conabitur, niſi ex eo majus ſibi malum oriri timeat; & contrà, qui aliquem amat, ei eadem lege benefacere conabitur.

ADmitto hanc Propoſitionem tanquam nixam natura Odii & Amoris.

Demonſtrationem ſic inchoat: *aliquem odio habere, eſt* (per Schol. Prop. 13. hujus) *aliquem, ut Triſtitiæ cauſam imaginari,* quod quidem non improbo, non video tamen, quomodo fundetur in Scholio Prop. 13. hujus, ubi *Odium* dicit *eſſe nihil aliud, quàm Triſtitiam concomitante idea cauſæ externæ.* Hoc tamen admiſſo (ex naturâ Odii, quod pro objecto habet malum, quod omninò Triſtitiæ cauſa ut ſit, neceſſe eſt) reliqua rectè procedunt. Sic verò porrò pergit demonſtrare; *adeoque* (per Prop. 28. hujus) *is, qui aliquem odio habet, eundem amovere vel deſtruere conabitur. Sed ſi inde aliquid triſtius, ſive (quod idem eſt) majus malum ſibi timeat, idque ſe vitare poſſe credit, non inferendo ei, quem odit, malum, quod meditabatur, à malo inferendo* (per eandem Prop. 28. hujus) *abſtinere cupiet; idque* (per Prop. 37. hujus) *majore*

co-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

conatu, quàm quo tenebatur inferendi malum, qui propterea prævalebit, ut volebamus. Secundæ partis demonſtratio eodem modo procedit.

In Scholio docet, quid per Bonum & Malum hîc intelligat: *Per bonum omne genus Lætitiæ, & quicquid porro ad eandem conducit, & præcipuè id, quod deſiderio, qualecumque illud ſit ſatisfacit. Per malum autem omne Triſtitiæ genus, & præcipuè id, quod deſiderium fruſtratur.* Nos autem facilè permittimus, ut hîc ſuo ſenſu fruatur; nec negamus, quin bonum & malum hoc ſenſu queant accipi. Sed ſi hunc ſolum ſenſum putet eſſe harum vocum, quaſi nullum aliud detur bonum, præter id, quod Lætitia nos afficit, & malum, quàm id quod triſtes reddit, graviſſimè errat. Abſolutè enim loquendo datur aliud Bonum, quod idem eſt quod rectum, quod Philoſophus dicet conveniens cum recta ratione, Theologus ex Scriptura diceret conveniens cum lege divinâ; & aliud quoque datur Malum huic oppoſitum. Quod autem illud ſentiat Spinoza patet ex iis, quæ ſequuntur. Provocat ad Schol. Prop. 9. III. in quo oſtenderit, *nos nihil cupere, quia id bonum eſſe judicamus, ſed contra id bonum vocare, quod cupimus.* Sed nos ibidem illud ipſum refutavimus. Verum eſt, unumquemque ex ſuo affectu judicare, ſed inde non ſequitur, nullum dari judicium de bono abſolutè dicto. Sequitur hinc mira Timoris deſcriptio, *quòd ſit affectus, quo homo ita diſponitur, ut id, quod vult nolit, vel ut id, quod non vult, velit*; quodque *nihil aliud ſit Timor, quàm Metus, quatenus homo ab eodem diſponitur ad malum, quod futurum judicat, minore vitandum (Vid. Prop. 28. hujus)* Vidimus ſupra in Scholio II. Propoſitionis 18. III. definitionem *Metus, quod ſit inconſtans Triſtitia ex rei dubiæ imagine orta*, ejuſque defectum obſervavimus in eo conſiſtentem, quòd nulla mentio facta Deſiderii ſive Cupiditatis, quæ tamen cum Triſtitiâ hîc eſt mixta, cùm nullus poſſit eſſe metus de eo amittendo, cujus nullo deſiderio tenemur. Nunc dubium videri poteſt, an Timorem à metu hîc velit diſtinctum? Quod affirmandum cenſebit is, qui hæc inter ſe invicem comparaverit, etſi, in quo illa diſtinctio conſiſtat, difficile admodum fuerit dictu. Quomodo verò homo id quod vult non vult, & quomodo id, quod non vult, vult tamen? Quomodo homo ſæpe faciat ea, quæ non vult, & non faciat ea, quæ vult, non ita difficile eſt intelligere; non ita, quomodo, id, quod vult, nolit; niſi id ita intelligas, quòd homo hoc momento temporis velit, quod ſequenti momento non vult, & vice ver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

verſâ, quemadmodum in naufragii periculo conſtitutus nunc vult navi minanti rupturam inhærere, nunc ſe fluctibus maris vult committere, adeoque non vult in navi manere. Hæc ſi addidiſſet, facilius ipſius mens perſpecta fuiſſet. Quod autem Timorem à metu diſtinguat facit contra uſum vocabulorum, & nullâ ratione adductus. Non magis hæc diſtingui poſſunt, quàm quævis ſynonyma vocabula eandem rem ſignificantia. Ejuſmodi ſtatus hominis, quando animus diſpoſitus eſt ad malum, quod futurum judicat, minore vitandum, quoddam eſt conſequens metûs, non ipſe metus, qui ſtatus tunc demum obtinet, quando loco metûs ſucceſſit certa perſuaſio de malo imminente & nos oppreſſuro. Pergit ad definitionem Verecundiæ. *Sed ſi malum, quod timet, Pudor ſit, tum timor appellatur verecundia*, voluit forte dicere, ſi malum, quod timet, pudendum ſit ſive dignum Pudore. Nos tamen id nolumus multum morari, tantùm obſervamus, vix differentiam inter pudorem & verecundiam in his poſſe reperiri. Ex iis enim, quæ annotavimus ad Prop. 29. III. ſatis conſtare poteſt, *Pudorem eſſe Speciem triſtitiæ ſuper Amore ſui ipſius fundatam, quæ oritur ex opinione aut metu vituperii apud alios obtinendi*; at juxta mentem Spinozam malum, quod timetur in Verecundia, nullum aliud eſſe poteſt quàm Vituperium; video tamen differentiam aliam inter hæc duo declarari in explicatione defin. Pudoris XXXI. quæ ad calcem hujus III. Partis legitur. Audiamus adhuc definitionem Conſternationis. *Denique, ſi cupiditas malum futurum vitandi coërcetur timore alterius mali, ita ut quid potius velit, neſciat, tum metus vocatur conſternatio*; de quâ contendere nolumus, ſi rectè intelligatur. Hoc tantum obſervamus, vel hinc, patere, quòd voluntas debeat diſtingui ab intellectu; ſi enim homo conſternatione perculſus neſciat quid potuis velit, ergo ubi ſcit, quid potius velit, non locum habet conſternatio; adeoque aliquando homo ſcit, quid potius velit, aliquando id neſcit: Si autem id ſit voluntas quod intellectus, eaque nullo modo ſint diſtinguenda, hæ locutiones erunt æquipollentes *neſcit homo quid velit*, &, *neſcit homo quid ſciat*, item *ſcit homo quid velit* &, *ſcit homo quid ſciat*, adeoque dicendum erit, hominem qui illis utitur ſuaviter nugari.

PROPOSITIO XL.

Qui ſe odio haberi ab aliquo imaginatur, nec ſe ullam odii cauſam illi dediſſe credit, eundem odio contrà habebit.

HAnc Propoſitionem non poſſumus admittere ut univerſaliter veram. Id vel ex Demonſtratione à Spinoza adhibita poteſt patere, cùm nitatur Prop. 27. III. quæ univerſaliter vera non eſt, & Schol. Prop. 13. III. in quo prava Odii definitio traditur. Ex Corollario autem I. hoc ipſum patet, non eſſe iſtam Propoſitionem univerſaliter veram. Sic habet Corollarium I. *Qui, quem amat, odio erga ſe affectum imaginatur, odio & amore ſimul conflictabitur. Nam, quatenus imaginatur, ab eodem ſe odio habere, determinatur* (per Prop. præced.) *ad eundem contra odio habendum. At* (per hypotheſin) ipſum nihilominus amat: ergo *odio & amore ſimul conflictabitur.* Patet id etiam ex Prop. 34. IV. Demonſtratione, ubi tantum dicitur, facile fieri, ut Petrus Paulum odio habeat.

Scholium, quod adjicit ad Prop. XL. videamus. *Quòd ſi ſe juſtam odii cauſam præbuiſſe imaginatur, tum* (per Prop. 30. hujus & ejuſdem Schol.) *Pudore afficietur. Sed hoc* (per Prop. 25. hujus) *raro contingit. Præterea hæc odii reciprocatio oriri etiam poteſt ex eo, quòd odium ſequatur conatus malum inferendi ei, qui odio habetur.* (per Prop. 39. hujus) *Qui igitur ſe odio haberi ab aliquo imaginatur, eundem alicujus mali, ſive Triſtitiæ cauſam imaginabitur; atque adeo Triſtitia afficietur, ſeu metu, concomitante idea ejus, qui ipſum odio habet, tanquam cauſa, hoc eſt, odio contra afficietur, ut ſupra.* In quo quoniam nihil eſt à ratione alienum, nos illud libenter admittimus.

Corollarium II. eſt: *Si aliquis imaginatur, ab aliquo, quem antea nullo affectu proſecutus eſt, malum aliquod præ odio ſibi illatum eſſe, ſtatim idem malum eidem referre conabitur.* At hoc non univerſaliter verum eſſe videtur, quod vel ex Demonſtratione, quam Spinoza adjungit, poteſt liquere. Nititur enim illa Prop. præcedenti, quam non univerſalitèr veram eſſe obſervavimus.

In Scholio, quod huic Corollario adjungitur traditur definitio Iræ & Vindictæ. Sic illud habet: *Conatus malum inferendi ei, quem odimus, Ira vocatur; conatus autem malum nobis illatum referendi Vindicta appellatur,* de quibus nolumus cum ipſo diſputare.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XLI.

Si quis ab aliquo ſe amari imaginatur, nec ſe illam ad id cauſam dediſſe credit, (quod per Coroll. Prop. 15. & per Prop. 16. hujus ſieri poteſt) *eundem contra amabit.*

ID fieri poſſe admittimus per Prop. 16. hujus ſed Coroll. Prop. 15. obſcurum nimis eſſe antehac obſervavimus. Non videtur tamen hæc Prop. XLI. eſſe univerſalis, præſertim cùm demonſtrari illam velit eadem demonſtratione, quâ præcedentem, quam ut vitioſam rejecimus.

In Scholio nihil reperimus, cui ſubſcribere non poſſimus. *Quòd ſi ſe juſtam*, inquit, *Amoris cauſam præbuiſſe crediderit, gloriabitur* (per Prop. 30. hujus cum ejuſdem Scholio) *quod quidem* (per Prop. 25. hujus) *frequentius contingit, & cujus contrarium evenire diximus, quando aliquis ab aliquo ſe odio haberi imaginatur (vide Schol. Prop. præced.)* His adjungit definitionem Gratitudinis. *Porrò hic reciprocus Amor, & conſequenter* (per Prop. 39. hujus) *conatus benefaciendi ei, qui nos amat, quique* (per eandem Prop. 39. hujus) *nobis benefacere conatur, Gratia, ſeu Gratitudo vocatur; atque adeo apparet, homines longè paratiores eſſe ad vindictam, quàm ad referendum beneficium.* Nos illam definitionem Gratitudinis libenter admittimus; quòd *autem homines longè paratiores ſint ad vindictam, quàm ad referendum beneficium*, experientiam teſtari videmus; cauſam hujus rei puto eſſe, quod non tàm facile credant, ſe cauſam odii alteri dediſſe, quàm ſe dediſſe cauſam Amoris.

Corollarium ſubjungit: *Qui ab eo, quem odio habet, ſe amari imaginatur, odio & Amore ſimul conflictabitur. Quod eadem via, qua primum præcedentis Corollarii demonſtratur*: Cui nolumus refragari, uti nec Scholio. *Quòd ſi odium prævaluerit, ei, à quo amatur, malum inferre conabitur, qui quidem affectus Crudelitas appellatur, præcipuè, ſi illum qui amat nullam odii communem cauſam præbuiſſe creditur.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XLII.

Qui in aliquem, Amore, aut ſpe Gloriæ motus, beneficium contulit, contriſtabitur, ſi viderit, beneficium ingrato animo accipi.

FAcile huic Propoſitioni ſubſcribimus, neque repugnamus demonſtrationi Spinozæ, quam legere poteſt, qui voluerit. Res hæc tamen ſine illa demonſtratione poteſt patere, modo attendatur, quòd is, qui amat alterum cupiat redamari : Cui ſuo deſiderio ſi non ſatisfiat, non poteſt id ipſi ingratum accidere, adeoque Triſtitiam in ipſo excitare.

PROPOSITIO XLIII.

Odium reciproco Odio augetur, & Amore contra deteri poteſt.

SUpponit iſta Propoſitio, quod is, qui Odio habet aliquem, ab altero tamen poſſit amari, quod oſtendit, Propoſitionem IV. non eſſe univerſaliter veram, quod is; *qui ſe Odio haberi ab aliquo imaginatur, nec ſe ullam Odii cauſam illi dediſſe credit, eundem Odio contra eſt habiturus.*

Prima autem hujus Propoſitionis pars admitti poteſt, ſi intelligatur, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ut plurimum ſe rem ita habere, ſed non tamen pro univerſaliter verâ haberi poteſt. Quod & ex Demonſtratione patet. Nititur enim illa Prop. 40. III. quam non eſſe univerſaliter veram, obſervavimus. Alteram partem admittimus libenter, eamque evidentem eſſe ex natura iſtorum affectuum putamus. Sed Demonſtrationi ſubſcribere non poſſumus, cùm nitatur inter alia Prop. 40. quam rejecimus, & quæ quoque contraria potius eſt huic Propoſitioni. Sic inquit ille: *Si quis alterum amore erga ſe affectum eſſe imaginetur, quatenus hoc imaginatur, eatenus* (per Prop. 30. hujus) *ſe ipſum cum Lætitia contemplatur, & eatenus* (per Prop. 29. hujus,) *eidem placere conabitur, hoc eſt* (per Prop. 40. hujus) *eatenus conatur ipſum odio non habere, nullaque Triſtitia afficere.* Sic citat quidem Prop. 40. ſed ita, ut non niſi per conſequentiam hoc, quod dicit, ex ea debeat elicere. Qui ſe Odio haberi ab altero imaginatur, nec iſtius Odii

cau-

cauſam ſe dediſe credit, ille eundem contra Odio habebit. E. ſi ſe imaginetur ab altero amari quem Odio habet, eundem conatur Odio non habere. At hic non eſt mos Demonſtrationum Mathematicarum, ſed debent αὐτολεξεὶ haberi in Propoſitionibus quæ pro fundamentis adducuntur. Nec iſta conſequentia adeo firma eſſe videtur: Quid ſi enim is, qui ſemel Odio habuit, vel hoc ipſo pergat Odio habere? Quid ſi, prout habet Corollarium Prop. 41. III. Odio & Amore ſimul conflictetur? Quid ſi prævaleat Odium & ſit crudelis, uti in eodem Corollario dicitur? Non ergo certa eſt hæc conſequentia, imò contrarium hoc eſt planè Corollario iſti, & manifeſtè convincitur, Spinozam ſibi ipſi contradicere.

PROPOSITIO XLIV.

Odium, quod Amore planè vincitur, in Amorem tranſit; & Amor propterea major eſt, quàm, ſi Odium non præceſſiſſet.

PRior Pars hujus Propoſitionis evidens eſt ex ipſis terminis; alteram partem quoque facile admittimus, quòd hoc in caſu ſentiat is, qui Odio habuit, nihil eſſe in altero Odio dignum, ſed è contrario omnia, quæ Amorem mereantur, & quòd tantò magis de eo perſuadeatur, quod expertus fuerit, illum amâſſe etiam tunc, quando ipſe Odio habebat. Sic carere poſſumus Demonſtratione Spinoza, quæ propterea redditur vitioſa, quia in ſuppetias ſumit definitionem Amoris ex Schol. Prop. 13. III. quam nos rejecimus.

Scholio verò libenter ſubſcribimus, quod propterea quoque his ſubjungi dignum æſtimamus. *Quamvis res ita ſe habeat, nemo tamen conabitur rem aliquam odio habere, vel Triſtitia affici, ut majori hâc Lætitiâ fruatur, hoc eſt, nemo ſpe damnum recuperandi, damnum ſibi inferri cupiet, nec ægrotare deſiderabit ſpe convaleſcendi. Nam unuſquiſque ſuum eſſe conſervare, & Triſtitiam, quantum poteſt, amovere ſemper conabitur. Quod ſi contra concipi poſſet hominem poſſe cupere aliquem Odio habere, ut eum poſtea majori amore proſequatur, tum eundem Odio habere ſemper deſiderabit. Nam quo Odium majus fuerit, eò Amor erit major, atque adeò deſiderabit ſemper, ut Odium magis magisque augeatur, & eâdem de causâ homo magis ac magis ægrotare conabitur, ut majori Lætitia ex reſtauranda*

valetudine poſtea fruatur; atque adeo ſemper ægrotare conabitur, *quod* (per Prop. hujus) *eſt abſurdum.*

PROPOSITIO XLV.

Si quis aliquem ſibi ſimilem Odio in rem ſibi ſimilem, quam amat; affectum eſſe imaginatur, eum Odio habebit.

HÆc Propoſitio iterum non videtur eſſe univerſaliter vera, cum poſſit fieri, ut lætetur, ſe ſic hâc re ſolum potiturum, propter Odium alterius, quod ipſum quoque Amorem erga illum poteſt excitare. Demonſtratio Spinozæ nititur Prop. 40. III. quæ non eſt univerſaliter vera, & Scholio Prop. 13. III. quod jam ſupra rejecimus, unde his fragilibus fulcris fundata neceſſariò corruere debet.

PROPOSITIO XLVI.

Si quis ab aliquo cujuſdam claſſis, ſive nationis à ſua diverſæ, Lætitia vel Triſtitia affectus fuerit, concomitante ejus idea, ſub nomine univerſali claſſis, vel nationis, tanquam cauſa; is non tantùm illum, ſed omnes ejusdem claſſis, vel nationis amabit, vel odio habebit. Hujus rei demonſtratio patet ex Prop. 16. hujus Partis.

NOs eam admittimus & ejus fundamentum Prop. 16. hujus Partis, uti ſupra viſum.

PROPOSITIO XLVII.

Lætitia, quæ ex eo oritur, quòd ſcilicet rem, quam odimus, deſtrui, aut alio malo affici imaginamur, non oritur abſque ulla animi Triſtitia.

HAnc quoque ut veram admittimus cum demonſtratione ex Prop. 27. hujus, quatenus ordinariè ita fieri concedimus, ut, quatenus rem nobis ſimilem Triſtitiâ affici imaginamur, eâtenus contriſtemur. Alteram demonſtrationem, quam in Scholio adjungit, tanquam magis intricatam nos ſuo loco relinquimus.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO XLVIII.

Amor & odium ex. gr. erga Petrum deſtruitur, ſi Triſtitia, quam hoc, & Lætitia, quam ille involvit, ideæ alterius cauſæ jungatur; & eatenus uterque diminuitur, quatenus imaginamur, Petrum non ſolum alterutius fuiſſe cauſam.

HUic quoque Propoſitioni nolumus contradicere, modo loco verbi *involvit* ponatur verbum *conſequitur*: ſic enim putamus, ex Amore ſequi Lætitiam & ex Odio ſequi Triſtitiam. Ita etiam correctam demonſtrationem admittimus. Scholium enim Prop. 13. III. in quo Amor cum Lætitia confunditur, nullo modo concedere poſſumus.

PROPOSITIO XLIX.

Amor & Odium erga rem, quam liberam eſſe imaginamur, major ex pari cauſa uterque debet eſſe, quam erga neceſſariam.

ASſentimur huic Propoſitioni, quia, quam rem liberam eſſe imaginamur, eam percipimus ut cauſam, quæ ſuo merito Amorem vel Odium poteſt ſibi conciliare. Nec indigemus Spinozæ demonſtratione, quæ iterum nititur illa confuſione conſueta Amoris cum Lætitia & Odii cum Triſtitia, quam ad Schol. Prop. 13. III. notavimus.

In Scholio habet: *Hinc ſequitur, homines, quia ſe liberos eſſe exiſtimant majore Amore, vel odio ſe invicem proſequi, quam alia*; quod facile concedimus.

PROPOSITIO L.

Res quæcumque poteſt eſſe per accidens ſpei aut metûs cauſa.

OBſcura eſt hæc Propoſitio & fortè falſa quemadmodum & obſervavimus ad Prop. 15. III. ad cujus demonſtrationem nos ablegat, quam tamen ibidem falſitatis convicimus.

Scho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Scholium melius longè ſe habet, quod conſideremus. *Res*, inquit, *quæ per accidens ſpei aut metus ſunt cauſæ, bona aut mala omina vocantur.* Ego tamen exiſtimo, non tantùm illas res, quæ per accidens ſpei aut metus ſunt cauſæ, poſſe vocari bona aut mala omina, ſed etiam eas, quæ ſunt cauſæ per ſe. Pergit: *Deinde, quatenus hæc eadem omina ſunt ſpei aut metus cauſa, eatenus* (per Defin. ſpei & metus, quam vid. in Schol. 2. Prop. 18. hujus) *Lætitiæ aut Triſtitiæ ſunt cauſa, & conſequentèr* (per Coroll. Prop. 15. hujus) *eatenus eadem amamus vel odio habemus, &* (per Prop. 28. hujus) *tanquam media ad ea, quæ ſperamus, adhibere, vel tanquam obſtacula, aut metus cauſas amovere conamur.* In quibus admittendis nullam equidem videmus difficultatem, quamvis non aſſentiamur Corollario Prop. 15. III. cùm illud obſcurum admodum eſſe obſervavimus. Poſt hæc ſequitur: *Præterea ex Prop. 25. hujus ſequitur nos naturâ ita eſſe conſtitutos, ut ea, quæ ſperamus facilè, quæ autem timemus difficile credamus, & ut de iis plus minuſve juſto ſentiamus. Atque ex his ortæ ſunt ſuperſtitiones, quibus homines ubique conflictantur. Cæterum non puto operæ eſſe pretium, animi hìc oſtendere fluctuationes, quæ ex ſpe & Metu oriuntur; quandoquidem ex ſolâ horum affectuum definitione ſequitur, non dari ſpem ſine metu, neque metum ſine ſpe; (ut fuſius ſuo loco explicabimus) & præterea quandoquidem quâtenus aliquid ſperamus, aut metuimus, eâtenus idem amamus, vel odio habemus; atque adeo quicquid de Amore & Odio diximus, facile unusquisque ſpei & metui applicare poterit.* In quibus nihil reperimus, quod jure improbare poſſimus.

PROPOSITIO LI.

Diverſi homines ab uno eodemque objecto diverſimodè affici poſſunt, & unus idemque homo ab uno eodemque objecto poteſt diverſis temporibus diverſimodè affici.

Hac Propoſitione nihil verius, neque ea aliâ demonſtratione indiget, quam propriâ uniuſcujuſque conſcientiâ, in quam etiam demonſtratio Spinozæ ultimò debet reſolvi, uti videre licet apud ipſum. Unde tamen magnum præjudicium creatur iis quæ in antecedentibus de affectuum inter ſe invicem connexione, & de conſequentibus affectuum conatus eſt ſtabilire.

Scholium continet quædam conſectaria, quæ ex hâc Propoſitione ſequuntur. In primo id, quod in genere dictum eſt in Propoſitione,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tione, ad particulares quoſdam affectus applicatur; *fieri nempe poſſe, ut quod hic amat alter odio habeat, & ut unus, quod antea amavit, poſtea odio habeat &c.* Alterum conſectarium eſt, *quia unuſquiſque ex ſuo affectu judicat, quid bonum, quid malum, quid melius, & quid pejus ſit*, (vide Schol. Prop. 39. hujus) *ſequitur, homines tam judicio, quam affectu variare poſſe* (ubi in adjectâ annotatione obſervat, *poſſe hoc fieri, tametſi mens humana pars divini eſſet intellectus, uti oſtenderit in Schol. Prop.* 17. *II.* quod falſiſſimum eſt, neque in Scholio Prop. 17. II. ulla mentio facta eſt mentis humanæ tanquam partis divini intellectus, quod quoque contradictorium eſſe alibi oſtendimus & cum divinâ & infinitâ perfectione planè pugnare) *& hinc fit, ut alios cùm aliis comparamus, ex ſola affectuum differentia à nobis diſtinguantur, & ut alios intrepidos, alios timidos, alios denique, alio nomine appellemus*, quod exemplis declarat; *Ex gr. illum ego intrepidum vocabo, qui malum contemnit, quod ego timere ſoleo & ſi præterea ad hoc attendam, quod ejus cupiditas malum inferendi ei quem odit, & beneſaciendi ei, quem amat, non coërcetur timore mali à quo ego contineri ſoleo, ipſum audacem appellabo. Deinde ille mihi timidus videbitur qui malum timet, quod ego contemnere ſoleo, & ſi inſuper ad hoc attendam quod ejus cupiditas coërcetur timore mali, quod me continere nequit, ipſum puſillanimem eſſe dicam, & ſic unuſquisque judicabit.* Quæ omnia ſano ſenſu admittimus, modò hoc eo uſque non extendatur, quò procul dubio tendit Spinoza, quaſi nulla eſſet abſoluta natura vel Fortitudinis, vel alterius alicujus virtutis, & quaſi Bonum & Malum in merâ tantùm relatione conſiſtat; quod pernicioſum admodum eſt dogma & omnium ſcelerum fons & origo. Eſt procul dubio aliquod abſolutè Bonum & Malum, eſt diſcrimen turpis & honeſti omnium mentibus naturâ inditum, quod ex naturâ Dei, hominis & ſocietatis humanæ ſponte fluit. Eſt Debitum, eſt Officium aliquod omnem hominem obligans; quod ſi præſtet, Bonum, ſi omittat, Malum feciſſe eſt cenſendus. Decet hominem voluntate ſe jungere cum Deo, cum re ſummè perfectâ, cum illis quæ cum divinâ illâ perfectione conveniunt, quæ ei ſunt conformia; huic Decentiæ ſi reſpondeat, Bonum, ſi ab eâ deviet, Malum perpetraſſe dicetur. Tertium conſectarium eſt: *Denique ex hac hominis natura & judicii inconſtantia, ut &, quod homo ſæpe ex ſolo affectu de rebus judicat, & quòd res, quas ad Lætitiam vel Triſtitiam facere credit, quasque propterea* (per Prop. 28. hujus) *ut*

 fiant,

fiant, promovere, vel amovere conatur, ſæpe non niſi imaginariæ ſint, ut jam taceam alia, quæ in 2. parte oſtendimus, de rerum incertitudine, facile concipimus, hominem poſſe ſæpe in cauſâ eſſe, tam ut contriſtetur, quàm ut lætetur, ſive ut tam Triſtitiâ, quam Lætitiâ afficiatur, concomitante idea ſui, tanquam cauſa; quibus faciles quoque aſſentimur; non tamen ita illis quæ hinc educit, dum inquit: *Atque adeo facilè intelligimus, quid Pœnitentia, & quid Acquieſcentia in ſe ipſa ſit; nempe* Pœnitentia eſt Triſtitia, concomitante ideâ ſui, & Acquieſcentia in ſe ipſa eſt Lætitia, concomitante ideâ ſui, tanquam cauſa, *& hi affectus vehementiſſimi ſunt, quia homines, ſe liberos eſſe credunt. (Vid. Prop. 49. hujus.)*

Nec enim illa conveniunt cum iis, quæ in Scholio Prop. 30. de pœnitentia & acquieſcentiâ habet. Ibi enim *Acquieſcentiam* dicit. *Lætitiam concomitante ideâ cauſæ externæ*, hîc vero, *concomitante ideâ ſui, tanquam cauſa*, & *pœnitentiam ibi* vocat *Triſtitiam concomitante ideâ cauſæ externæ*, cum hîc dicat, *concomitante ideâ ſui*; & longè clarius & melius natura Acquieſcentiæ & Pœnitentiæ ex Carteſio intelligitur, quàm ex hoc Auctore, uti ad Schol. Prop. 30. III. annotavimus.

PROPOSITIO LII.

Objectum, quod ſimul cum aliis antea vidimus, vel quod nihil habere imaginamur, niſi quod commune eſt pluribus, non tamdiu contemplabimur ac illud, quod aliquid ſingulare habere imaginamur.

ITa ordinariè fieri ſolere docet experientia, unde non poſſumus huic propoſitioni refragari. Demonſtratio quoque rem iſtam commodè & clarè explicat, quam Lector videre poteſt apud Spinozam.

In Scholio occurrit primùm definitio *Admirationis*, quam dicit, *eſſe mentis affectionem, ſive rei ſingularis imaginationem, quatenus ſola in mente verſatur*; quæ ejus naturam non ita clarè exprimit ac definitio Carteſii de Paſſionibus art. 53. *Quamprimùm nobis occurrit aliquod inſolitum objectum, & quod novum eſſe judicamus, aut valdè differens ab eo, quod antea noveramus vel ſupponebamus eſſe debere, id efficit, ut illud admiremur & eo percellamur*, quæ qui conferat inter ſe invicem, quantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tum hæc præ illâ præſtet facile animadvertet. Admiratio non eſt imaginatio, quia poſſumus etiam admirari ea, quæ non imaginamur, uti res ſpirituales & divinas, quamvìs ſi circa res corporeas verſetur poſſit eſſe cum imaginatione conjuncta. Nec quòd ſingulare ſit objectum, ſed quod ſit novum facit ut illud admiremur; quod communi hominum confirmatur conſenſu, qui ea demum agnoſcunt Admirationis objecta, quorum cauſas ignoramus; neque propterea fit Admiratio, ſi ſola in mente res illa ſingularis verſetur; res ſingularis ſola in mente verſari ſæpius ſolita ſi cognita ſit nobis, & cujus cauſas novimus, eam non poſſumus dici *Admirari*. Melior eſt definitio Conſternationis, quæ ſequitur; quæ dicitur: *Admiratio mota ab Objecto, quod timemus: quia mali Admiratio hominem ſuſpenſum in ſola ſui contemplatione ita tenet, ut de aliis cogitare non valeat, quibus illud malum vitare poßet.* Nec rejicimus Venerationis definitionem, quam conſiderat ut ſpeciem Admirationis, *ſi putà id quod admiramur ſit hominis alicujus prudentia, induſtria, vel, aliud quid hujusmodi, quia eo ipſo hominem nobis lõngè antecellere contemplamur*; quod ita exprimit Cart. art. 55. *Si objecta conſideremus ut liberas cauſas capaces benè vel male agendi.* Hinc è contrariò agnoſcitur *Horroris* natura, quam non malè in eo ponit, *ſi hominis iram, invidiam &c. admiramur*, quamvìs Carteſius nomine *Horroris* intelligat ſpeciem *Odii*, *quâtenus refertur ad deformia* art. 85. De devotione ita ſentit: *Si hominis, quem amamus, prudentiam, induſtriam &c. admiramur, Amor eo ipſo* (per Prop. 12. hujus) *major erit, & hunc Amorem Admirationi ſive Venerationi junctum Devotionem vocamus.* Ubi Prop. 12. utitur in bono ſenſu, in quo illam admiſimus, unde & nolumus admodum refragari huic Devotionis deſcriptioni, quamvis clarius ejus naturam videatur exprimere Carteſius art. 162. *quod Amore & Devotione proſequimur potius, quàm ſimplici Veneratione eos, à quibus nil niſi bonum exſpectamus.* Benè autem obſervat Spinoza: *ad hunc modum nos concipere etiam poße, Odium, Spem, Securitatem, & alios Affectus Admirationis junctos; atque adeo plures affectus deducere nos poſſe, quàm qui receptis vocabulis indicari ſolent. Unde apparet, Affectuum nomina inventa eſſe magis ex eorum vulgari uſu, quàm ex eorundem accurata cognitione.* Poſt hæc ſequitur Contemtus deſcriptio, quam omninò approbamus: *Admirationi*, inquit, *opponitur Contemtus, cujus tamen cauſa hæc plerumque eſt, quòd ſcil. ex eo, quòd aliquem rem aliquam admirari, amare, metuere &c. videmus, vel ex eo, quod res aliqua*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

qua primo aſpectu apparet ſimilis rebus, quas admiramur, amamus, metuimus &c. (per Prop. 15. cum ejus Coroll. & Prop. 27. hujus) *determinamur ad eandem rem admirandum, amandum, metuendum &c. Sed ſi ex ipſius rei præſentiâ, vel accuratiore contemplatione, id omne de eâdem negare cogamur, quod cauſa Admirationis, Amoris, Metus &c. eſſe poteſt, tum Mens ex ipſa rei præſentia magis ad ea cogitandum, quæ in objecto non ſunt, quam quæ in ipſo ſunt, determinata manet; cùm tamen contrà ex objecti præſentia id præcipuè cogitare ſoleat, quod in objecto eſt*; quæ fatemur melius & plenius declarare Contemtus naturam, quàm factum à Carteſio art. 149. Virtus enim etiam in hoſte laudanda eſt. Etiam reliqua, quæ ſequuntur, facile à nobis poſſunt admitti: *Porrò*, inquit, *ſicut Devotio ex rei, quam amamus Admiratione, ſic Irriſio ex rei, quam odimus, vel metuimus Contemtu oritur, & Dedignatio ex ſtultitiæ Contemtu, ſicuti Veneratio ex admiratione prudentiæ*, quamvis hic non omne dixerit de Irriſione, quod dici debuit, quodque à Carteſio eſt obſervatum art. 178. ubi *Irriſionem* dicit *ſpeciem Lætitiæ mixtæ cum Odio, quæ inde oritur, quòd deprehendatur leve aliquod malum in perſona, quæ eo digna putatur: Odio habetur illud malum & gaudetur in illo requiri, qui eo dignus eſt.* Tandem concludit: *Poſſumus denique Amorem, Spem, Gloriam & alios Affectus junctos Contemtui concipere, atque inde alios præterea Affectus deducere, quos etiam nullo ſingulari vocabulo ab aliis diſtinguere ſolemus*; quibus nemo cum ratione contradicere poteſt.

PROPOSITIO LIII.

Cùm Mens ſe ipſam ſuamque agendi potentiam contemplatur, lætatur; & eò magis, quo ſe ſuamque agendi potentiam diſtinctius imaginatur.

HUic Propoſitioni non repugnamus, quæ evidentia ſua ſatis ſe tuetur, ſed demonſtratio nititur Prop. 23. II. & Prop. 11. III. quas ut falſas rejecimus.

Corollarium eſt: *Hæc Lætitia magis magisque fovetur, quò magis homo ſe ab aliis laudari imaginatur*; quod ordinariè ſic fieri ſolere docet experieutia. Neque repugnamus demonſtrationi. *Nam quò magis ſe ab aliis laudari imaginatur eò majori Lætitia alios ab ipſo affici imaginatur,*

tur, idque concomitante ideà ſui (per Schol. Prop. 29. hujus) *atque adeò* (per Propoſ. 27. hujus) *ipſe majore Lætitia, concomitante idea ſui, afficitur.*

PROPOSITIO LIV.

Mens ea tantùm imaginari conatur, quæ ipſius agendi potentiam ponunt.

ADmittimus & hanc Propoſitionem unà cum ejus demonſtratione, quam hic adjungimus. *Mentis conatus, ſive potentia eſt ipſa ipſius Mentis eſſentia,* (per Prop. 7. hujus) *mentis autem eſſentia,* (ut per ſe notum) *id tantum, quod mens eſt, & poteſt, affirmat; at non id, quod non eſt, neque poteſt; adeoque id tantum imaginari conatur, quod ipſius agendi potentiam affirmat, ſive ponit.*

PROPOSITIO LV.

Cùm mens ſuam impotentiam imaginatur, eo ipſo contriſtatur.

HÆc quoque propoſitio facile conceditur; neque improbamus demonſtrationem, quam videre poteſt apud Spinozam, qui voluerit.

Corollarium eſt : *Hæc Triſtitia magis fovetur, ſi ſe ab aliis vituperari imaginatur, quod eodem modo demonſtratur, ac Coroll. Prop. 53. hujus.*

In Scholio occurrit primùm definitio *Humilitatis, quòd ſit Triſtitia concomitante idea noſtræ imbecillitatis;* cui non repugnamus, quamvis manca ſit & mutila, quod facilè apparebit, ſi quis conferre voluerit ea, quæ habet des Cartes art. 55. Dein *Philautiam vel Acquieſcentiam in ſe ipſo* definit, *quòd ſit Lætitia, quæ ex contemplatione noſtri oritur,* quam definitionem facile agnoſcimus. Hinc colligit : *Et quoniam hæc toties repetitur, quoties homo ſuas virtutes; ſive ſuam agendi potentiam contemplatur, hinc ergo etiam fit, ut unusquisque ſua facta narrare, ſicque tam corporis, quàm animi vires oſtentare geſtiat, & ut homines hac de cauſa ſibi invicem moleſti ſunt;* quod etiam concedimus. Hinc autem aliud adhuc conatur conficere : *Ex quibus iterum ſequitur, homines natura eſſe invidos,* (vid. Schol. Prop. 24. & Schol. Prop. 32. hujus) *ſive ob ſuorum æqualium imbecillitatem gaudere, & contrà propter eorundem virtutem contriſtari. Nam quoties unusquisque ſuas actiones imagina*

 tur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tur, *toties Lætitiâ* (per Prop. 53. hujus) *afficitur & eò majore*, *quò actiones plus perfectionis exprimere*, *& eaſdem diſtinctius imaginatur*, *hoc eſt*, (per illa, quæ in Schol. 1. Prop. 40. p. 2. dicta ſunt) *quò magis eaſdem ab aliis diſtinguere*, *& ut res ſingulares contemplari poteſt. Quare unusquisque ex contemplatione ſui tunc maximè gaudebit*, *quando aliquid in ſe contemplatur*, *quod de reliquis negat.* Cujus ſequelæ fundamenta ſi ritè examinemus, videbimus ex Schol. Prop. 32. *plerumque ſolere fieri*, *ut homines*, *quibus benè eſt*, *invideant* : non poteſt ergo hinc formari univerſalis concluſio, *homines natura eſſe invidos.* Quod enim natura eſt in hominibus, id *ſemper* in iis eſt, non *plerumque* tantùm. Neque id conficitur ex dictis in Scholio I. Prop. 40. II. Fatemur, *unumquemque ex contemplatione ſui tunc maximè gaudere*, *quando aliquid in ſe contemplatur*, *quod de reliquis negat*; ſed inde non ſequitur, eum contriſtari propter æqualium virtutem. Poteſt enim Triſtitia procedere ex contemplatione ſuæ imbecillitatis tantum, ut etiam lætetur, alios habere, quod ſibi deeſſe videtur, quia ſic habeat exemplar, quod imitari poſſit. Aliud adhuc eſt, quod inferre conatur : *Sed ſi id*, *quod de ſe affirmat*, *ad univerſalem hominis*, *vel animalis ideam refert*, *non tantopere gaudebit*; *& contrà contriſtabitur*, *ſi ſuas*, *ad aliorum actiones comparatas*, *imbecilliores eſſe imaginetur*, *quam quidem Triſtitiam* (per Prop. 28. hujus) *amovere conabitur*, *idque ſuorum æqualium actiones perperam interpretando*, *vel ſuas*, *quantum poteſt*, *adornando. Apparet igitur*, *homines natura proclives eſſe ad Odium*, *& Invidiam*, *ad quam accedit ipſa educatio. Nam parentes ſolo honoris & Invidiæ ſtimulo liberos ad virtutem concitare ſolent.* Verùm enim verò hoc non docet natura, *ut æqualium actiones perperam interpretetur*, *vel ſuas præter verum adornet*, ſed hoc ortum habet ex naturæ deviatione & depravatione. Non ergo ſequitur, *homines natura proclives eſſe ad Odium & Invidiam*, ſi per naturam intelligas principia naturalia & poſitiva, quæ homini à Deo ſunt collata, quamvis hoc eo ſenſu poſſimus admittere, quatenus per naturam intelligitur ſtatus omnium hominum, qualis eſt poſt lapſum, quo fit, ut omnes, quotquot ſumus, concipiamur & naſcamur in peccatis, quæ *Natura corrupta* ſolet appellari, quo ſenſu Spinozam hæc non accepiſſe, qui naturæ corruptionem per lapſum Adami plane negavit, omnino eſt manifeſtum. Multum ad hoc malum promovendum & augendum facere pravam parentum educationem non diffitemur; ſed hoc ipſum non natu-

naturæ prout à Deo eſt conſtituta & facta, ſed prout per lapſum Adami eſt corrupta, acceptum ferri debet.

In ſequentibus vult amovere hunc ſcrupulum, *quod non rarò hominum virtutes admiremur, eoſque veneremur*, adeoque quod non ſemper hominibus invideamus, quod conatur facere ſequenti Corollario: *Nemo virtutem alicui, niſi æquali, invidet.* Sed hoc Corollarium ſupponit, quòd virtutem hominibus natura invideamus, quod verum non eſt. Rectè è contrario exiſtimat Carteſius art. 182. *Invidiam eſſe vitium ſitum in perverſitate indolis, quâ fit, ut quidam doleant de bono, quod evenire vident aliis hominibus.* Nec putat, *ullam Invidiam juſtam eſſe poſſe, niſi eam, quæ pro Objecto habet bona fortunæ*, idque ita demum, *ſi illi, quibus obtingunt, iis cenſeantur indigni.* Videat Lector etiam art. 183. quæ ſi conferat cum illis, quæ hîc à Spiuoza citra ullam rationem dicuntur, facilè deprehendet, cujuſnam dicta cum ratione magis concordent. Videamus tamen ex abundanti, quomodo Spinoza hoc ſuum Corollarium demonſtret. Fundat illud primùm ſuper Scholio Prop. 24. III. ad quod nos obſervavimus, illum Invidiam cum Ἐπιχαιρεκακία perperam confundere. Sed tranſeat illud. Alterum fundamentem eſt Schol. Prop. 13. III. quod illam pravam definitionem Odii comprehendit, jam diverſis vicibus reprehenſam, quod Odium ſit Triſtitia. Tertium eſt Scholium Prop. 11. III. quod etiam antehâc falſitatis convicimus. Attamen ex his omnibus, conjunctis cum Scholio Prop. 9. III. nihil aliud educit, quàm hoc ſolum, *quòd homo contriſtari nequeat ex eo, quòd aliquam virtutem in aliquo ipſi diſſimili contempletur, & conſequenter neque ei invidere poſſit*; quod concedimus. Quod verò ſubjungit, addit citra ullam probationem: *At quidem ſuo æquali* invidere poteſt, *qui cum ipſo ejusdem naturæ ſupponitur*, quod tamen totum erat, quod hic probandum ſuſceperat; unde in manifeſta petitione principii hîc deprehenditur.

Scholium melius ſe habet: *Cùm igitur ſupra in Schol. Prop. 25. hujus Partis dixerimus, nos hominem venerari ex eo, quòd ipſius prudentiam, fortitudinem &c. admiramur, id fit*, (ut ex ipſa Propoſ. patet) *quia has virtutes ei ſingulariter ineſſe, & non ut noſtræ naturæ communes imaginamur, adeoque easdem ipſi non magis invidebimus, quàm arboribus altitudinem, & leonibus fortitudinem &c.* Sed hinc tamen non poteſt deduci, quòd virtutes iſtas naturâ invideamus nobis æqualibus; quod enim vitio indolis humanæ fieri jam antea obſervavimus, perperam ad naturam ipſam refertur.

PRO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROPOSITIO LVI.

Lætitiæ, Triſtitiæ & Cupiditatis, & conſequenter uniuscujuſque affectus, qui ex his componitur, ut animi fluctuationis, vel qui ab his derivatur, nempe Amoris, Odii, Spei, Metus &c. tot ſpecies dantur, quod ſunt ſpecies Objectorum, à quibus afficimur.

AD aſſentiendum huic Propoſitioni nolumus eſſe difficiles, cùm res iſta ſatis videatur eſſe evidens: Modo hoc obſervetur quoque, majorem tamen eſſe differentiam, inter Amorem & Odium verbi gr. quàm inter diverſas Amoris & Odii ſpecies, cum illi totâ ratione formali differant, ſpecies verò Amoris &c. conveniant in ratione formali Amoris &c. ſed tantùm differant, quatenus diverſa relatione ad diverſum Objectum, aliquo modo variatur. Quòd hîc ſupponit, Amorem, Odium &c. derivari à Lætitia & Triſtitia &c. nunc præterimus, quia alias refutavimus.

Demonſtrationem etiam non planè improbamus, quamvis improbemus Prop. 3. III. quam ſuo loco falſitatis convicimus, nec non Schol. Prop. 40. II. quaſi neceſſariò patiamur, quando imaginamur, cùm poſſimus etiam voluntate nos ad imaginandum determinare. Videntur tamen hæc à Demonſtratione iſta poſſe reſecari, ſalvâ illa manente. Hoc tantùm illi Demonſtrationi præmittamus: *Affectus noſtri ſunt paſſiones quædam Animi excitati à ſpirituum motu certo in corpore noſtro, qui ab Objectis variis in corpus noſtrum agentibus certo quodam modo determinatur & dependet*, quod à nemine in dubium revocari poſſe puto, qui naturam & conſtitutionem noſtri corporis non ignorat. His jam ſubjungamus reliqua ex Spinoza: *Natura igitur uniuscujusque Paſſionis ita neceßariò debet explicari, ut objecti, à quo afficimur, natura exprimatur. Nempe Lætitia, quæ ex objecto, ex. gr. A. oritur, naturam ipſius objecti A, & Lætitia, quæ ex objecto B oritur, ipſius objecti B naturam involvit; atque adeo hi duo Lætitiæ affectus naturâ ſunt diverſi, quia ex cauſis diverſæ naturæ oriuntur. Sic etiam Triſtitiæ affectus, qui ex uno objecto oritur, diverſus natura eſt à Triſtitia, quæ ab alia cauſa oritur; quod etiam de Amore, Odio, Spe, Metu, animi fluctuatione &c. intelligendum eſt: Ac proinde Lætitiæ, Amoris, Odii &c. tot ſpecies neceßariò dantur, quot ſunt ſpecies objectorum, à quibus afficimur.*

Hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Hæc omnia ritè ſe habere agnoſcimus. Quod ſequitur de *Cupiditate* reſecandum iterum eſt, nimirum, quòd *Cupiditas ſit ipſa uniuscujusque eſſentia ſeu natura, quatenus ex data quacumque ejus conſtitutione determinata concipitur ad aliquid agendum*, quod derivat ex Schol. Prop. 9. III. in quo Scholio nos varia falſa deprehendimus. Neque verò opus eſt, ut particularis demonſtratio de cupiditate hîc inſtituatur, cùm Cupiditas tanquam ſpecialis affectus facile ſub illis, quæ in genere de Paſſionibus ſtatim dicebantur, queat comprehendi.

Examinemus Scholium huic Propoſitioni adjectum. *Inter affectuum ſpecies*, inquit, *quæ* (per Prop. præced.) *perplurimæ eſſe debent, inſignes ſunt Luxuria, Ebrietas, Libido, Avaritia, & Ambitio, quæ non niſi Amoris vel Cupiditatis ſunt notiones; quæ hujus utriusque affectus naturam explicant per objecta, ad quæ referuntur. Nam per Luxuriam, Ebrietatem, Libidinem Avaritiam & Ambitionem nihil aliud intelligimus, quàm convivandi, potandi, coëundi, divitiarum, & gloriæ immoderatum Amorem vel Cupiditatem.* Hîc confundit Luxuriam &c. cum ipſa Cupiditate edendi &c. prout cuilibet manifeſtum, & ipſe quoque ſatis indicat Spinoza, dum dicit, ea eſſe immoderatum Amorem vel Cupiditatem; illa ergo non tam affectus debent dici, quàm vitia, quæ cum iſtis affectibus non in omnibus hominibus, ſed in quibuſdam ſunt conjuncta. Hoc deprehendere debuiſſet ex iis quæ annectit: *Præterea hi affectus, quatenus eos per ſolum objectum, ad quod referuntur, ab aliis diſtinguimus, contrarios non habent. Nam Temperantia, quam Luxuriæ, & Sobrietas, quam Ebrietati, & denique Caſtitas, quam Libidini opponere ſolemus, affectus, ſeu paſſiones non ſunt; ſed animi indicant potentiam, quæ hos affectus moderatur.* Quia enim *Temperantia, Sobrietas & Caſtitas non ſunt paſſiones, ſed animi indicant potentiam, quæ hos affectus moderatur*: Ergo illa, quæ oppoſita ſunt Temperantiæ, Sobrietati & Caſtitati indicant impotentiam animi, adeoque pro vitiis neceſſariò ſunt habenda. Concludit Scholium: *Cæterum reliquas affectuum ſpecies hîc explicare non poſſum (quia tot ſunt, quot objectorum ſpecies) nec, ſi poſſem, neceſſe eſt. Nam ad id, quod intendimus, nempe ad affectuum vires, & Mentis in eoſdem potentiam determinandum nobis ſufficit uniuscujuſque affectùs generalem habere definitionem. Sufficit, inquam, nobis affectuum & mentis communes proprietates intelligere, ut determinare poſſimus, qualis & quanta ſit mentis potentia in moderandis & coërcendis affectibus. Quamvis itaque magna ſit differentia inter hunc & illum Amoris, Odii vel Cupiditatis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

affectum, ex.gr. inter Amorem erga liberos, & inter Amorem erga uxorem, nobis tamen has differentias cognoſcere, & affectuum naturam & originem ulterius indagare non eſt opus. Quæ facile calculo noſtro approbamus.

PROPOSITIO LVII.

Quilibet uniuscujuſque individui affectus ab affectu alterius tantùm diſcrepat, quantum eſſentia unius ab eſſentiâ alterius differt.

HAnc Propoſitionem facile quoque concedere poſſumus. Et ſanè demonſtratur, prout ipſe dicit ex Axiom. I. quod videri poteſt poſt Lemma 3 Schol. Prop. 12. II. quod hic adjungere non gravabimur, ut illud Lector habeat in promtu. Axioma iſtud ſic habet: *Omnes modi, quibus corpus aliquod ab alio afficitur corpore, ex naturâ corporis affecti & ſimul ex natura corporis afficientis ſequuntur; ita ut unum idemque corpus diverſimodè moveatur pro diverſitate naturæ corporum moventium, & contra ut diverſa corpora ab uno eodemque corpore diverſimodè afficiantur.* Sed altera, quam conjungit, demonſtratio, nullius planè eſt valoris, cùm nitatur Scholio Prop. 9. III. & Prop. 11. III. ejuſque Scholio, quæ in ſuperioribus ut falſa rejecimus.

In Scholio brutis talia attribuit, quæ mentem in iis ſupponunt, quamvis forte humanâ inferiorem, quâ de re jam ante egimus ad Schol. Prop. 13. II. Sed examinemus illa: *Hinc ſequitur*, inquit, *affectus animalium, quæ irrationalia dicuntur (bruta enim ſentire nequaquam dubitare poſſumus, poſtquam mentis novimus originem) ab affectibus hominum tantum differre, quantum eorum natura à natura humana differt.* Quod ſic generatim dictum libenter concedimus; modo illud rectè applicetur, quod ab ipſo non fieri ſtatim videbimus. Non equidem dubitamus bruta ſentire, ſed quòd ſentiant eodem modo ut homines nondum probatum videmus. Diſtinguit Carteſius 3. gradus ſenſuum: primus gradus, qui conſiſtit in motu organi, ex quo in cerebro ſequitur influxus ſpirituum in hos vel illos muſculos, qui ad illud membrum regendum ſunt apti, communis procul dubio eſt hominibus cum beſtiis; ſed alter gradus, qui in perceptione conſiſtit illius rei, quæ ſenſum movet, & tertius gradus, quo judicium de

de illa re formamus nondum demonſtrati ſunt argumento evidenti brutis convenire. Supponit igitur in iis, quæ ſequuntur, bruta mente eſſe prædita, quamvis illa inferior ſit humanâ. *Gaudium* enim *aliquod iis attribuit*, quod dicit, *nihil aliud eſſe quàm ideam ſeu animam iſtius individui*, ſed dicit id tantùm, non probat. Hoc verò fatemur, quo concludit iſtud Scholium, *non parum intereſſe inter gaudium, quo ebrius ex. gr. ducitur, & inter gaudium quo potitur Philoſophus.*

PROPOSITIO LVIII.

Præter Lætitiam & Cupiditatem, quæ paſſiones ſunt, alii Lætitiæ & Cupiditatis affectus dantur, qui ad nos, quâtenus agimus, referuntur.

SI hæc Propoſitio ita exponatur, ut intelligamus Lætitiam ſpiritualem, quæ à corpore non dependeat, & Cupiditatem quoque ſpiritualem, certum eſt, dari talem Lætitiam & Cupiditatem ſpiritualem. Sed non poſſumus dici agere, eo ipſo, quo habemus talem Lætitiam. Sic vitium demonſtrationis Spinozæ in eo conſiſtit, quod putat, mentem quatenus ideas adæquatas, hoc eſt claras & diſtinctas concipit, agere, idque ex Prop. III. conatur conficere, ubi vidimus illum vocem *Agere* nimis reſtringere, ejuſque ſignificatione uti in ſenſu tantùm reſtricto, cùm uſus longè latius extendat.

PROPOSITIO LIX.

Inter omnes affectus, qui ad Mentem, quatenus agit, referuntur, nulli ſunt, quàm qui ad Lætitiam vel Cupiditatem referuntur.

HÆc Propoſitio ſupponit illud ipſum, quod ſupponebatur in priori, mentem tantum agere, quando habet ideas adæquatas, ſive claras & diſtinctas, quod non admittimus. Demonſtratio, qua nititur hæc Propoſitio, planè inepta eſt. Primum *omnes affectus* dicit *referri poſſe ad Cupiditatem, Lætitiam vel Triſtitiam*, quod nos falſum oſtendimus. Nititur hæc Demonſtratio Prop. 11. III. & ejus Scholio, Prop. 1. III. & Prop. 58. III. quas omnes ut falſas rejicimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

In Scholio primum de Animoſitate & Generoſitate & utriuſque ſpeciebus tractat. *Omnes actiones*, inquit, *quæ ſequuntur ex affectibus, qui ad mentem referuntur, quatenus intelligit, ad Fortitudinem refero, quam in Animoſitatem & Generoſitatem diſtinguo.* Nolumus diſputare, an hoc ipſi licuerit nec ne, hoc tantùm dicimus, eum fortitudinis voce tunc uti alio in ſenſu, quàm vulgo ſumi ſolet. Hoc præmiſſo dicit, ſe *per Animoſitatem* intelligere *Cupiditatem, qua unusquisque conatur ſuum eſſe ex ſolo rationis dictamine conſervare* atque tunc iterum voce Animoſitatis alio planè ſenſu utitur, quàm fert uſus, quod nulla ratione ferri poteſt. Per *Generoſitatem* autem ſe intelligere *Cupiditatem, qua unusquisque ex ſolo rationis dictamine conatur reliquos homines juvare, & ſibi amicitia jungere*; in quibus nihil reperimus, quin calculum noſtrum ei queamus adjicere. Ex illa diſtributione Fortitudinis in Animoſitatem, & Generoſitatem hæc ſequentia ortum habent: *Eas itaque actiones, quæ ſolum agentis utile intendunt, ad Animoſitatem, & quæ alterius etiam utile intendunt, ad Generoſitatem refero. Temperantia igitur, ſobrietas, & animi in periculis præſentia &c. Animoſitatis ſunt ſpecies; Modeſtia autem, Clementia &c. Species Generoſitatis ſunt*; quæ ab uſu vocabulorum planè recedunt, cùm nemo unquam Animoſitatem eo in ſenſu acceperit, ut Temperantiam & Sobrietatem tanquam ſpecies ſub ea comprehenderet. Concludit doctrinam de Affectibus, dicens *ſe putare, ſe præcipuos affectus explicuiſſe, perque primas cauſas oſtendiſſe*; quod utrum rectè an ſecus factum fuerit, conſtare poteſt ex iis quæ in ſuperioribus à nobis fuerunt obſervata. Dicit, *hinc conſtare nos à cauſis externis multis modis agitari*, & *ex explicatis affectibus* & in communi & in particulari *varios alios poſſe componi & intelligi*, quæ facile concedimus. De Amore hoc *notandum reſtare putat, quòd ſcilicet ſæpiſſimè contingat, dum re, quam appetebamus, fruimur, ut Corpus ex eâ fruitione novam acquirat conſtitutionem, à quâ alitèr determinatur, & aliæ rerum imagines in eo excitantur, & ſimul Mens alia imaginari aliaque cupere incipit. Ex. gr. Cùm aliquid, quod nos ſapore delectare ſolet, imaginamur, eodem frui nempe comedere cupimus. At quamdiu eodem ſic fruimur ſtomachus adimpletur, corpusque alitèr conſtituitur. Si igitur Corpore jam alitèr diſpoſito, ejusdem cibi imago, quia ipſe præſens adeſt, fomentetur, & conſequenter conatus etiam ſive Cupiditas eundem comedendi, huic Cupiditati ſeu Conatui nova illa conſtitutio repugnabit, & conſequenter cibi, quem appetebamus, præſentia odioſa erit, & hoc eſt, quod faſtidium &*

tæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tædium, *vocamus*. Quæ generatim ſic dicta fuerunt de Amore poſſumus admittere, ſed quæ ſingulatim dicit de Amore cibi & ejuſdem faſtidio non ita ſunt evidentia. Etſi enim vehemens deſiderium alicujus cibi id poſſit efficere, ut videamur quaſi eo frui, non tamen per id corpus ita conſtituitur, ac ſi reverâ ſtomachus eo impleretur, ut propterea, dum adeſt ille cibus, corpus eum faſtidiat, cùm experientia contrarium hic non raro teſtetur. Concludit hoc Scholium dicendo, *notanda ſibi quædam eſſe de affectuum definitionibus, quas propterea ſit repetiturus, & quid in unaquaque ordine obſervandum ſit, iisdem interpoſiturus*; quæ nos ſequentes ejus veſtigia, quàm breviſſimè expendemus.

EXAMEN DEFINITIONUM.

I. DEFINITIO eſt *Cupiditatis*, quam dicit eſſe *ipſam hominis eſſentiam, quâtenus ex datâ quâcunque ejus affectione determinata concipitur ad aliquid agendum.*

In Scholio Prop. 9. III. *nullam* dicebat, *ſe agnoſcere differentiam inter Cupiditatem & Appetitum*, quàm quòd *in Cupiditate ſit conſcientia iſtius Appetitus*. Hîc verò nullam conſcientiæ mentionem facit, adeoque eam à Cupiditate removet, quæ antea ipſius eſſentiam ingrediebatur. In explicatione etiam hujus definitionis, voce appetitus alio planè ſenſu utitur quàm vulgo fieri ſolet, adeoque *pro commotione quâdam corporis verſus objectum, quod appetere dicitur.* Dicit enim: *Sive homo ſui appetitus ſit conſcius ſive non ſit, manet tamen appetitus unus idemque atque adeo ne tautologiam committere videretur, ſe Cupiditatem per appetitum explicare noluiſſe, ſed eandem ita definire ſtuduiſſe, ut omnes humanæ naturæ conatus, quos nomine appetitus, voluntatis, cupiditatis vel impetus ſignificamus, unà comprehenderet.* Sic ergo Appetitum concipit tanquam aliquid generale, ut ſub eo & voluntatem & motionem corporis comprehendat. Addit poſtea, quid in illâ definitione *per affectionem humanæ eſſentiæ* intelligat nempe, *quamcunque ejusdem eſſentiæ conſtitutionem, ſive ea ſit innata, ſive quòd ipſa per ſolum cogitationis, ſive ſolum Extenſionis attributum concipiatur, ſive denique quòd ad utrumque ſimul referatur*, quod admittere poſſumus. Perperam etiam naturam *Cupiditatis* ſic concipit. Cupiditas reſpicit bonum idque futurum at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

que ad id acquirendum hominem diſponit. Non ergo eſt ipſa hominis eſſentia, ſed aliquod ejus accidens, neque quævis determinatio ad aliquid agendum naturam Cupiditatis conſtituit, ſed ea demum, qua bonum acquirere conamur, quod nondum poſſidemus.

II. Definit. Eſt Lætitiæ.

III. Definit. Eſt Triſtitiæ; quas jam vidimus & examinavimus ad Scholium Propoſitionis 11. III. Hîc verò in explicatione rationem reddit, quare Lætitiam & Triſtitiam conſtituat in tranſitione ad majorem vel minorem perfectionem, hanc nempe, quia *Lætitia non eſt ipſa perfectio*, quod ex eo probat, *quòd ſi homo cum perfectione ad quam tranſit, naſceretur, ejusdem abſque Lætitiæ affectu compos eſset; quod clarius apparet ex Triſtitiæ affectu, qui huic eſt contrarius. Nam quòd Triſtitia in tranſitione ad minorem perfectionem conſiſtat, neminem negare poſſe, quandoquidem homo eatenus contriſtari nequit, quatenus alicujus perfectionis eſt particeps.* At nos negamus, Lætitiam non eſſe quandam perfectionem. Lætitia conſiſtit in grata & jucunda perceptione, quam mens habet & ſentit ex poſſeſſione boni præſentis, quidni ergo perfectio poteſt dici? Neque probatio illius ſuccedit; aſſerit, non probat, *hominem qui naſcatur cum perfectione nullius compotem eſſe Lætitiæ;* ſi enim iſtius perfectionis, cum qua naſcitur, ſit conſcius, non poteſt non affici ejus jucunda & grata perceptione. Neque hoc ipſum magis conſtat ex Triſtitia: non enim ſequitur; homo eatenus contriſtari nequit, quatenus alicujus perfectionis eſt particeps: Ergo Triſtitia conſiſtit in tranſitione ad minorem perfectionem; cùm inferendum potius fuiſſet ex illo antecedente: Ergo Triſtitia conſiſtit in minori perfectione, vel potius in perceptione & ſenſu minoris perfectionis. In ſequentibus præoccupat objectionem. *Nec dicere poſſumus, quòd Triſtitiam in privatione majoris perfectionis conſiſtat; nam privatio nihil eſt; Triſtitiæ autem affectus actus eſt, qui propterea nullus alius eſſe poteſt, quàm actus tranſeundi ad minorem perfectionem, hoc eſt, actus, quo hominis agendi potentia minuitur vel coërcetur.* At nos omninò conſtituimus Triſtitiam in actu, ſed negamus, nullum alium eſſe poſſe, quàm actum tranſeundi ad minorem perfectionem, poteſt enim eſſe perceptio ingrata rei, quæ nobis eſt mala. Privatio ſupponit tamen ſubjectum in quo eſt, ſive, cui aſſignatur. Poteſt etiam privatio, (quamvis eo ipſo, quo talis eſt, non poſſit recipere realia attributa,) cauſa eſſe ſuo ſenſu perceptionis realis ingratæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quia cauſa eſt abſentiæ gratæ perceptionis, qua abſente, cum omnis perceptio abeſſe non poſſit, eaque ſit referenda ad percipiens, cui, dum non eſt grata, non convenit, eo ipſo ingratam eſſe oportet.

IV. Definit. *Admiratio eſt rei alicujus imaginatio, in qua mens defixa propterea manet, quia hæc ſingularis imaginatio nullam cum reliquis habet connexionem.*

Nos ſuperius in Scholio Prop. 52. obſervavimus, non in omni Admiratione locum habere imaginationem. Melior tamen hæc eſt definitio, quàm ſuperior, quia magis explicata & clara, quantum ad reliqua. Etiam rectè in explicatione definitionis obſervat, *quòd mens ex contemplatione unius rei ſtatim in alterius rei cogitationem incidat, quia earum rerum imagines concatenatæ & ita ordinatæ ſunt, ut alia aliam ſequatur, quod quidem concipi nequit, quando rei imago nova eſt; ſed mens in ejuſdem rei contemplatione detinebitur, donec ab aliis cauſis ad alia cogitandum determinetur.* Quòd autem Admirationem nolit inter affectus referri hanc rei iſtius affert rationem, *quòd rei novæ imaginatio ejuſdem ſit naturæ ac reliquæ*, quæ revera nihil concludit: Poteſt enim rei novæ conſideratio aliquam commotionem ſive paſſionem animæ inferre eo ipſo, quia eſt nova, etſi quoad reliqua ſit ejuſdem naturæ cum aliis. Si conſideretur definitio Affectuum, qualem Carteſius dedit, quòd ſint *commotiones ſive perceptiones animæ, quæ ad eam ſpeciatim referuntur, quæque producuntur, conſervantur & corroborantur per aliquem motum ſpirituum*, certè Admiratio ex numero affectuum non poteſt relegari. Percipit enim anima ſe ſingulariter commoueri & affici ex re novâ, & ſpiritus occupati ſunt in conſervanda iſtius rei novæ imagine, ſicque illa commotio animæ conſervatur. At *non videt cauſam*, *cur* Admirationem referat inter affectus, *quandoquidem hæc mentis diſtractio ex nulla cauſa poſitiva, quæ mentem diſtrahat ab aliis, oritur; ſed tantùm ex eo, quòd cauſa cur mens ex unius rei contemplatione ad alia cogitandum determinatur, deficit.* At ſic plures affectus erunt eliminandi. Nulla eſt poſitiva cauſa Triſtiſtitiæ, quia malum non eſt quid poſitivum; ſic nec Odii, nec affectuum vel ex his compoſitorum vel inde derivatorum.

V. Definit. *Contemtus eſt rei alicujus imaginatio, quæ mentem adeò parum tangit, ut ipſa mens ex rei præſentiâ magis moveatur ad ea imaginandum, quæ in ipſa re non ſunt, quàm quæ in ipſa ſunt*, quam admittimus

mus, ſi loco vocis *imaginatio* ſubſtituatur *cogitatio*, & loco *ad imaginandum* legatur *ad cogitandum*.

VI. Definit. *Amor eſt Lætitia, concomitante idea cauſæ externæ*; de qua egimus ad Schol. Prop. 13. III. cauſas adducentes, quare illam admittere nequeamus. Mirum verò eſt iterum, quòd Lætitiam hîc ut genus Amoris conſideret, cum in Schol. Prop. 30. III. docuerit, Amorem eſſe Lætitiæ genus. Homo hic non ſatis ſibi conſtitit unquam. Nunc videamus quas in *Explicatione* afferat rationes, quare Amoris definitionem, quâ Carteſius uſus fuit, non admittat. *Illa Auctorum*, inquit, *qui definiunt*. Amorem eſſe voluntatem amantis ſe jungendi rei amatæ, *non Amoris eſſentiam, ſed ejus proprietatem exprimit, &, quia Amoris eſſentia non ſatis ab Auctoribus perſpecta fuit, ideo neque ejus proprietatis ullum clarum conceptum habere potuerunt, & hinc factum, ut eorum definitionem admodum obſcuram eſſe omnes judicaverint*. Hæc ſic pronunciat tanquam ex tripode ſine ullâ probatione. Concedit, *in Amore eſſe voluntatem ſe jungendi rei amatæ* ſed dicit, hanc eſſe proprietatem, non eſſentiam Amoris. Unde verò hoc conſtat? An non hæc voluntas in omni actu Amoris reperitur, an non eſt in omni Amoris proprietate? Detur ergo actus Amoris, detur aliqua Amoris proprietas, in qua non ſit. An Lætitia reperitur in omni Amore? An pauper amans divitias eo ipſo lætatur? Illa eſſentia Amoris, quam hîc fingit, an ſemper reperitur in Amore? Videantur ea, quæ obſervavimus ad Schol. Prop. 13. III. & contrarium conſtabit. Quinam verò illi omnes, qui obſcuram definitionem Amoris allatam à Carteſio judicaverint? Spinoza forte cum ſuis admiratoribus, quorum judicio nos nullâtenus commovemur. Is tamen ne nimium concedere videretur, quando dixit, *voluntatem ſe jungendi rei amatæ eſſe ejus proprietatem* notat, *ſe per voluntatem non intelligere conſenſum, vel animi deliberationem ſeu liberum decretum (nam hoc fictitium eſſe demonſtraviſſe Prop.* 48. *Partis* II.) *nec etiam Cupiditatem ſe jungendi rei amatæ, quando abeſt, vel perſeverandi in ipſius præſentiâ, quando adeſt; poſſe namque amorem absque hâc aut illâ Cupiditate concipi; ſed per voluntatem ſe Acquieſcentiam intelligere, quæ eſt in amante ob rei amatæ præſentiam, à quâ Lætitia amantis corroboratur, aut ſaltem fovetur*. Quid verò demonſtraverit nec ne Prop. 48. Part. II. judicare poteſt Lector ex iis, quæ ibi annotavimus. Scilicet huc redit tota Spinozæ demonſtratio: Conſenſus, deliberatio animi, liberum decretum ficti-

fictitia ſunt, quamvis quilibet ea in ſe deprehendat per interiorem animi conſcientiam, quia ſic cenſet Spinoza. Quando ergo *voluntas ſe jungendi rei amatæ* dicitur eſſe proprietas Amoris, *voluntas illa erit Acquieſcentia in amante ob rei amatæ præſentiam*. Quid ergo ſi abſit res amata? An ſic ceſſabit amor? An proprietas rei non ſemper debet adeſſe & in omni illâ re eſſe? Qualis verò erit proprietas, quæ non ſemper adſit? An quemadmodum Amor & Lætitia confunduntur, ita etiam confundi oportet proprietatem cum accidente. Egregia ſanè hæc philoſophandi ratio, quæ tam diſtinctos nos docet formare conceptus! Nos verò exiſtimamus, iſtam Acquieſcentiam planè ſeparari poſſe ab Amore, quæ in Gaudio animi conſiſtit, quod concomitatur non omnem Amorem, ſed eum demum, quo fertur erga rem præſentem. Sic verò Objectum ubi perceptum fuerit eſſe Bonum, ſentit animus, ſe erga illud ferri, & inclinari, quæ latio & inclinatio Voluntatis nomine ſolet venire, quæ ſi eſſet erga Verum, Judicii nomine veniret, ſed cùm ſit erga Bonum Voluntatis & in ſpecie Amoris nomine appellari debet.

VII. DEFINIT. Eſt Odii plane eadem cum illa quam ad Schol. Prop. III. examinavimus.

VIII. DEFINIT. *Propenſio eſt Lætitia concomitante idea a cujus rei, quæ per accidens cauſa eſt Lætitiæ.*

IX. DEFINIT. *Averſio eſt Triſtitia concomitante idea alicujus rei, quæ per accidens cauſa eſt Triſtitiæ.*

Provocat ad Schol. Prop. 15. III. quamvis ex eo nequeamus ſatis intelligere, quaſnam putet eſſe cauſas per accidens Lætitiæ aut Triſtitiæ, quæ autem ex Propoſ. 36. III. ad eam explicandam poſſunt adduci ea falſitatis ad Prop. 15. III. convicimus.

X. DEFINIT. Devotionis eſt, de qua egimus ad Schol. p. 52. III.

XI. DEFINIT. Eſt Irriſionis. *Irriſio eſt Lætitia orta ex eo, quòd aliquid, quod contemnimus in re, quam odimus, ei ineſſe imaginamur.* Hæc eſt aliquantò clarior, quàm fuit in Schol. Prop. 52. III. ubi vide quæ notavimus.

XII. & XIII. DEFINIT. Eſt ſpei & Metus, quas examinavimus ad Schol. 2. Prop. 18. III. Bene tamen in explicatione obſervat, *non dari ſpem ſine metu, nec metum ſine ſpe.* Idque non malè demonſtrat, ex Prop. 19. & 20. III. *Qui enim ſpe pendet, & de rei eventu dubitat, is aliquid imaginari ſupponitur, quod rei futuræ exiſtentiam ſecludit, atque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

adeo eatenus contriſtari, (per Prop. 19. hujus) *& conſequenter dum ſpe pendet, metuere, ut res eveniat. Qui autem contra in metu eſt, hoc eſt, de rei, quam odit, eventu dubitat, aliquid etiam imaginatur, quod ejuſdem rei exiſtentiam ſecludit; atque adeo* (per Prop. 20. hujus) *lætatur, & conſequenter eatenus ſpem habet, ne eveniat.*

XIV. & XV. Definit. Eſt Securitatis & Deſperationis, quas vidimus in Schol. 2. Prop. 18. III. *Explicatio* harum Definitionum videnda. *Oritur itaque*, inquit, *ex ſpe Securitas, & ex Metu Deſperatio, quando de rei eventu dubitandi cauſa tollitur, quod fit, quia homo rem præteritam vel futuram adeſſe imaginatur, & ut præſentem contemplatur; vel quia alia imaginatur, quæ exiſtentiam earum rerum ſecludunt, quæ ipſi dubium injiciebant.* Hæc admittimus, non tamen ea, quæ ſubjungit. Dicit, *de rerum ſingularium eventu nos nunquam poſſe eſſe certos*, quod conatur probare per Coroll. Prop. 31. II. At in iſto Corollario hoc tantùm dicitur, *omnes res particulares contingentes & corruptibiles eſſe* : exin verò ſequi nego, nos nunquam poſſe eſſe certos de rerum ſingularium eventu. An non enim poſſumus eſſe certi de Eclipſi hoc vel illo tempore futurâ, de novilunio, de plenilunio? An verò hæc non ſunt res ſingulares? An non poſſumus eſſe certi de iis quæ promiſit nobis Deus? An non iſtæ ſunt res ſingulares? Fateor hominem iſtum hæc ignoraviſſe, quod tamen non impedit, quò minus Chriſtiani de iis queant eſſe certi. Addit: *tametſi de rerum ſingularium eventu nunquam poſſumus eſſe certi, fieri tamen poſſe, ut de earum eventu non dubitemus*, provocans ad Schol. Prop. 49. II quod nos ſuo loco examinavimus, unde eò Lectorem ablegamus.

XVI. Definit. *Gaudium eſt Lætitia concomitante idea rei præteritæ, quæ præter ſpem evenit.*

Hæc definitio melior eſt, quàm illa, quam reprehendimus in Scholio 2. Prop. 18. III. Idem cenſemus de ſequenti.

XVII. Definit. *Conſcientiæ morſus eſt Triſtitia, concomitante ideâ rei præteritæ, quæ præter ſpem evenit.*

Hæc explicatior eſt illâ, quam Schol. 2. p. 18. III. examinavimus; melior tamen eſt definitio Carteſii, uti apparet ex dictis ad Schol. 2. p. 18. III.

XVIII. Definit. *Commiſeratio eſt Triſtitia, concomitante ideâ mali, quod alteri quem nobis ſimilem eſſe imaginamur, evenit.*

Hæc eſt clarior ea, quæ Prop. 22. III. reperitur; vitio tamen eodem la-

laborat, quòd omittat Amorem, qui eidem Triſtitiæ eſt mixtus.

In Explicatione obſervat, *inter Commiſerationem & Miſericordiam nullam videri eſſe differentiam, niſi fortè, quòd Commiſeratio ſingularem affectum reſpiciat, Miſericordia autem ejus habitum*; in quo nolumus ei contrariari.

XIX & XX. Definit. Favoris & Indignationis eadem ſunt cum illis, quæ in Scholio Prop. 22. III. reperiuntur, quibus ibi calculum noſtrum adjecimus. Quæ in *Explicatione* adducit etiam merentur approbari. Sic dicit: *Hæc nomina in communi uſu aliud ſignificare ſcio. Sed meum inſtitutum non eſt, verborum ſignificationem, ſed rerum naturam explicare, easque iis vocabulis indicare, quorum ſignificatio, quam ex uſu habent, à ſignificatione, quâ eadem uſurpare volo, non omnino abhorret, quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Cæterum horum affectuum cauſam vide in Corollario* I. *Prop.* 27. *& Scholiis Prop.* 22. *hujus Partis.*

XXI & XXII. Definit. Sunt *Exiſtimationis* & *Deſpectûs*, quas jam examinavimus Schol. Prop. 26. III.

In *Explicatione* obſervat, *Exiſtimationem eſſe Amoris & Deſpectum Odii effectum ſive proprietatem, atque adeò poſſe Exiſtimationem etiam definiri, quòd ſit* Amor, quâtenus hominem ita afficit, ut de re amatâ plus juſto ſentiat, *& contra* Deſpectus, *quòd ſit* Odium, quâtenus hominem ita afficit, ut de eo, quem odio habet, minus juſto ſentiat. *Vide de his Schol. Prop.* 26. *hujus.* De quibus non operæ eſt pretium, ut ſerram contentionis reciprocemur.

XXIII. Definit. eſt *Invidiæ*, quæ planè convenit cum illâ, quæ in Schol. Prop. 24. legitur. In *Explicatione* obſervat, *Invidiæ opponi communiter Miſericordiam, quam proinde, invita vocabuli ſignificatione, ſic definiri poſſe* putat, uti definit poſtea.

XXIV. Definit. *Miſericordia eſt Amor, quatenus hominem ita afficit, ut ex bono alterius gaudeat, & contrà, ut ex alterius malo conſteritur.*

Hæc definitio ſi conferatur cum definit. Commiſerationis, quæ Prop. 22. III. traditur, apparebit, hominem illum hîc jam reſarcire id, quod peccaverat in definit. Commiſerationis, in qua mentio Amoris non fuerat omittenda. Idem ergo planè eſt affectus *Commiſeratio* & *Miſericordia*, qui proinde perperam diſcerpuntur; nec in ſuperioribus Miſericordiæ ſpecialis definitio fuit propoſita.

In *Explicatione* tranſitionem inſtituit. *Atque hi*, inquit, *Affectus Lætitiæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

titiæ & Triſtitiæ ſunt, quos idea rei externæ comitatur, tanquam cauſa per ſe, vel per accidens. Hinc ad alios tranſeo, quos idea rei internæ comitatur, tanquam cauſa.

XXV. DEFINIT. *Acquieſcentia in ſe ipſo eſt Lætitia, orta ex eo, quòd homo ſe ipſum, ſuamque agendi potentiam contemplatur.*

Sic hîc definit, alibi plane aliter. Conferamus iſtas definitiones inter ſe invicem.

In Scholio Propoſit. 30. III. *Acquieſcentiam in ſe ipſo* definit, quòd ſit *Lætitia concomitante idea cauſæ externæ*, Schol. Prop. 51. III. dicit: *Acquieſcentia in ſe ipſâ eſt Lætitia, concomitante idea ſui tanquam cauſa*; at in Schol. Prop. 55. ait: *Philautia vel Acquieſcentia in ſe ipſo eſt Lætitia, quæ ex contemplatione noſtri oritur.* Si hæ definitiones non ſint cenſendæ inter ſe invicem pugnare, talis ex his componenda videtur: Acquieſcentia in ſe ipſo eſt Lætitia orta ex eo, quod homo ſemetipſum ſuamque agendi potentiam contemplatur concomitante idea cauſæ externæ. At tunc in ea reprehendi poſſet, quòd ſic Acquieſcentia in ſemetipſo non diſtinguatur à Superbia, quodque tàm illi qui rectè, quàm qui malè fecerunt, poſſint lætari in ſua agendi potentiâ. Rectius verò Cart. art. 190. Acquieſcentiam in ſemetipſo fundat ſuper virtute & rectè factis. Sed videtur vocabulum Acquieſcentiæ in ſemetipſo in latiori accepiſſe ſenſu, quod apparet ex *Explicatione* XXVI. Definitionis. Ibi dicit: *Acquieſcentia in ſe ipſo Humilitati opponitur, quatenus per eandem intelligimus Lætitiam, quæ ex eo oritur, quòd noſtram agendi potentiam contemplamur; ſed quatenus per ipſam etiam intelligimus Lætitiam, concomitante idea alicujus facti, quod nos ex mentis libero decreto feciſſe credimus, tum Pænitentiæ opponitur*; hâc autem ratione ſi deſcribatur Acquieſcentia, nihil erit, quod in illâ reprehendere velimus.

XXVI. DEFINIT. *Humilitas eſt Triſtitia orta ex eo, quòd homo ſuam impotentiam ſive imbecillitatem contemplatur*, quæ eadem eſt cum illâ, quam legimus in Schol. Prop. 55. ubi vide noſtram obſervationem.

XXVII, DEFINIT. *Pœnitentia eſt Triſtitia, concomitante idea alicujus facti, quod nos ex libero mentis decreto feciſſe credimus.*

In Schol. Prop. 30. ſic definiverat Pœnitentiam, quòd ſit *Triſtitia concomitante idea cauſæ externæ*. In Scholio verò Prop. 51. dixerat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Pœnitentiam eſſe Triſtitiam concomitante idea ſui, tanquam cauſa. Ex quarum collatione iterum patet, componendam eſſe ex his omnibus definitionem novam, quæ omnia contineat, (niſi has definitiones inter ſe invicem contrariari ſentiamus,) uti antea circa Acquieſcentiam fecimus.

In *Explicatione* dicit, ſe horum affectuum cauſas oſtendiſſe in Schol. Prop. 51. hujus & Prop. 53, 54 & 55. ad quæ & noſtra amotata nos lectorem ablegamus; & de libero mentis decreto provocat ad Schol. Prop. 35. p. 2. ad quod etiam legi poſſunt noſtræ obſervationes. Quod jam præterea notari vult: *mirum non eſſe, quòd omnes omnino actus, qui ex conſuetudine* pravi *vocantur, ſequetur Triſtitia, & illos, qui* recti *dicuntur, Lætitia. Nam hoc ex educatione potiſſimum pendere, facilè ex ſupra dictis intelligi. Parentes nimirum, illos exprobrando, liberoſque propter eoſdem ſæpe objurgando; hoc contra ſuadendo & laudando effeciſſe, ut Triſtitiæ commotiones illis, Lætitiæ verò his jungerentur. Quod ipſa etiam experientiâ comprobetur. Nam conſuetudinem & Religionem non eſſe omnibus eandem; ſed contrà, quæ apud alios ſacra, apud alios profana, & quæ apud alios honeſta, apud alios turpia eſſe. Prout igitur unusquisque educatus eſt, ita facti alicujus pœnitere, vel eodem gloriari;* id modò ſano ſenſu accipiatur admittere poſſumus juxta ea, quæ jam antea ad Schol. Prop. 51. obſervavimus; ſed ſi eo ſenſu dicat quaſi nullum eſſet abſolutè Bonum vel Malum, & quaſi hæc unica & ſola ſit cauſa, quare quis huic Religioni ſe applicet potius quàm alteri, quaſi non in verâ Religione ſint talia κριτήρια quæ animum ad illam attrahant & de ejus veritate perſuadeant, nihil erit his falſius.

XXVIII. Definit. *Superbia eſt de ſe præ amore ſui plus juſto ſentire.*

Hæc quoad rem ſatis convenit cum iis, quæ in Schol. Prop. 26. obſervavimus. Sic in *Explicatione* definitionis rectè annotat differentiam inter *Superbiam* & *Exiſtimationem* de quâ etiam ibidem fuerat actum. Definit hinc *Philautiam*, *quod ſit Amor ſui, ſive Acquieſcentia in ſe ipſo, quatenus hominem ita afficit, ut de ſe plus juſto ſentiat*, in quibus nullam cauſam diſcedendi ab ipſo invenio. Non malè quoque explicat, quomodo, & quis huic Affectui poſſit eſſe contrarius, quæ apud ipſum videre poteſt Lector, & facile ex iis, quæ à nobis de Neceſſitate & Libertate fuerunt dicta, poterit judicare, quid hîc veniat improbandum vel approbandum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

XXIX. Definit. *Abjectio eſt de ſe præ Triſtitia minus juſto ſentire.*

In *Explicatione* commodè ſatis exponit differentiam inter *Humilitatem*, cujus definitio eſt 26. & *Abjectionem*, quæ Lector inde petat: (nec enim ea transſcribere eſt animus) ut & cauſam, quam affert, quare Humilitas & Abjectio raro inter homines reperiantur.

XXX. Definit. Eſt *Gloria*, quam dicit eſſe *Lætitiam, concomitante idea alicujus noſtræ actionis, quam alios laudare imaginamur.*

Hanc conferre poſſumus cum iis, quæ in Schol. Prop. 30. de *Gloria* habet, ubi eam dicit *Lætitiam concomitante idea cauſæ externæ.* Ex quâ collatione poſſumus colligere verba illa *concomitante idea cauſæ externæ* explicari iſtis *alios laudare noſtram actionem*, ut ſic magis diſtincta poſſet formari definitio: Gloria eſt Lætitia orta ex idea alicujus noſtræ actionis, quam concomitatur idea cauſæ externæ, quam habemus de aliis hominibus, quos hanc noſtram actionem laudare imaginamur. Sic tandem conveniet cum defin. Cart. art. 204. quam recitavimus ad Scholium Prop. 30.

XXXI. Definit. *Pudor eſt Triſtitia, concomitante idea alicujus actionis, quam alios laudare imaginamur*; quæ eodem modo ut prior cum definitione Pudoris, quæ ad Schol. Prop. 30. legitur, debet conjungi.

In *Explicatione* hujus defin. docet differentiam, quæ inter Pudorem & Verecundiam intercedit, quòd *Pudor ſit Triſtitia, quæ ſequitur factum, cujus pudet: Verecundia autem ſit metus, ſeu Timor Pudoris quo homo continetur, ne aliquid turpe committat,* quam facilè admittimus. De Impudentia ſe *ſuo loco* acturum promittit, in quem differimus noſtram conſiderationem. In ſequentibus ſe acturum de illis affectibus dicit, quos *ad Cupiditatem* referat.

XXXII. Definit. *Deſiderium eſt Cupiditas, ſive Appetitus re aliqua potiundi, quæ ejusdem rei memoriâ fovetur, & ſimul aliarum rerum memoria, quæ ejusdem rei appetendæ exiſtentiam ſecludunt, coërcetur.*

Hæc definitio aliquanto magis diſtincta eſt, quàm ea, quæ in Schol. Prop. 36. legitur; nondum tamen ſatis explicat hunc affectum. Si enim ſecluditur rei, quam appetimus, exiſtentia, idque ita intelligitur, ut nunquam ſit extitura in noſtra poteſtate, vanus eſt

eſt iſte Affectus & vitioſus, qui cohiberi potius debet, quam foveri: ſi verò ſupponitur, illam rem poſſe exiſtere, noſque illam poſſe obtinere, non diſtinguetur ſatis à Cupiditate.

Neque *Explicatio* rem iſtam juvat. *Cùm alicujus rei recordamur*, inquit, *eo ipſo diſponimur, ad eandem eodem affectu contemplandum, ac ſi res præſens adeſſet; ſed hæc diſpoſitio, ſeu conatus, dum vigilamus plerumque cohibetur ab imaginibus rerum, quæ exiſtentiam ejus, cujus recordamur, ſecludunt.* Hæc facile admittere poſſumus; ſed quæ ſequuntur non ſunt clariora, quàm quæ in ipſa definitione comprehenduntur. *Quando itaque rei meminimus, quæ nos aliquo Lætitiæ genere afficit, eo ipſo conamur eandem cum eodem Lætitiæ affectu ut præſentem contemplari, qui quidem conatus ſtatim cohibetur memoria rerum, quæ illius exiſtentiam ſecludunt.* Difficultas enim ſupra mota ſic non tollitur. Quod vero hinc concludit *Deſiderium revera eſſe Triſtitiam*, facilè admittere poſſumus, cùm ex dictis ab ipſo ſatis videatur ſequi.

XXXIII. DEFINIT. *Æmulatio eſt alicujus rei cupiditas, quæ nobis ingeneratur ex eo; quod alios eandem cupiditatem habere imaginamur.*

Hæc eadem eſt cum illâ, quæ in Schol, Prop. 27. traditur, ubi defectum iſtius definitionis cenſura perſtrinximus. *Explicationem* adjectam non improbamus, quam videre poteſt Lector apud Spinozam; quamvis defectui nullam medelam præſtet.

XXXIV. DEFINIT. *Eſt gratitudinis ſive gratiæ*, quam probare nos diximus ad Schol. Prop. 41. III.

XXXV. DEFINIT. Eſt *Benevolentiæ* eadem cum illa, quæ in Schol. Prop. 27. III. reperitur, ubi noſtræ annotationes videri poſſunt.

XXXVI. DEFINIT. *Ira eſt cupiditas, qua ex Odio incitamur ad illi, quem odimus, malum inferendum.*

Huic non admodum contradicimus, quamvis Carteſius *Odium* potius habeat pro genere Iræ, quam *Cupiditatem*: conſtat enim affectum hunc eſſe mixtum ex Odio & Cupiditate, quod quoque ex Prop. 39. III. liquet.

XXXVII. DEFINIT. Eſt *Vindictæ*, quæ coincidit cum illa, quæ in Schol. Coroll. II. Prop. 40. continetur, quam ibi approbavimus.

XXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

XXXVIII. Definit. Eſt *Crudelitatis* non differens ab ea, quæ in Coroll. Prop. 41. traditur, quam admiſimus.

XXXIX. Definit. Eſt *Timoris*, cujus ſimilem legimus Scholio Prop. 39. ubi noſtra annotata vide.

XL & XLI. Definit. Eſt *Audaciæ* & *Puſillanimitatis*, quæ planè concordant cum iis, quæ in Scholio Prop. 51. dixit Spinoza, ubi noſtræ annotationes poſſunt videri.

XLII. Definit. *Conſternationis* omninò etiam convenit cum iis, quæ in Scholio Propoſ. 52. ab illo fuerunt dicta, de quibus judicium noſtrum ad illud expoſuimus Scholium. Quæ in *Explicatione* addit legi poſſunt ab eo, qui voluerit.

XLIII. Definit. Eſt *Humanitatis* eadem cum illa, quæ occurrit in Scholio Prop. 29. ubi quid reprehendendum cenſeamus poterit videri.

XLIV. Definit. *Ambitio eſt immodica Gloriæ Cupiditas*; in qua nihil aliud invenio reprehendendum, niſi, quòd non ſatis ſit clara, quòd quid ſit illa *immodica* Cupiditas, non ſatis explicet. Melius aliquantò id declaratum fuit Schol. Prop. 29.

In *Explicatione* dicit: *Ambitio eſt Cupiditas, qua omnes affectus foventur & corroborantur*; (povocans ad Prop. 27. in qua nihil de Ambitione legitur; forte autem deſignare voluit Prop. 29. in qua de eâ agitur, ſicut & Propoſitione 31. ex quibus tamen hoc ipſum non video quomodo poſſit concludi,) *& ideo hic affectus vix ſuperari poteſt. Nam quamdiu homo aliqua Cupiditate tenetur, hac ſimul neceſſario tenetur.* Quod quidem verum eſſe experientia ſatis comprobatur, modò illa neceſſitas non intelligatur in naturâ ipſâ eſſe radicata, ſed per lapſum Adami attracta, contrà quàm vult Spinoza, quo ſenſu illud ipſum falſum eſſe dicimus. Sententia Ciceronis, *Optimus quisque maximè gloria ducitur. Philoſophi etiam libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt &c.* hoc tantùm evincit, ſic agi inter homines, ſed originem ejus non aperit, quam ſacra pagina detegit. Quod hic deducere non eſt neceſſe, cùm Spinozæ probatio hîc incumbat, quam nullibi deprehendimus.

XLV, XLVI, XLVII & XLVIII. Definit. Sunt *Luxuriæ*, *Ebrietatis Avaritiæ & Libidinis*, quæ ad Schol. Prop. 56. ſunt examinatæ.

Videa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Videamus *Explicationem*, quam adjungit. Dicit, *hanc cöeundi Cupiditatem, ſive moderata ſit, ſive immoderata, libidinem appellari*, de quo nolumus contendere, modò obſervetur, plerumque tamen Libidinem accipi ſolere in malam partem. Quod addit, *hos affectus non habere contrarium*, de eo ad Scholium Prop. 56. egimus, atque inde evicimus, non debere hæc in numero *affectuum*, ſed *vitiorum* potius collocari. Benè verò obſervat, *tametſi fieri poſſit, ut homo Avarus, Ambitioſus vel Timidus à nimio cibo potu & coitu abſtineat, Avaritiam tamen, Ambitionem & Timorem luxuriæ ebrietati vel caſtitati non eſſe contrarios*; cujus rei juſtam rationem affert, quam legere licet apud ipſum.

His ſic abſolutis adjicit Affectuum Generalem definitionem. *Affectus*, inquit, *qui animi Pathema dicitur, eſt confuſa idea, qua mens majorem vel minorem ſui Corporis, vel alicujus ejus partis exiſtendi vim, quàm antea, affirmat, & qua data ipſa mens ad hoc potius, quàm ad illud cogitandum determinatur.* Hæc quidem definitio aliquanto eſt melior, quàm ea, quam initio hujus III. Partis vidimus, ſed nec dum ſatisfacit illa, quod patere poteſt ex iis, quæ ſuperius jam annotavimus, ad Definit. III. hujus partis, ubi illa queunt videri. Non debet concipi Affectus tanquam aliquid, quod ſit mera corporis affectio, nec tantum tanquam mera idea, ſed tanquam aliquid ex his duobus compoſitum. In affectibus eſt confuſa idea, ſed quæ ortum habet ex motu ſpirituum; non ergo omnis confuſa idea eſt affectus: Generantur confuſæ ideæ etiam à ſenſibus. Quòd per affectus augeatur vel minuatur Corporis agendi potentia, uti dixit Defin. 3. vel, *affirmetur major vel minor noſtri corporis vel alicujus ejus partis exiſtendi vis*, uti hîc loquitur, totum ex eo pendet, quòd mentis naturam totam conſtituat in ideâ corporis, quod ſuo loco ſuperius reprehendimus & refutavimus. Apparet id ex *Explicatione*, quam huic definitioni adjecit. Dicit: *Hæc* idea, *quæ affectus formam conſtituit, Corporis vel alicujus ejus partis conſtitutionem indicare, vel exprimere debet, quam ipſum Corpus, vel aliqua ejus pars habet, ex eo, quòd ipſius agendi potentia ſive exiſtendi vis augetur, vel minuitur juvatur vel coercetur.* Hæc dicit, ſed non probat, & ne quidem probare conatur. Ex ſequentibus autem conſtat, hæc omnia fundari in Prop. 11. & 13. part. II. quas refutavimus, oſtendendo, *mentis eſſentiam non in eo conſiſtere, quod ſui corporis actualem exiſtentiam affirmat.* Admittimus tamen hanc ejus explicationem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quando inquit : *Sed notandum, cùm dico*, majorem vel minorem exiſtendi vim, quàm antea, *me non intelligere, quòd mens præſentem corporis conſtitutionem cum præterita comparat ; ſed quòd idea, quæ affectus formam conſtituit, aliquid de corpore affirmat, quod plus minuſve realitatis revera involvit, quàm antea.* Quod tandem dicit, ſe in definitione *addidiſſe*, & quâ datâ ipſa mens ad hoc potius, quàm ad aliud cogitandum determinatur, *ut præter Lætitiæ & Triſtitiæ naturam, quam prima definitionis pars explicat, Cupiditatis etiam naturam exprimerem*, id verum quidem eſt, ſed Cupiditatis natura ſic malè concipitur, uti ſupra dum Deſinit. I. examinarem, ſatis oſtendi.

PAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PARTIS QUARTÆ

ETHICÆ SPINOZÆ EXAMEN.

IN Præfatione ab initio, *Servitutem* dicit *ſe vocare humanam impotentiam in moderandis & coërcendis affectibus*, rationem hanc adjicit, *quod homo affectibus obnoxius ſui iuris non ſit, ſed fortunæ, in cuius poteſtate ita ſit, ut ſæpe coactus ſit, quanquam meliora ſibi videat, deteriora tamen ſequi*, quæ omnia utroque pollice probamus. Dein oſtendit, ſcopum ſuum eſſe, *hujus rei cauſam & quid præterea affectus boni vel mali habent in hac Parte demonſtrare.* Poſtea *pauca de perfectione & imperfectione, deque bono & malo præfatur*: quæ examinemus oportet.

Sic explicat quid propriè loquendo dicatur *perfectum*, *opus nempe ad finem, quem ejus Auctor eidem dare conſtituerat perductum*, & addit, *ſi quis opus aliquod videat, cujus ſimile nunquam viderit, neque mentem opificis noverit, eum ſanè ſcire non poſſe, opuſne illud perfectum, an imperfectum ſit. Atque hanc videri primam fuiſſe horum vocabulorum conceptionem.* Reſpicit ſic ad vocis etymologiam & ſignificationem paſſivam, quâtenus *Perfectum* dicitur à *Perficio*, de quo nolumus cum ipſo contendere. Aliam præterea perfectionis acceptionem adducit, ſcilicet, *quod poſtquam homines ideas univerſales formare, & domuum ædificiorum, turrium &c. exemplaria excogitare, & alia rerum exemplaria aliis præferre cœperunt, factum ſit, ut unuſquiſque id perfectum vocaret, quod*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

cum univerſali ideâ, quam ejusmodi rei formaverat convenire, & id contra imperfectum, quod cum concepto ſuo exemplari minus convenire videret, quanquam ex opificis ſententia conſummatum planè eſſet. Qua occaſione ulterius oſtendit, *homines ex illâ præconcepta opinione ſolere credere, Naturam ipſam defeciſſe vel rem imperfectam reliquiſſe.* Quæ ſic non ita difficiles admittere poſſumus. Sed perperam hæc generalia nunc applicat Deo dicens *ipſum agere ex naturæ neceſſitate eadem, ex qua exiſtit*, quod quo ſenſu intelligat conſtat ex Prop. 16. I. quam ſuperius falſitatis manifeſtæ convicimus. Negat etiam, *Deum ullius finis cauſa agere ex eo, quia nullius finis cauſa exiſtat.* De quo quid ſit cenſendum diximus ad Appendicem primæ Partis. Conſequentia iſta, *Deus nullius finis cauſa exiſtit : Et nullius finis cauſa agit* procederet, ſi per finem Dei aliquid extra Deum ſtatueremus; ſic enim rectè colligitur: Deus non exiſtit propter aliquid aliud à ſe : Ergo nec propter aliquid aliud à ſe agit ; malè verò hoc modo conſequentia inſtituitur: Deus non exiſtit propter aliquid aliud à ſe : Ergo non poteſt ipſemet eſſe finis omnium aliarum rerum, cùm planè contrarium ſit colligendum; Deus propter ſemetipſum exiſtit, quia infinita perfectio non poteſt non exiſtere : Ergo etiam propter ſemetipſum agit, quia infinitum Ens non poteſt non propter ſe agere. Obſervandum, ea quæ dicuntur finis cauſa exiſtere, eo ipſo ſtatui minoris eſſe dignitatis, quàm illum ipſum finem, cujus cauſa exiſtunt. Ita veſtes minoris dignitatis ſunt quàm homines, idem cenſendum de ædificiis aliiſque. Supponuntur tamen iſta omnia commodum aliquod conferre ei, cujus cauſa exiſtunt. Sic nec Deus propter aliud exiſtit, nec aliæ res exiſtunt propter Deum, quaſi Deus inde aliquod commodum acciperet, quod cum ejus ſumma perfectione è diametro pugnaret. Aliæ tamen res omnes præter Deum exiſtunt propter Deum, tum quatenus ab ipſo ſunt productæ, tum quatenus eas deſtinat ad ſe, ac ita inſerviant creaturis rationalibus ad ſe cognoſcendum & celebrandum, cùm hoc ſit ad quod creaturæ rationales ſua natura tendunt, atque hæc ipſa Dei cognitio & communio cum Deo quam maximè faciat ad iſtarum creaturarum majorem perfectionem. De cauſis finalibus, quas homines ſibi proponunt, inquit: *Cauſam finalem nihil eſſe præter ipſum humanum appetitum, quâtenus is alicujus rei veluti principium ſeu cauſa primaria conſideratur. Ex. gr. cum dicimus, habitationem cauſam fuiſſe finalem hujus aut illius domus,*

nihil

nihil tunc ſanè intelligimus aliud, quàm quòd homo ex eo, quòd vitæ domeſticæ commoda imaginatus eſt, appetitum habuit ædificandi domum. Quare habitatio, quâtenus ut finalis cauſa conſideratur, nihil eſt præter hunc ſingularem appetitum, qui reverâ eſt cauſa efficiens, quæ ut prima conſideratur, quia homines ſuorum appetituum cauſas communiter ignorant. Sunt namque, ut jam ſæpe dixi ſuarum quidem actionum & appetituum conſcii, ſed ignari cauſarum, à quibus ad aliquid appetendum determinantur. In quibus contradictionem deprehendo: Si enim homo ex eo, quòd vitæ domeſticæ commoda imaginatur eſt, appetitum habuit ædificandi domum: Cauſa ergo finalis eſt aliquid aliud præter appetitum: Commodum nempe iſtud & bonum, quod appetitum movet. Et ſanè ſicut Objectum diſtinguitur ab actu noſtræ mentis, qui circa illud verſatur, ita hîc quoque habitatio, quæ eſt Objectum appetitus humani ab ipſo appetitu eſt diſtinguenda. Ut *Perfectum* ita concipiamus, *ut per perfectionem & realitatem idem intelligamus*, non repugnamus. Verum etiam eſt, *ſolere nos omnia Naturæ individua ad unum genus, quod generaliſſimum appellatur, revocare; nempe ad notionem entis, quæ ad omnia abſolutè individua pertinet;* ſed illa notio Entis nobis à notione ſubſtantiæ non differt; quæ enim ſubſtantiæ non ſunt, nec Entis nomen merentur, ſed modi tantùm Subſtantiæ vel Entis dici debent: Unde colligimus, notionem Subſtantiæ ad omnia abſolutè individua pertinere, adeoque non unam eſſe tantum Subſtantiam, prout cenſet Spinoza, ſed plures. Rectè verò ex iſtis deducit, quod *quatenus Naturæ individua ad hoc genus revocamus & ad invicem comparamus, & alia plus entitatis ſeu realitatis, quam alia habere comperimus, eatenus alia aliis perfectiora eſſe dicamus; & quatenus iiſdem aliquid tribuimus, quod negationem involvit, ut terminus, finis, impotentia &c. ipſa imperfecta appellemus, quia noſtram mentem non æquè afficiunt, ac illa, quæ perfecta vocamus, & non quod ipſis aliquid, quod ſuum ſit, deficiat, vel quod Natura peccaverit.* Tandem quædam adjungit de Bono & Malo quibus conatur probare, quod ſonent aliquid merè reſpectivum, quâ de re eſt dictum ad Append. p. I. quæ hîc repetere nolumus: Sed id quod de Bono & Malo reſpectivè ſumtis, ſic quidem ſano ſenſu concedimus non eò uſque eſt trahendum, ac ſi nullum detur Bonum, quod pro abſolutè Bono debeat haberi, prout oſtendimus ad Schol. Prop. 39. III. ad quæ lectorem ablegamus. Dicit, *per Bonum ſe in ſequentibus intellecturum id, quod certò ſcimus, medium eſſe, ut ad exemplar*

humanæ naturæ, quod nobis proponimus, magis magisque accedamus. Per malum autem id, quod certò ſcimus impedire, quò minus idem exemplar referamus. Nos autem non negamus, licere ipſi vocabula eo ſenſu uſurpare, quo voluerit, modo non recedat ab uſu recepto, quem immutare privato non licet, quod tamen in ſuperioribus ſæpius conatus eſt facere. Poteſt etiam eo ſenſu *homines perfectiores aut imperfectiores dicere, quâtenus ad hoc idem exemplar magis aut minus accedunt.* Nec poſſumus repudiare hanc ejus verborum, *quando dicit, aliquem à minore ad majorem perfectionem tranſire & contrà*, explicationem, *ſe* nempe *non intelligere, quod ex unâ eſſentiâ, ſeu formâ in aliam mutetur; Equum namque ex. gr. tam deſtrui ſi in hominem, quàm ſi in inſectum mutetur: Sed quòd ejus agendi potentiam, quâtenus hæc per ipſius naturam intelligitur, augeri vel minui concipimus.* Iterum repetit, *ſe per perfectionem in genere realitatem intellecturum, hoc eſt, rei cujuscunque eſſentiam, quatenus certo modo exiſtit, & operatur, nulla ipſius durationis habita ratione Nam nullam rem ſingularem poſſe ideo dici perfectiorem, quia plus temporis in exiſtendo perſeveravit; quippe rerum durationem ex earum eßentia determinari non poſse; quandoquidem rerum eſſentia nullum certum & determinatum tempus exiſtendi involvit; ſed res quæcunque, ſive ea perfectior ſit, ſive minùs, eadem vi, qua exiſtere incipit, ſemper in exiſtendo perſeverare poterit, ita ut omnes hac in re æquales ſint;* circa quæ hoc cenſemus obſervandum, quòd quantum attinet ad Deum, (quamvis in eum propriè loquendo nulla cadat duratio, ut pote cùm hujus natura in ſucceſſione conſiſtat,) ex ipſius eſſentia abſoluta ſequatur æternitas, quæ æternæ Durationi ſi quæ eſſet æquivalet; quantum verò attinet ad Mentem humanam, hactenus ex ejus eſſentia determinari poſſe æternam durationem, quatenus, cùm ſit ſubſtantia intellectualis, nihil eſt, quod eam queat deſtruere, excepto ſolo Deo, ſi is ſuum influxum vel ad momentum ſuſpendere velit.

EXA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EXAMEN DEFINITIONUM.

DEFINIT. I. *Per bonum id intelligam, quod certò ſcimus nobis eſſe utile.*

DEFINIT. II. *Per malum autem id, quod certò ſcimus impedire, quo minus boni alicujus ſimus compotes.*

QUas definitiones nos admittere ex iis, quæ diximus ad Præfationem, conſtare poteſt.

DEFINIT. III. *Res ſingulares voco contingentes, quâtenus dum ad earum ſolam eſſentiam attendimus, nihil invenimus, quòd earum exiſtentiam neceſſario ponat, vel quod ipſam neceſſario ſecludat.*

DEFINIT. IV. *Eaſdem res ſingulares voco poſſibiles, quâtenus, dum ad cauſas, ex quibus produci debent, attendimus, neſcimus, an ipſæ determinatæ ſint ad eaſdem producendum.*

NOs illas definitiones facilè admittimus, ſi intelligantur de rebus creatis, non vero ſi extendantur ad ipſum Deum. Deus enim cùm non poſſit dici res Univerſalis, debet ergo haberi pro *Re ſingulari*, quin imò eſt Res quàm maximè ſingularis, quippe totâ eſſentiâ ab omnibus aliis rebus diſtinctus & ſeparatus.

DEFINIT. V. *Per contrarios affectus in ſequentibus intelligam eos, qui hominem diverſum trahunt,* (voluit dicere *in diverſum*) *quamvis ſint ejuſdem generis, ut luxuries & avaritia, quæ amoris ſunt ſpecies; nec naturâ, ſed per accidens ſunt contrarii.*

TRanſeat & iſta, modo obſervetur, luxuriem & avaritiam ſuâ naturâ eſſe vitioſa, neque propterea in numerum affectuum rectè referri, niſi per Luxuriem ſimpliciter intelligatur amor Veneris, & per Avaritiam Amor divitiarum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

DEFINIT. VI. *Quid per affectum erga rem futuram, præſentem & præteritam intelligam explicui in Schol.* I & II. *Prop.* 18. *p.* III. *quod vide.*

NOs ſuo loco illud vidimus, neque ei contrariamur. Huic definitioni notam quandam adjicit & inquit: *Sed venit hîc præterea notandum, quod ut loci, ſic etiam temporis diſtantiam non, niſi uſque ad certum quendam limitem, poſſumus diſtinctè imaginari; hoc eſt, ſicut omnia illa objecta, quæ ultra ducentos pedes à nobis diſtant, ſeu quorum diſtantia à loco, in quo ſumus, illam ſuperat, quam diſtinctè imaginamur, æquè à nobis diſtare, & perinde, ac ſi in eodem plano eſſent, imaginari ſolemus; ſic etiam objecta, quorum exiſtendi tempus longiore à præſenti intervallo abeſſe imaginamur, quàm quod diſtinctè imaginari ſolemus, omnia æquè longè à præſenti diſtare imaginamur, & ad unum quaſi temporis momentum referimus.* Cui notæ nolumus contradicere.

DEFINIT. VII. *Per finem, cujus cauſâ aliquid facimus, appetitum intelligo.*

ATqui id fieri non poteſt, niſi per confuſionem objecti cum actu, qui circa illud Objectum verſatur, quod vitium fugiendum eſt quàm maximè iis, qui Demonſtrationibus Mathematicis, uti volunt. Nec confundendus eſt, appetitus finis & appetitus mediorum, quæ altera eſt in hác definitione confuſio.

DEFINIT. VIII. *Per virtutem & potentiam idem intelligo, hoc eſt* (per Prop. 7. p. 3.) *virtus, quâtenus ad hominem refertur, eſt ipſa hominis eſſentia, ſeu natura, quâtenus poteſtatem habet quædam efficiendi, quæ per ſolas ipſius naturæ leges poſſunt intelligi.*

HUic non repugnaremus, niſi per Virtutem Spinoza hîc intelligeret Virtutem Moralem, quod cognoſcere poſſumus ex Scholio Prop. 18. IV. unde malè admodum hîc confundi Potentiam agendi & Virtutem Moralem clariſſimè patere poteſt.

EXA-

EXAMEN AXIOMATUM.

Nulla res ſingularis in rerum naturâ datur, quâ potentior & fortior non detur alia. Sed quacunque datâ datur alia potentior, à quâ illa data poteſt deſtrui.

TAntum abeſt, ut hoc pro Axiomate & notione communi debeat admitti, ut potius tanquam falſiſſimum & abſurdum debeat rejici. Supponit enim cauſarum progreſſum in infinitum qui tamen nec intelligi, nec probari poteſt, quod etiam obſervavimus ad Prop. 28. I. Et ſanè ſic manifeſte evertitur Deus, & nunquam ad ipſum pervenietur, vel dicendum erit, quod ille quoque ab aliâ cauſa ſingulari poterit deſtrui, vel non erit res ſingularis, ſed univerſalis; quæ omnia ſua abſurditate concidunt.

EXAMEN PROPOSITIONUM.

PROPOSITIO I. *Nihil, quod idea falſa poſitivum habet tollitur præſentiâ veri, quatenus verum.*

IN hac Propoſitione ſupponitur, quòd dentur ideæ falſæ, quod ad Prop. 35. II. rejecimus, unde in hac Propoſitione modum loquendi potius, quàm ipſam rem reprehendimus. Verum eſt in errore eſſe aliquid poſitivum, quod eo ipſo eſt verum, atque ita non poteſt dici tolli præſentia veri. Verum enim vero non contradicit.

Demonſtratio nititur Prop. 35. II. quam falſitatis convicimus, unde ſponte ſua cadit.

In Scholio non malè explicat Propoſitionem I. adducendo exemplum ejus ideæ, quam falſam appellat, *ideam* nempe *ſolis diſtantiæ à nobis*, prout ea per imaginationem formatur. Etſi enim per rationem cognitum habeamus, ſolem longius à nobis diſtare, quàm pedibus ducentis, per id tamen non deletur iſtud poſitivum in ideâ per imaginationem factâ, quæ ducentos tantùm pedes intervalli repræ-

 ſen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſentat; cùm iſta idea tantum explicet eâtenus ſolis naturam, quatenus Corpus ab eodem afficitur. Id quod ſimili illuſtrat idea, quam formamus de ſole, dum ejus radii aquæ ſuperficiei incidentes ad noſtros oculos reflectuntur, unde fit, ut eum, ac ſi in aqua eſſet, imaginemur, tametſi verum ejus locum noverimus. Obſervat porrò, *fieri quidem, cum falſò aliquod malum timemus, ut timor evaneſcat, audito vero nuncio; ſed contra etiam fieri, cum malum, quod certè venturum eſt, timemus, ut timor etiam evaneſcat, audito falſo nuncio, atque adeo imaginationes non præſentia veri, quatenus verum, evaneſcunt; ſed quia aliæ occurrunt iis fortiores, quæ rerum, quas imaginamur, præſentem exiſtentiam ſecludunt ut Prop.* 17. II. *oſtendimus*; in quibus nihil reperimus, quod noſtro calculo nequeamus approbare.

PROP. II. *Nos eatenus patimur quatenus Naturæ ſumus pars, quæ per ſe abſque aliis non poteſt concipi.*

SI intelligatur per Naturam ea, quæ Naturata ſolet dici, quæque Deo, qui eſt Natura naturans opponitur, poſſumus iſtam Propoſitionem admittere. Sic nec Demonſtrationem rejicimus, quæ nititur Defin. 2. & 1. Partis III.

PROP. III. *Vis, quâ homo in exiſtendo perſeverat, limitata eſt, & à potentia cauſarum externarum infinitè ſuperatur.*

HAnc Propoſitionem concedimus, ſi reſpiciatur ad illam cauſam externam, quæ eſt Deus, quæ procul dubio infinitè ſuperat vim, quâ homo in exiſtendo perſeverat, ſed non ſi de aliis cauſis externis fiat ſermo, prout Spinoza iſtam Propoſitionem accipit, plurium externarum cauſarum faciens mentionem. Demonſtratio tota nititur Axiomate illo ſupra examinato, quod falſitatis manifeſtæ convicimus. Et ſanè ſi hæc Propoſitio extendatur quoque ad hominis animam manifeſtè convellet ejus immortalitatem, ut ſaltem ex Naturæ lumine nihil ad eam probandam queat adduci, ut ita ab omni parte falſitas & abſurditas iſtius Propoſitionis elucescat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop. IV. *Fieri non poteſt, ut homo non ſit Naturæ pars, & ut nullas poſſit pati mutationes, niſi, quæ per ſolam ſuam naturam poſſit intelligi, quarumque adæquata ſit cauſa.*

HAnc Propoſitionem facilè admittimus, tanquam experientiâ adeoque à poſteriori ſatis confirmatam. Demonſtrationem rejicimus, nixam quippe falſis fundamentis, ut eſt Prop. 7. III. & & commune illud paſſim à Spinoza uſurpatum, *quòd ipſa Dei potentia ſit formaliter potentia hominis, quatenus per humanam eſſentiam explicari poteſt*; qua ratione Deus, & creatura planè inter ſe invicem confunduntur. Altera pars Demonſtrationis nititur Prop. 6. III. manifeſtè falſa. Verum eſt, quod ſi homo ſemper neceſſariò exiſteret, id ſequi deberet ex Dei infinita potentia, ſed quæ junctam habeat efficacem ejus voluntatem, qua omne malum ab homine averteret, & omne quod ad conſervationem ſit utile conferret. Neque verò id propterea ſequi deberet ex neceſſitate Dei naturæ, Prop. enim 16. I. falſiſſimam eſſe demonſtravimus, falſa etiam eſt Prop. 21. II. Nihil autem repugnare, ut homo ſemper exiſtat (quod fides docet futurum eſſe poſt reſurrectionem) facillimè poteſt evinci. Supponamus, hominem aliquando in tali ſtatu eſſe, qui ipſi eſt optimus, in quo corpus & anima commodiſſimè ſe habent; quid quæſo hîc eſt repugnantiæ, ſi dicamus, eum in tali ſtatu in æternum poſſe conſervari? Nec enim Deo nec homini id repugnat, quia ſi repugnaret, nunquam in illo ſtatu poſſet, quod eſt contra hypotheſin; nulla quoque eſt repugnantia in aliis, quæ hominem circumſtant, quoniam cum iſta omnia ſemper dependeant à Deo, ſemper à Deo ſic queunt dirigi, ut illas tantùm in homine efficiant mutationes, quæ ipſius optimo ſtatui non repugnent, cujuſmodi varias eſſe poſſe nemo dubitabit.

Corollarium admittimus, quod eſt, *hominem neceſſario paſſionibus eſſe ſemper obnoxium, communemque ordinem ſequi & eidem parere, ſeſeque eidem, quantum rerum natura exigit, accomodare.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop. V. *Vis & incrementum cujuſque Paſſionis, ejuſque in exiſtendo perſeverantia non definitur potentiâ, quâ nos in exiſtendo perſeverare conamur; ſed cauſæ externæ potentiâ cum noſtra comparatâ.*

CONcedimus hanc Propoſitionem, quæ ex ipſa natura affectuum ſive Paſſionum animi ſatis eſt perſpicua. Demonſtratione Spinozæ non egemus, & ea quoque fundamentis nititur falſis, cujuſmodi eſt Prop. 7. III. & 16. II.

Prop. VI. *Vis alicujus paſſionis, ſeu affectus, reliquas hominis actiones, ſeu potentiam ſuperare poteſt, ita ut affectus pertinaciter homini adhæreat.*

HAnc etiam concedimus libenter, non tamen ob Spinozæ demonſtrationem, quæ nititur Prop 3. IV. quæ falſa eſt; ſed quia Propoſitio illa clarior eſt, quàm ut demonſtratione indigeat.

Prop. VII. *Affectus coërceri, nec tolli poteſt, niſi per affectum contrarium, & fortiorem affectu coërcendo.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio & planè repugnans iis, quæ in ſequentibus conatur ſtabilire auctor, quòd nempe affectus per rationem debeant coërceri vel tolli.

Demonſtratio Spinozæ nititur variis falſis fundamentis, cujuſmodi eſt *generalis affectuum definitio, quæ reperitur ſub finem Tertiæ Partis*, item Prop. 6. II. *Axioma* 1. IV. Prop. 12. III. unde mole ſuâ ruit.

Corollarium, quod ex hac falſâ Propoſitione fluit, verum eſſe non poteſt: *Affectus, quâtenus ad Mentem refertur, nec coërceri nec tolli poteſt, niſi per ideam corporis affectionis contrariæ & fortioris affectione, quâ patimur.*

Prop. VIII. *Cognitio boni & mali, nihil aliud eſt, quàm Lætitiæ vel Triſtitiæ affectus, quatenus ejus ſumus conſcii.*

HOmini huic conſuetum eſt, ea continuo confundere, quæ manifeſtè inter ſe invicem differunt. In ſuperioribus confudit Deum cum creatura, mentem cum corpore, hominem cum beſtiâ, Lætitiam cum Amore, Ideam cum Voluntate & judicio, nunc etiam cognitionem boni & mali cum Lætitiâ & Triſtitiâ conatur confundere. Fatemur equidem cognitionem boni & mali, quæ practica ſolet appellari, neceſſariò generare Lætitiam vel Triſtitiam, ſed poſſumus theoreticè cognoſcere bonum & malum, absque Lætitiæ vel Triſtitiæ affectu. Cognoſcere ubique poſſumus, aliquid nobis eſſe utile, quod tamen quamdiu non obtinemus ſive poſſidemus, non poteſt in nobis oriri Lætitia; ſimiliter judica de malo. Demonſtrationem verò nullo modo admittimus, quia ſtabilitur iis fundamentis, quorum falſitas jam antea eſt perſpecta; ut ſunt Prop. 7. III. Defin. Lætitiæ & Triſtitiæ Prop. 11. III. Prop. 22. II. Prop. 21. II. & generalis affectuum Definitio.

Prop. IX. *Affectus, cujus cauſam in præſenti nobis adeſſe imaginamur, fortior eſt, quàm ſi eandem non adeſſe imaginaremur.*

HAnc Propoſitionem concedere poſſumus, quia cauſa, quam imaginamur præſentem eſſe, eoſdem edere poteſt effectus, quos cauſa ipſa verè præſens producit.

Demonſtrationem rejicimus propter *generalem affectuum definitionem*, quam falſam eſſe oſtendimus, quâ, inter alia fundamenta, nititur.

In Scholio notat, *ſe non negare*, imaginem rei præteritæ vel futuræ *debiliorem reddi, quando alias res nobis præſentes contemplamur, quæ rei futuræ præſentem exiſtentiam ſecludunt*, quod tanquam limitationem iſtius Propoſitionis accipere poſſumus.

Corollario etiam non contradicimus. *Imago rei futuræ, vel præteritæ, hoc eſt, rei, quam tum relatione ad tempus futurum vel præteritum ſecluſo præſenti contemplamur, cæteris paribus, debilior eſt imagine rei præſentis, & conſequenter affectus erga rem futuram, vel præteritam, cæteris paribus, remiſſior eſt affectu erga rem præſentem.*

PROP. X. *Erga rem futuram, quam cito affuturam imaginamur, intenſius afficimur, quàm ſi ejus exiſtendi tempus longius à præſenti diſtare imaginaremur; & memoria rei, quam non diu præteriiſſe imaginamur, intenſius etiam afficimur, quàm ſi eandem diu præteriiſſe imaginaremur.*

HÆc Propoſitio facile poteſt admitti: Prior pars propterea, quia quod imaginamur cito futurum habemus pro præſenti; poſterior pars, quia imagines in cerebro, vel veſtigia ſi malis appellare, cum tempore delentur, quæ ab initio ſunt magis vivida.

Nec repudiamus ipſius Spinozæ demonſtrationem, quam etiam adjicimus: *Quatenus enim rem cito affuturum, vel non diu præteriiſſe imaginamur, eo ipſo aliquid imaginamur, quod rei præſentiam minus ſecludit, quàm ſi ejuſdem futurum exiſtendi tempus longius à preſenti diſtare, vel quod dudum præterierit, imaginaremur* (ut per ſe notum) *adeoque* (per præced. Prop.) *eatenus intenſius erga eandem afficiemur.*

Scholio quoque non poſſumus contradicere: *Ex iis quæ ad definitionem 6 hujus Partis notavimus, ſequitur, nos erga objecta, quæ à præſenti longiori temporis intervallo diſtant, quàm quod imaginando determinare poſſumus, quamvis ab invicem longo temporis intervallo diſtare intelligamus, æquè tamen remiſſe affici.*

PROP. XI. *Affectus erga rem, quam ut neceſſariam imaginamur, cæteris paribus, intenſior eſt, quam erga poſſibilem, vel contingentem, ſive non neceſſariam.*

EXemplis res hæc clarior foret, quo tamen modo docendi non ſolet hic ſcriptor uti. v. gr. Amor erga Deum, cæteris paribus hoc eſt ſi Deum ritè cognoſcamus qualis eſt, intenſior eſt, quàm erga hominem vel aliud quidvis. Ratio hujus rei eſt, quòd plus bonitatis & perfectionis in Deo concipiamus, quàm in ullâ aliâ re, quæ bonitas nos ad amandum trahit.

Non tamen rejicimus demonſtrationem Spinozæ, quam apponimus: *Quâtenus rem aliquam neceſſariam eſſe imaginamur, eatenus ejus exiſtentiam affirmamus, & contrà rei exiſtentiam negamus, quatenus eandem*

dem non neceſſariam eſſe imaginamur (per Schol. 1. Prop. 33 p. I.) *ac proin-de* (per Prop. 9 hujus) *affectus erga rem neceſſariam, cæteris paribus, intenſior eſt, quàm erga non neceſſariam.*

PROP. XII. *Affectus erga rem, quam ſcimus in præſenti non exiſtere, & quam ut poſſibilem imaginamur, cæteris paribus, intenſior eſt, quam erga contingentem.*

ET hanc admittimus. Demonſtrationem adjungimus Spinozæ. *Quatenus rem ut contingentem imaginamur, nulla alterius rei imagine afficimur, quæ rei exiſtentiam ponat* (per Defin. 3. hujus) *ſed contrà* (ſecundum hypotheſin) *quædam imaginamur, quæ ejuſdem præſentem exiſtentiam ſecludunt. At quatenus rem in futurum poſſibilem eſſe imaginamur, eâtenus quædam imaginamur, quæ ejusdem exiſtentiam ponunt* (per Defin. 4. hujus) *hoc eſt*, (per Prop. 18. p. 3) *quæ Spem vel Metum fovent; atque adeo affectus erga rem poſſibilem vehementior eſt.* Ubi obſervandum, ex Defin. 4. hujus non aliud conſtare, quàm quòd cauſæ ponantur iſtius rei, quæ poſſibilis dicitur, ita tamen ut neſcias, an illæ ſint determinatæ ad agendum, & propterea neſcis, an illæ ejuſdem exiſtentiam ponant, ſicque illa demonſtratio non firmo ſatis ſtat talo.

Corollarium huic Propoſitioni adjunctum libenter admittimus: *Affectus erga rem, quam ſcimus in præſenti non exiſtere, & quam ut contingentem imaginamur, multò remiſſior eſt, quàm ſi rem in præſenti nobis adeſſe imaginaremur.* Demonſtratio iſtius Corollarii etiam rite ſe habet, quam videre licet apud Spinozam.

PROP. XIII. *Affectus erga rem contingentem, quàm ſcimus in præſenti non exiſtere, cæteris paribus remiſſior eſt, quam affectus erga rem præteritam.*

VEra eſt hæc Propoſitio, & poteſt ejus veritas facillimè cognoſci, ſi tantùm cogitemus, rem præteritam imaginem ſui in memoriâ reliquiſſe, tanquam exiſtentis ſuo tempore, nullam autem talem imaginem de re tali contingente in cerebro exiſtere. Demon-

ſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſtrationem Spinozæ qui cognoſcere velit, poterit ipſum adire, & deprehendet, rite ſe habere.

PROP. XIV. *Vera boni & mali cognitio, quatenus vera, nullum affectum coërcere poteſt; ſed tantùm, quatenus ut affectus conſideratur.*

HÆc Propoſitio falſiſſima eſt; & planè repugnat Parti V. in qua vult docere, per rationem regi debere affectus: ſi enim vera boni & mali cognitio, quatenns vera, non poteſt affectum ullum coërcere: E. ratio in qua vera eſt boni & mali cognitio, nullum affectum poteſt coërcere. Cognitio etiam ſive veri ſive mali quatenus eſt cognitio, non poteſt ut affectus conſiderari. Videamus tamen quomodo Spinoza hanc Propoſitionem demonſtret. Nititur iſta dedemonſtratio generali affectuum tertia Definitione III. Parti præmiſſæ, quam nos ut incommodam & erroneam rejecimus. Nititur item Prop. 7. & 8. III. quæ omnes ſunt falſæ.

PROP. XV. *Cupiditas, quæ ex vera boni & mali cognitione oritur, multis aliis cupiditatibus, quæ ex affectibus, quibus conflictamur, oriuntur, reſtingui vel coërceri poteſt.*

HUic Propoſitioni nolumus contradicere, quamvis demonſtratio, qua utitur auctor, multis modis ſit infirma. Prop. 8. IV. falſa eſt; falſa quoque eſt oſtenſa Prop. 3. III. ut & Prop. 3. IV. ſicut etiam Prop. 7. IV. Sed hoc conſuetum eſt homini iſti, qui cùm debuiſſet lucem inferre rebus ſuis Demonſtrationibus, utitur iis tam intricatis, ut tenebras potius videatur lectori voluiſſe offundere.

PROP. XVI. *Cupiditas, quæ ex cognitione boni & mali, quatenus hæc cognitio futurum reſpicit, oritur, facilius rerum Cupiditate, quæ in præſentiâ ſuaves ſunt, coërceri vel reſtingui poteſt.*

ADmittimus hanc quoque Propoſitionem, nec demonſtrationi repugnamus, quæ nititur Coroll. Prop. 9. & Prop. præced. quarum veritatem perſpeximus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop. XVII. *Cupiditas, quæ oritur ex vera boni & mali cognitione, quatenus hæc circa res contingentes verſatur, multò adhuc facilius coërceri poteſt Cupiditate rerum, quæ præſentes ſunt.*

HÆc Propoſitio evidens ſatis eſt, & rectè educitur ex Corollario Prop. 12. IV.

In Scholio commemorat, quid oſtenderit in antecedentibus & quem in finem id fecerit, in quo nihil reprehenſione dignum nobis occurrit; poterit id videri apud Auctorem.

Prop. XVIII. *Cupiditas, quæ ex Lætitia oritur, cæteris paribus, fortior eſt Cupiditate, quæ ex Triſtitia oritur.*

POſſumus iſtam Propoſitionem admittere vel ob hanc unicam rationem, quòd Lætitia nos ad agendum magis incitet quàm Triſtitia, quod ipſa experientia ſatis videtur comprobare. Demonſtratio verò Spinozæ nititur Definitione I. Affectuum, Definitione item Lætitiæ & Triſtitiæ propoſitis in Schol. Prop. 11. III. quas rejecimus.

In *Scholio* tranſitionem inſtituit, qua docet quid hactenus à ſe ſit actum, & quid poſtea ſit agendum. Rationis dictamina proponit, ac primùm inquit: *Cum ratio nihil contra naturam poſtulet, poſtulat ergo ipſa, ut unuſquisque ſe ipſum amet, ſuum utile, quod revera utile eſt, quærat, & id omne, quod hominem ad majorem perfectionem revera ducit, appetat, & abſolutè, ut unuſquisque ſuum eſſe, quantum in ſe eſt, conſervare conetur. Quod quidem tam neceſſariò verum eſt, quam quod totum ſit ſua parte majus.* (Vide Prop. 4. III.) Hæc faciles concedimus, non ita quæ ſequuntur. Nititur Spinoza Defin. 8. IV. quam nos repudiavimus ut & Prop. 7. III. quæ pro falſa fuit rejecta. Falſum eſt, quod Moralis Virtus nihil ſit aliud, quàm ex legibus propriæ naturæ agere, niſi per propriam naturam intelligas rectam rationem. Deducit porro ex his, *quòd virtutis fundamentum ſit ipſe conatus proprium eſſe conſervandi, quodque felicitas in eo conſiſtat, quòd homo ſuum eſſe conſervare poteſt.* Scil. ex falſis & abſurdis non niſi falſa & abſurda ſequi poſſunt, cujuſmodi eſt hæc aſſertio juxta quam dicendum erit, Furem, Latronem, opponentem ſe lictoribus, eoſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

trucidantem virtutem exercere, quia ſuum eſſe conſervare conatur; imò quemvis, qui in viâ cum altero eſt, eumque occidit, quia ſic liberatur à metu, ne ab altero occidatur, cùm ſic conetur ſuum eſſe conſervare, virtute præditum eſſe; & quæ ſunt alia ſimilis generis. Sed non mirandum eſt, hominem hunc talia ſentire, quia nullum abſolutè bonum novimus ipſum agnoſcere, cujus contrarium nos oſtendimus ad Schol. Prop. 39. III. & alibi. Virtutis fundamentum eſt cognitio ſui ipſius in ordine aliarum rerum, ut & quem habeat reſpectum ad Deum, ad alios homines, ad mundum, ſive ad quaſvis alias creaturas, & juxta iſtam cognitionem vitam ſuam dirigere. Plus ergo Deum debet æſtimare adeoque & diligere ac ſemetipſum, ſemetipſum poſt Deum & ad Deum, atque ita reliquos homines debet diligere ſicut ſemetipſum, adeoque poſt Deum & in ordine ad Deum, ut velit eos eſſe ad Dei gloriam ſicque eò & ſemetipſum & alios, quantum poteſt, dirigere. Alterum, quod hinc deducit, verum eſt, ſi quidem recto ſenſu id intelligatur, *Virtutem propter ſe eſſe appetendam, nec quicquam, quod ipſa præſtabilius, aut quod utilius nobis ſit, dari cujus cauſa deberet appeti.* Sed ſi virtus moralis ipſi nihil ſit aliud, quam ſtudium proprium ſuum eſſe conſervandi, nihil hac ſententia erit abſurdius, quod patet ex dictis. Tertium eſt, *eos, qui ſe interficiunt, animo eſſe impotentes, eoſque à cauſis externis ſuæ naturæ repugnantibus prorſus vinci.* Hoc omnino concedimus; certum enim eſt, nos teneri ad noſmet ipſos conſervandum, quia non ſumus noſtri juris, ſed Dei, cujus nutu in hunc mundum venimus, cujuſque ſolius nutu ex hoc abire licet: Sed ex principiis Spinozæ, ſi poſt hanc vitam nulla ſit alia melior, procul dubio is non perperam egerit, qui omnibus malis onuſtus & miſeriis, more Stoicorum ſibi ipſi fecerit exitum, quia illi melius eſt non eſſe quàm ſub inextricabilibus miſeriis conflictari. His addit, *quod ex poſtulato* 4. *Partis II. ſequatur, nos efficere nunquam poſſe, ut nihil extra nos indigeamus ad noſtrum eſſe conſervandum, & ut ita vivamus, ut nullum commercium cum rebus, quæ extra nos ſunt habeamus;* ubi puto, ipſum ſcribere voluiſſe, *ex Axiomate* 4. *Partis II.* quod eſt; *Nos corpus quoddam multis modis affici ſentimus* (nulla enim iſti Parti II. Poſtulata præmittuntur) & facile concedo, hoc exinde legitime colligi poſſe, ſicut & id, quod adjungit ex parte pro vero habemus. *Si præterea,* inquit, *noſtram mentem ſpectemus, ſane noſter intellectus imperfectior eſſet, ſi Mens ſola eſſet, nec quicquam præter ſemetipſam intelligeret.*

Ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Verum hîc eſt, noſtrum intellectum imperfectiorem fore, ſi Mens nihil præter ſemetipſam intelligeret, ſed non eſt verum, *noſtrum intellectum imperfectiorem fore, ſi Mens ſola eſſet.* Quod ſi enim ſupponamus, mentem nihil intelligere præter ſemetipſum & Deum, non poſſet ſane dici, noſtrum intellectum fore imperfectiorem, nam in Dei intellectione & cognitione ſuam reperiret perfectionem. Fateor equidem, ſi ſupponamus, mentem noſtram eſſe unitam corpori, quod multis modis affici ſentimus, quod hîc ſupponere videtur, & ſi jam porrò cum Spinozâ ſtatuamus, mentem ita à corpore pendere, ut eo deſtructo etiam ipſa eſſe deſinat, mentem fore imperfectiorem, ſi non intelligeret corpora, quæ ſe afficiunt, ſic revera ſequeretur id quod dicit: Neque tantùm hoc inde ſequeretur, verùm etiam amplius juxta Spinozæ Principia eſſet dicendum, ſi mens ſola eſſet nihil planè fore; nullam enim habitura eſſet eſſentiam, ſi eſſentia mentis conſiſteret in idea corporis actu exiſtentis, quod in ſuperioribus ſanxit. At nos iſta omnia pro falſis habemus, quod etiam in ſuperioribus jam annotatum fuit. Videamus illum porro ratiocinantem: *Ex his nulla præſtantiora excogitari poſſunt, quàm ea, quæ cum noſtrâ naturâ prorſus conveniunt. Si enim duo ex. gr. ejuſdem prorſus naturæ individua invicem junguntur, individuum componunt ſingulo duplo potentius. Homini igitur nihil homine utilius, nihil inquam, homines præſtantius ad ſuum eſſe conſervandum, optare poſſunt, quàm quòd omnes in omnibus ita conveniant, ut omnium mentes & corpora unam quaſi mentem, unumque corpus componant, & omnes ſimul, quantum poſſunt, ſuum eſſe conſervare conentur, omneſque ſimul omnium commune utile ſibi quærant; ex quibus ſequitur, homines, qui ratione gubernantur, hoc eſt, homines qui ex ductu rationis ſuum utile quærunt, nihil ſibi appetere, quod reliquis hominibus non cupiant, atque adeo eoſdem juſtos, fidos, atque honeſtos eſſe.* Nos verò libenter concedimus ſocietatem humanam niti communi utilitate, non tamen quaſi id unicum ſit fundamentum conſervationis aliorum, quod nos, uti ex ante dictis conſtare poteſt, derivamus ex Amore. Tandem inquit, ſe *hæc eâ de cauſa propoſuiſſe, ut, ſi fieri poſſet, eorum attentionem ſibi conciliaret, qui credunt, hoc principium, quod ſcilicet unuſquiſque ſuum utile quærere tenetur, impietatis, non autem virtutis & pietatis eſſe fundamentum.* Sed ille nimis generatim hæc propoſuerat in ſuperioribus, unde nos illi generali Propoſitioni oppoſuimus abſurda, quæ ex eá ſic generatim propoſitâ videban-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bantur ſequi. Alias ſi homo conſideretur ante peccatum, & ante abuſum rationis facile concedimus, hoc axioma de conſervatione ſui ipſius, eſſe poſſe aliquod fundamentum conſervationis aliorum, adeoque ſocietatis humanæ juxta dicta.

PROP. XIX. *Id unuſquiſque ex legibus ſuæ naturæ neceſſariò appetit, vel averſatur, quod bonum vel malum eſſe judicat.*

PRopoſitionem non negamus, ſed ratam habemus, & facilè à poſteriori ex experientia poteſt cognoſci. Demonſtratio ejus admitti nequit, quòd falſo nitatur fundamento, quale eſt Prop. 8. IV. ut nunc de Appetitus & Affectuum definitione, ad quam etiam hîc provocat, nihil dicam.

PROP. XX. *Quò magis unuſquiſque ſuum utile quærere, hoc eſt, ſuum eſſe conſervare conatur & poteſt, eò magis virtute præditus eſt; & contra, quatenus unuſquiſque ſuum utile, hoc eſt, ſuum eſſe conſervare negligit, eatenus eſt impotens.*

HÆc Propoſitio ſic generatim propoſita vera eſſe nequit propter ea, quæ jam antea ad Schol. Prop. 18. IV. annotavimus.

Demonſtratio nititur Defin. 8. IV. quam rejecimus ut & Prop. 7. III. ſenſu Spinozæ acceptis.

Ad *Scholium* pergamus. In eo nihil reprehenſione dignum reperimus. Colligit ex antea dictis, *neminem, niſi à cauſis externis, & ſuæ naturæ contrariis victum ſuum utile appetere, ſive, ſuum eſſe conſervare, negligere*; quod planè concedimus. Placet etiam explicatio adjuncta. *Nemo*, inquit, *ex neceſſitate ſuæ naturæ, ſed à cauſis externis coactus alimenta averſatur, vel ſe ipſum interficit, quod nullis modis fieri poteſt; nempe interficit aliquis ſe ipſum coactus ab alio, qui ejus dexteram, qua enſem caſu prehenderat, contorquet, & cogit verſus cor ipſum gladium dirigere; vel quòd ex mandato tyranni, ut Seneca, cogatur venas aperire ſuas, hoc eſt, majus malum minore vitare cupiat; vel, denique ex eo, quòd cauſæ latentes externæ ejus imaginationem ita diſponunt, & Corpus ita afficiunt, ut id aliam naturam priori contrariam induat, & cujus idea in Mente dari nequit* (per Prop. 10. p. III.) Sed poſteriora verba non ſatis capere

re

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

re poſſum, nec ad ea intelligenda Prop. 10. III. quicquam facere poſſe videtur, quæ etiam falſa eſt. Fortè tamen hoc voluit: Homines qui ſemet ipſos interficiunt tunc non videri amplius eſſe homines, ſed mutatos videri poſſe in monſtra ſub ſpecie humana latentia; quod ſic quidem ſuo ſenſu dici, non tamen, ſi ad ἀκρίβειαν Philoſophicam examinetur, conſiſtere poteſt. In his hominibus procul dubio affectuum vehementia ita obſtupefecit intellectum, ut putent, non tàm malè ſibi fore, ubi mortui fuerint, vel etiam melius. Quæ ſanè arguunt retinuiſſe eos naturam humanam. Conſiderentur exempla Stoicorum, & expendantur eorum dicta, antequam ſibi ipſis violentas inferrent manus, nec dices eos tunc homines non fuiſſe, niſi naturam humanam velis adimere omnibus illis, qui malè ratiocinantur, quod ſi volueris, quid futurum ſit Spinozæ toties ineptiſſimè demonſtranti, facile apparet. Tandem Scholium concludit his verbis: *At quòd homo ex neceſſitate ſuæ naturæ conetur non exiſtere, vel in aliam formam mutari, tàm eſt impoſſibile, quàm quòd ex nihilo aliquid fiat, ut unuſquiſque mediocri meditatione videre poteſt*; quod facilè concedimus.

PROP. XXI. *Nemo poteſt cupere beatum eſſe, benè agere, & bene vivere, qui ſimul non cupiat eſſe, agere, & vivere, hoc eſt, actu exiſtere.*

NOn tàm hæc Propoſitio eſt, quàm axioma indubitatæ veritatis, unde demonſtratione nulla indigebat. Spinozæ igitur demonſtratione, quæ etiam nititur Prop. 7. III. falſa, non indigemus.

PROP XXII. *Nulla virtus poteſt prior hac (nempe conatu ſeſe conſervandi) concipi.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio, ſi intelligatur de Virtute Morali, de qua omninò eſt ſermo. Falſis planè fundamentis hanc niti Propoſitionem ex demonſtratione patet, cujus fulcra dicuntur eſſe Prop. 7. III. & Defin. 8. IV. quæ ut falſa ſæpius notavimus.

Corollarium quoque pro vero haberi nequit, quod eſt: *Conatus ſeſe conſervandi primum & unicum virtutis eſt fundamentum.* Cujus falſitas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſitas ſatis patere poteſt ex iis, quæ ad Scholium Prop. 18. IV. annotavimus. Et ſanè demonſtratio iſtius Corollarii nititur Prop. præcedenti falſa; Prop. verò 21. IV. non dicit, *quod abſque conatu ſeſe conſervandi nulla virtus poſſit concipi*, quod ſi diceret falſiſſima procul dubio foret, juxta ea quæ diximus ad Schol. Prop. 18. IV.

PROP. XXIII. *Homo, quatenus ad aliquid agendum determinatur ex eo, quod ideas habet inadæquatas, non poteſt abſolute dici ex virtute agere, ſed tantum, quatenus determinatur ex eo, quod intelligit.*

HUic Propoſitioni non refragamur. Sed demonſtratio nitens Defin. 8. IV. quam repudiavimus, planè eſt rejicienda.

PROP. XXIV. *Ex virtute abſolutè agere nihil in nobis eſt, quàm ex ductu rationis agere, vivere, ſuum eſſe conſervare, (hæc tria idem ſignificant) ex fundamento proprium utile quærendi.*

POſſumus hanc Propoſitionem admittere, ſi ultima abeſſet particula. Divinæ enim gloriæ ſtudium utili proprio, quando id requirit neceſſitas, præferendum eſt ſemper à veræ Virtutis ſtudioſo.

Et ſanè demonſtratio nihil roboris confert, cum nitatur Defin. 8. IV. Prop. 3. III. & Corollario Prop. 22. quæ fundamenta omnia ſunt falſa.

PROP. XXV. *Nemo ſuum eſſe alterius rei cauſa conſervare conatur.*

NOn pugnant hæc duo, ut aliquis ſuum eſſe alterius rei cauſa conſervare conetur, & tamen ſimul quoque id faciat ſui cauſa. Paulus malebat hîc eſſe propter utilitatem Eccleſiæ, quamvis noſſet melius ſibi eſſe, ut ſit cum Chriſto. Quòd ſi hæc Propoſitio eo uſque extendatur, ut nomine alterius rei etiam Deus intelligatur, nihil falſius eſt iſtâ Propoſitione; omnino enim noſtrum eſt officium, idque præſtant fideles pro virili, ut conſervari velimus pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

propter Deum, ut ejus gloriæ celebrandæ inſervire queamus. Sed videtur tamen Spinoza his nihil voluiſſe aliud, quàm quòd homo in iſtâ ſui eſſe conſervatione non ſpectet aliam rem ſingularem finitam, à ſe diverſam, quod ex Scholio Prop. 52. IV. poteſt colligi, quo ſenſu pro verâ poteſt admitti. In Demonſtratione hæc occurrunt falſa fundamenta, Prop. 7. III. & Coroll. Prop. 22. IV.

PROP. XXVI. *Quicquid ex ratione conamur, nihil aliud eſt quàm intelligere; nec mens, quatenus ratione utitur, aliud ſibi utile eſſe judicat, niſi id, quod ad intelligendum ſibi conducit.*

PRiorem partem hujus Propoſitionis poſſumus admittere; ſed quantum attinet ad poſteriorem, ſi eam ita intelligat, ut conjunctionem corporis mens non judicet aliter ſibi utilem, quàm quatenus ad intelligendum conducit, etiam illam poſſumus admittere. Sub vocabulo autem *intelligere* procul dubio etiam intelligit rectè judicare & velle omniaque ea, quæ ex clarâ & diſtincta perceptione, quod eſt intelligere, ſequuntur. Demonſtratio vitiatur per falſa fundamenta, cujuſmodi eſt Prop. 7. III. Definitio Appetitus in Schol. Prop. 9. III. Coroll. Prop. 22. IV. & Prop. 25. IV.

PROP. XXVII. *Nihil certò ſcimus bonum aut malum eſſe, niſi id quod ad intelligendum revera conducit, vel quod impedire poteſt, quo minus intelligamus.*

HUic etiam Propoſitioni, ſi *intelligere* eo ſenſu, quo antea dixi, ſumatur, jure refragari poteſt nemo.

Demonſtratio tamen Spinozæ more ipſi conſueto procedit, falſâ nixa Propoſitione 41. II. de qua ſuperius fuit actum.

PROP. XXVIII. *Summum mentis bonum eſt Dei cognitio, & ſumma mentis virtus Deum cognoſcere.*

BOna hæc ſunt & ſpecioſa verba, & quæ, ſi ſenſu noſtro accipiantur, ut per Deum intelligamus Ens ſumme infinitum & perfectum, à quo omnia præter ipſum dependent, & à quo tota ſua

na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

natura differunt, manifeſtam continent veritatem. Sed homo iſte Deum & mundum confundit nec Deum à mundo diſtinctum & qui ipſius Mundi ſitCreator & Conſervator, agnoſcit. At ſanè non poteſt ſummum Mentis bonum in talis Dei cognitione conſiſtere : Sed is demum ſelix & beatus eſſe poteſt, qui cognoſcit Deum ſummè perfectum, ſummè intelligentem, omniſcium, omnipræſentem, omnipotentem, auctorem omnis boni, alienum ab omni malo, clementiſſimum, ſummè miſericordem &c. quique eum ut talem amat, ei adhæret unicè, ſuam voluntatem ad illius voluntatem conformat.

Mens autem hæc Spinozæ noſcitur quoque ex demonſtratione ejus adjecta. Nititur enim Prop. 15. I. in qua perniciosſus ille error aſſeritur. Falſa quoque eſt Prop. 3. III. prout ſuo loco oſtendimus.

PROP. XXIX. *Res quæcunque ſingularis, cujus natura à noſtrâ prorſus eſt diverſa, noſtram agendi potentiam nec juvare, nec coërcere poteſt, & abſolutè res nulla poteſt nobis bona aut mala eſſe, niſi commune aliquid nobiſcum habeat.*

VErba iſtius Propoſitionis prout jacent & in bono ſenſu accepta veritatem exprimere videntur, modò poſtea non deprehendatur aliquod venenum latuiſſe, quod jam ſæpius à nobis eſt factum. Et ſanè tale aliquid metuimus ex Demonſtratione, quam hîc adhibet Spinoza. Nititur enim Coroll. Prop. 10. II. *quòd eſſentia hominis conſtituatur à certis Dei attributorum modificationibus*, quod abſurdiſſimum eſt ; nititur etiam Prop. 28. I. quâ ſtatuit, quamlibet rem ſingularem determinari ad exiſtendum & operandum à cauſis finitis, idque in infinitum, qua ratione nunquam devenitur ad primam cauſam Deum, ſicque videtur hac ſua Propoſitione 29. IV. planè excludere Deum ex numero rerum ſingularium, atque ita communio cum Deo nihil noſtram agendi potentiam juvare nec coërcere poteſt, quod procul omni dubio falſiſſimum eſt. Etiam Prop. 6. II. & Prop. 8. IV. & Schol. Prop. 11. III. in quo Definitiones falſæ Lætitiæ & Triſtitiæ dantur, falſa ſunt : Ut ita ne unum quidem fundamentum, quibus nititur hæc demonſtratio, pro vero queat haberi.

PROP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROP. XXX. *Res nulla per id, quod cum noſtra natura commune habet, poteſt eſſe mala; ſed quatenus nobis mala eſt, eatenus nobis eſt contraria.*

HAnc Propoſitionem poſſumus admittere, non tamen demonſtrationem ob fundamenta falſa, quibus ſtabilitur, cujuſmodi eſt Prop. 8. IV. & Defin. Triſtitiæ, quæ habetur in Schol. Prop. 11. III.

PROP. XXXI. *Quatenus res aliqua cum noſtra natura convenit, eatenus neceſſario bona eſt.*

VEra eſt, ſi intelligas per bonum id, quod nobis eſt utile, quo ſenſu etiam Spinoza hanc vocem ſumit.

Demonſtrationi etiam nolumus rĕfragari, niſi quod Axioma 3. hujus IV. Partis nullum reperiamus, unde pro mendo hoc habemus. Qui verò deſiderat demonſtrationem iſtam videre, adeat auctorem.

Corollarium quoque pro vero habemus: *Quo res aliqua magis cum natura noſtrâ convenit, eo nobis eſt utilior, ſeu magis bona & contra, quo res aliqua nobis eſt utilior, eatenus cum noſtrâ naturâ magis convenit.* Etiam demonſtratio facillimè admittitur, quæ legi poteſt apud auctorem.

PROP. XXXII. *Quatenus homines paſſionibus ſunt obnoxii, non poſſunt eatenus dici, quòd naturâ conveniant.*

SI paſſiones nihil ſint reale, omnino dicendum erit non pertinere ad naturam humanam; ſed ſi reale quid ſint, uti revera ſunt, non video quomodo negari queat eas ad naturam humanam pertinere; quod ſi verò paſſiones pertineant ad naturam humanam, utique eo ipſo homines, quatenus paſſionibus ſunt obnoxii, naturâ convenire ſunt cenſendi. At Spinoza in demonſtratione ſuâ habet eas pro impotentia ſeu negatione, & provocat ad Schol. Prop. 3. p. II. ubi tamen hoc non probavit. Nititur etiam hæc demonſtratio falſa Prop. 7. III. ut ita nihil habeat ſolidi.

Scholium ejus ſupponit, quod Paſſiones in impotentia & negatione conſiſtant, & hinc colligit, exempliſque declarat, non poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

convenientiam in negatione dici convenientiam in natura, quod veriſſimum eſt, ſed hypotheſis, qua nititur, planè falſa eſt.

Prop. XXXIII. *Homines natura diſcrepare poſſunt, quatenus affectus qui paſſiones ſunt, conflictantur, & eatenus etiam unus idemque homo varius eſt & inconſtans.*

HÆc Propoſitio planè è diametro oppoſita eſſe videtur Prop. præcedenti. Si enim Paſſiones tantum ſint negationes & impotentiæ, quomodo ergo fieri poteſt, ut ea quæ tantum diſcrepant negationibus, poſſint dici diſcrepare natura? Nos tamen eam abſolutè intellectam admittimus, cùm revera alia ſit realitas Lætitiæ, alia Triſtitiæ, quæ inter ſe invicem contrariantur. Demonſtratio laborat vitio. Sic illa ſe habet: *Affectuum natura ſeu eſſentia non poteſt per ſolam noſtram eſſentiam ſeu naturam explicari;* (*per Defin.* 1. 2. *p.* 3.) *ſed potentia, hoc eſt* (*per Prop.* 7. *p.* 3.) *natura cauſarum externarum cum noſtra comparata definiri debet; unde fit, ut uniuſcujuſque affectus tot ſpecies dentur quot ſunt ſpecies objectorum, à quibus afficimur,* (*vide Prop.* 56. *p.* 3.) *& ut homines ab uno eodemque objecto diverſimodè afficiantur;* (*vide Prop.* 51. *p.* 3.) (Quæ omnia tranſire permitto, quamvis Prop. 7. III. ſuperius inter falſas fuerit relata, tantùm velim attendi ad ea, quæ ſubſequuntur immediatè:) *atque eatenus natura diſcrepent & denique, ut unus idemque homo* (*per eandem Prop.* 51. *p.* 3.) *erga idem objectum diverſimodè afficiatur, atque eatenus varius ſit, &c. Q. E. D.* Illud enim, *quod homines eatenus*, quatenus ab uno eodemque objecto diverſimodè afficiuntur, *natura diſcrepant*, in nulla ex progreſſis Propoſitionibus dixerat, multo minus demonſtraverat, idque ex Propoſitione 51. III. nullis fidiculis poteſt exſculpi. Si enim hoc inde ſequatur, dicendum erit, homines quovis ſæpe momento natura diſcrepare ab alio, imo & à ſe ipſis, ſicque toties mutari naturâ, quoties à novo objecto aliter afficiantur, quæ omnia ſua abſurditate concidunt.

Prop. XXXIV. *Quatenus homines affectibus, qui paſſiones ſunt, conflictantur, poſſunt invicem eſſe contrarii.*

PRopoſitioni huic neminem contradicturum putem, quod experientia eam ſatis à poſteriori probet. Spinozæ vero demonſtratio inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ter alias nititur Propoſitione 32. III. atque proinde eſt rejicienda.

In Scholio ſuam demonſtrationem conciliat cum Prop. 3. & 31. IV. oſtendens, hos duos, qui natura conveniunt, eſſe ſibi invicem moleſtos, non quod natura conveniunt, quatenus idem amant, ſed quatenus ab invicem diſcrepant, quod Petrus habeat ideam rei amatæ poſſeſſæ & Paulus ideam rei amatæ amiſſæ, adeoque alter Lætitia, alter Triſtitia ſit affectus; quæ plenius apud ipſum queant legi, neque nos iis contradicimus.

PROP. XXXV. *Quatenus homines ex ductu rationis vivunt, eatenus tantum natura ſemper neceſſario conveniunt.*

SI hîc omitteretur vox *tantùm* poſſemus iſtam Propoſitionem admittere; certum enim eſt rationem nunquam poſſe eſſe rationi contrariam. Sed poſſe affectus contrariari. Sed ille affectus tantùm conſtituit in negatione, atque ideo Prop. 32. IV. ſtatuit: *Quatenus homines paſſionibus ſunt obnoxii, non poſſe eatenus dici, quod natura conveniant*, quam nos falſitatis accuſavimus.

Demonſtratio ſolida eſſe nequit, quæ duo fundamenta falſa ſibi habet ſubſtrata Prop. 3. III. & 41. II.

Corollarium I. *Nihil ſingulare in rerum natura datur, quod homini ſit utilius, quam homo, qui ex ductu rationis vivit.* Huic non repugnamus, nec etiam Spinozæ demonſtrationi, quæ videri poteſt apud ipſum.

Corollarium *II. Cùm maxime unuſquiſque homo ſuum ſibi utile quærit, tum maximè homines ſunt ſibi invicem utiles.* Hoc quoque admittimus, ſed demonſtratio illius nititur hoc fundamento, quaſi Virtus Moralis & Potentia agendi humana idem planè ſint, quod jam ad Definit. 8. IV.) falſitatis convicimus.

In Scholio provocat ad experientiam, *à qua dicta à ſe, oſtendi* putat; quod concedimus. Obſervat verò, *raro fieri ut homines ex ductu rationis vivant, ſed cum iis ita comparatum eſſe, ut plerumque ſint invidi & moleſti invicem*; quod concedimus. Neſcio verò, unde hîc jus habeat invehendi in Theologos: *Rideant igitur, quantum velint, res humanas Satyrici, eaſque deteſtentur Theologi, & laudent, quantum poſſunt Melancholici vitam incultam & agreſtem homineſque contemnant, & admirentur bruta; experientur tamen, homines mutuo auxilio ea, quibus indigent multo facilius ſibi parare, & non niſi junctis viribus pericula, quæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ubique imminent, vitare poſſe; ut jam taceam, quòd multò præſtabilius ſit, & cognitione noſtra magis dignum, hominum, quàm brutorum, facta contemplari. Nos equidem cauſam Melancholicorum nolumus ſuſcipere defendendam & propterea quæ contra illos annotat nolumus reprehendere. Satyrici res humanas hactenus jure rident, quatenus in homines, qui in iis quærunt ſummum bonum, cum inſtabilia admodum, fluxa & caduca ſint, inſurgunt; ſed Theologos immeritò reprehendit, qui nihil aliud agunt, quàm ut comparationem inſtituentes, inter incerta illa & tenuia hujus vitæ bona, & inter ea, quæ poſt hanc vitam exſpectant Chriſtiani, hæc illis infinito intervallo docent eſſe poſtponenda, & quærenda ea quæ ſurſum ſunt, & non ea, quæ ſunt in hâc terra, & ſummopere cavendum, ne horum nimio ſtudio irretiti cœleſtia negligamus, non negantes interea, curam etiam quandam eſſe habendam rerum humanarum, quatenus noſtræ & noſtrorum vitæ ſuſtentandæ ſunt neceſſariæ, ut ita poſſimus eſſe ad gloriam Dei. Si hæc reprehendere velit Spinoza cum ſuis, quoniam poſt hanc vitam mentem ſupereſſe negant & omnia hujus vitæ cancellis terminant, faciant id pro lubitu, Theologi nixi divinis oraculis atque ex iis aliter edocti, non deſinent ſtudium rerum terrenarum contemnere, & docebunt ſuos, ut primùm quærant regnum Dei & ejus juſtitiam, non dubitantes, quin cætera illis ſint adjicienda.

Prop. XXXVI. *Summum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, omnibus commune eſt, eoque omnes æque gaudere poſſunt.*

AGnoſcimus libenter hanc Propoſitionem, nec repugnamus quoque Spinozæ demonſtrationi, quam legere poterit, qui voluerit,

Scholium, cui bono fuerit adjectum, non ſatis intelligo; obſcurum enim illud plane videtur. Quæſtionem proponit: *Quid ſi ſummum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, non eſſet omnibus commune, an non inde ſequeretur, ut ſupra* (vide Prop. 34. hujus) *quod homines, qui ex ductu rationis vivunt, hoc eſt,* (per Prop. 35. hujus) *homines, quàtenus natura conveniunt, eſſent invicem contrarii?* Fortè tamen huc redit iſtius quæſtionis ſenſus, quid ſit futurum, ſi admittatur hoc abſurdum, *quòd ſummum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, non eſſet omni-*

omnibus commune, an non ſequatur inde, *quòd homines quâtenus naturâ conveniunt, eſſent ſibi invicem contrarii;* quod itidem valdè eſt abſurdum; cum ſic ſequatur, quod iidem naturâ inter ſe conveniant, & tamen natura non conveniant. Reſponſum Spinozæ non minori laborat obſcuritate, quod eſt: *non ex accidenti, ſed ex ipſa natura rationis orriri, ut hominis ſummum bonum omnibus ſit commune, nimirum, quia ex ipſa humana eſſentia, quatenus ratione definitur, deducitur, & quia homo nec eſſe, nec concipi poſſet, ſi poteſtatem non haberet, gaudendi hoc ſummo bono. Pertinet namque* (per Prop. 47. p. 2.) *ad Mentis humanæ eſſentiam, adæquatam habere cognitionem æternæ & infinitæ eſſentiæ Dei.* Forte hoc vult, naturam humanæ eſſentiæ non habere ſummum bonum ex quadam contingentiâ & fortuito, ſed obtinere illud ex ſuâ naturâ, eò quod, cùm ſummum Bonum conſiſtat ex Prop. 28. IV. in cognitione Dei, eamque non poſſit non habere homo, ſiquidem ad mentis humanæ eſſentiam iſta cognitio pertineat. Sic igitur nullo modo poſſe ſupponi, *ſummum bonum eorum, qui virtutem ſectantur, non eſſe omnibus commune.* Sed tota illa Propoſitio 47. II. ut falſa à nobis ſupra eſt rejecta.

PROP. XXXVII. *Bonum, quod unuſquiſque, qui ſectatur virtutem, ſibi appetit, reliquis hominibus etiam cupiet, & eò magis, quo majorem Dei habuerit cognitionem.*

ADmittimus hanc Propoſitionem.

Demonſtratio Spinozæ quoad primam partem poteſt admitti, ſed quoad alteram partem multa in ea reperiuntur falſa fundamenta, quale eſt I. Affect. defin. Prop. 11. II. Prop. 47. II. Prop. 15. I.

Adjicit demonſtrationem II. quam ut melioribus nixam fundamentis libenter admittimus.

Examinemus Scholia. In Scholio I. ab initio dicit: *Qui ex ſolo affectu conatur, ut reliqui ament, quod ipſe amat, & ut reliqui ex ipſius ingenio vivant, ſolo impetu agit, & ideo odioſus eſt percipuè iis, quibus alia placent, quique propterea etiam ſtudent, & eodem impetu conantur, ut reliqui contra ex ipſorum ingenio vivant. Deinde quoniam ſummum, quod homines ex affectu appetunt, bonum ſæpe tale eſt, ut unus tantùm ejus poſſit eſſe compos, hinc fit, ut qui amant, mente ſibi non conſtent, & , dum*

laudes rei, quam amant, narrare gaudent, timent credi. At qui reliquos conatur ratione ducere, non impetu, ſed humaniter & benigne agit, & ſibi mente maxime conſtat. Quæ nos omnia, ut quàm maxime vera, libenter admittimus. Pergit: *Porrò quicquid cupimus & agimus, cujus causâ ſumus, quàtenus habemus Dei ideam, ſive quatenus Deum cognoſcimus, ad Religionem refero. Cupiditatem autem bene faciendi, quæ ex eo ingeneratur, quod ex rationis ductu vivimus, Pietatem voco. Cupiditatem deinde, quâ homo, qui ex ductu rationis vivit, tenetur, ut reliquos ſibi amicitiâ jungat, honeſtatem voco, & id honeſtum, quod homines, qui ex ductu rationis vivunt, laudant, & id contra turpe, quod conciliandæ amicitiæ repugnat.* In his quoque nihil reprehenſione dignum potuimus deprehendere. In ſequentibus oſtendit *differentiam inter veram virtutem & impotentiam, nempe, quòd vera virtus nihil ſit aliud, quàm ex ſolo ductu rationis vivere; atque adeo impotentia in hoc ſolo conſiſtit, quòd homo à rebus, quæ extra ipſum ſunt, duci ſe patiatur, & ab iis ad ea agendum determinetur, quæ rerum externarum communis conſtitutio, non autem ea, quæ ipſa ipſius natura, in ſe ſolâ conſiderata, poſtulat.* Sed ex his ego iterum colligo, homines gaudere libero arbitrio, neque enim aliter intelligi poſſet, quomodo penes ipſos ſit ex ductu rationis vivere, vel pati ut ducantur à rebus, quæ ſunt extra ipſos. Subjungit Spinoza: *Atque hæc illa ſunt, quæ in Scholio Prop.* 18. *hujus partis demonſtrare promiſi, ex quibus apparet, legem illam de non mactandis brutis, magis vanâ ſuperſtitione & muliebri miſericordia, quàm ſanâ ratione fundatam eſſe. Docet quidem ratio noſtrum utile quærendi neceſſitudinem cum hominibus jungere; ſed non cum brutis, aut rebus, quarum natura à natura humana eſt diverſa; ſed idem jus, quod illa in nos habent, nos in ea habere. Imò quia uniuſcujuſque jus virtute ſeu potentia uniuscujuſque definitur, longè majus homines in bruta, quàm hæc in homines jus habent. Nec tamen nego, bruta ſentire; ſed nego, quòd propterea non liceat noſtræ utilitati conſulere, & iisdem ad libitum uti, eadem tractare, prout nobis magis convenit; quandoquidem nobiscum naturâ non conveniunt, & eorum affectibus ab affectibus humanis ſunt natura diverſi.* Obſervamus, hæc non ſatis videre convenire cum iis, quæ alibi de brutis dixit, de quibus egimus ad Schol. Prop. XIII. Ibi enim talia iis adſcripſit, & mentem aſſignavit, ut parum admodum differre videantur ab hominibus juxta ipſius ſententiam. Sed ille hâc de re viderit. Hoc verò nos ut falſum negamus, quòd *bruta in nos ullum*

nullum habeant jus, & quòd *jus uniuscujusque virtute ſeu potentia agendi uniuscujusque definitur.*

In Scholio II. vult explicare, quid meritum ſit & peccatum, quid juſtum & injuſtum, quod ita facit, ut omne illud derivet ex legibus civilibus, ut ita nullum peccatum, nullum injuſtum agnoſcat, niſi quod cum legibus civilibus pugnet; quod nos admittere non poſſumus, ſcientes, eſſe præter hæc alia multa peccata & injuſta, quæ legibus civilibus non ſunt prohibita, quæ tamen cum Dei & proximi amore, lege divina, quæ cordibus noſtris inſcripta eſt, ſancito, manifeſtè pugnant. Quod ſi verò hæc reſtringantur ad juſtum & injuſtum in ſtatu Civili, neque ulterius extendantur, non adeo repugnabimus huic Scholio, niſi quod ſubinde quædam Propoſitiones aſſumantur, quibus ut falſis ſuperius contradiximus. Hujuſmodi eſt Prop. 20. IV. Coroll. 2. Prop. 40. III. Facilè concedimus, *quòd homines hac lege concorditer vivere & ſibi auxilio eſſe poſſint, ſi jure ſuo naturali cedant, & ſe invicem ſecuros reddant, ſe nihil acturos, quod poſſit in alterius damnum cedere.* Sed quod poſtea ex his deducit, *nihil in ſtatu naturali dari, quod ex omnium conſenſu bonum aut malum ſit, &c. atque adeo in ſtatu naturali peccatum concipi non poſſe &c. Eſſe itaque peccatum nihil aliud, quàm inobedientiam, quæ propterea ſolo civitatis jure punitur, & contrà obedientiam Civi meritum duci, quia eo ipſo dignus judicatur, qui Civitatis commodis gaudeat*, id ultra debitum dicimus extendi modum. Status ille quem Spinoza deſcribit, non poteſt dici naturalis, hoc ſenſu, quòd naturam deceat, vel, quòd naturæ ſit debitus, cum juxta Spinozam, naturæ potius incommodet debeatque mutari in civilem meliorem. Nihil ergo iſte Status naturæ eſt, quàm hominum naturaliter ex Adamo progenitorum corruptio, per quam factum eſt, ut homines non niſi ſe ipſos & creaturas ad ſe relatas quærant, à quibus commodum trahere poſſunt, adeoque omnia ſuis commodis metiantur. Falſum ergo eſt, in ſtatu hoc naturæ peccatum concipi non poſſe, cum è contrario totus ille Status, quantus eſt, non niſi peccaminoſus eſſe poſſit. Sed non mirum eſt, hominem, qui Deum non novit, etiam rationem Virtutis & Vitii ignorare. Hominem ſanè decet quærere eum, qui ſummus eſt, à quo in omnibus dependet, eum laudare, ad eum omnia referre, totum ſe illi tradere, velle ut proximus quoque ſit ad Deum, & propterea eò omnia ſua ſtudia referre. Id non facit is, qui ad ſe

omnia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

omnia refert, qui ſe quærit & ſua commoda, quod fieri ab hominibus in naturali ſtatu conſtitutis, confitentem paulo ante vidimus Spinozam. Peccat ergo iſte, eſtque peccatum iſti ſtatui naturali adeo proprium, ut inde nequeat ſeparari. Probat porrò, *in ſtatu naturali locum habere non poſſe juſtum & injuſtum* hoc argumento, *quòd in ſtatu naturali nemo alicujus rei ſit Dominus, nec in Natura aliquid detur, quod poſſit dici hujus hominis eſſe & non illius; ſed omnia omnium eſſe, ac proinde in ſtatu naturali nullam poſſe concipi voluntatem ſuum unicuique tribuendi aut alicui id, quod ejus ſit, eripiendi, hoc eſt, in ſtatu naturali nihil fieri, quod juſtum, aut injuſtum poſſit dici; at quidem in ſtatu civili, ubi ex communi conſenſu decernitur, quid hujus, quidve illius ſit.* Atque hinc concludit, *juſtum & injuſtum, peccatum & meritum notiones eſſe extrinſecas; non autem attributa, quæ mentis naturam explicent.* Ubi perperam dicitur, in ſtatu naturæ ſemper omnia omnium eſſe ſi per ſtatum Naturæ intelligas eum ſtatum quando nondum facta erat rerum diviſio. Tunc enim lex naturæ docebat, non debere ea eripi alteri, quæ prior occupavit, & quæ ſic hâc occupatione ſua fecerat. Eadem quoque requirit, ut in occupatione eorum, quæ tuis commodis inſerviunt, ita te geras, ut proximus tecum vivere poſſit, ſicut in navi tempeſtatum procellis agitatâ pro rato diviſio debet inſtitui alimentorum, ut omnes ſerventur, ſimiliter in urbe obſeſſa. Sic ergo juſtum & injuſtum in tali quoque ſtatu obtinet.

PROP. XXXVIII. *Id, quod corpus humanum ita diſponit, ut pluribus modis poſſit affici, vel quod idem aptum reddit ad corpora externa pluribus modis afficiendum, homini eſt utile; & eò utilius, quo Corpus ab eo aptius redditur, ut pluribus modis afficiatur, aliaque corpora afficiat & contra id noxium eſt, quod Corpus ad hæc minus aptum reddit.*

OBſcura eſt hæc Propoſitio, & falſa quoque ſi hoc ſenſu verba ſumantur, ut in corpore ſolo utilitas collocetur. Et ſane hoc videtur adjuncta demonſtratio inferre, quæ nititur Prop. 14. II. cujus poſteriorem partem falſitatis convicimus, quamvis Prop. 26. & 27. IV. videatur ponere utilitatem illam in cognitione & intellectu. Videtur tamen ex demonſtratione Prop. 43. paulo aliud patere, ubi eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

eam ita citat, ut Titillationi opponat, qua una tantum pars corporis valdè commodè eſt affecta, ut ſic videatur ſignificari, cum corpus ex diverſis partibus conſtet, etiam ex iſtarum diverſarum partium ratione debere diverſis modis affici, idque ei maximè eſſe commodum, quo ſenſu vera eſſe poteſt.

PROP. XXXIX. *Quæ efficiunt, ut motus & quietis ratio, quam corporis humani partes ad invicem habent conſervetur, bona ſunt; & ea contra mala, quæ efficiunt, ut corporis humani partes aliam ad ſe invicem motus & quietis habeant rationem.*

ADmittimus hanc Propoſitionem, quæ ex terminorum cognitione clara redditur; priora enim tendunt ad corporis conſervationem, poſteriora ad ejuſdem deſtructionem.

Demonſtratio etiam rite ſe habet iiſque fundamentis nititur, quæ non poſſunt negari, ut videri poteſt apud Spinozam.

In Scholio notat, *quod corpus tum mortem obire intelligat, quando ejus partes ita diſponuntur, ut aliam motus & quietis rationem ad invicem obtineant.* Addit, *ſe negare non audere, corpus humanum retentâ ſanguinis circulatione, & aliis, propter quæ corpus vivere exiſtimatur, poſſe nihilominus in aliam naturam à ſuâ prorſus diverſam mutari. Nam nullam rationem ſe cogere, ut ſtatuat, corpus non mori, niſi mutetur in cadaver; quin ipſam experientiam aliud ſuadere videri. Fieri namque aliquando, ut homo tales patiatur mutationes, ut non facile eundem illum eſſe dixeris, ut de quodam Hiſpano Poëta narrare audiverit, qui morbo correptus fuerat, & quamvis ex eo convaluerit, manſerit tamen præteritæ vitæ ſuæ tam oblitus, ut Fabulas, & Tragœdias, quas fecerat, ſuas non crediderit eſſe, & ſane pro infante adulto haberi potuiſſet, ſi linguæ etiam vernaculæ fuiſſet oblitus.* His adjungit: *Et ſi hoc incredibile videtur, quid de infantibus dicemus? Quorum naturam homo provectæ ætatis à ſuâ tam diverſam eſſe credit, ut perſuaderi non poſſet, ſe unquam infantem fuiſſe, niſi ex aliis de ſe conjecturam faceret.* Concludit denique, *ſe, ne ſuperſtitioſis materiam ſuppeditet movendi novas quæſtiones, malle hæc in medio relinquere.* Supervacuum igitur & nobis videtur hâc de re multum cum illo diſputare. Infantis ſanè corpus paulatim mutatur & pedetentim, quemadmodum autem mutatio, quam ſupponimus primam non facit, ut non putetur idem eſſe homo cum eo, qui paulo ante fuit, ita nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mutatio ſecunda, nec tertia & ſic porrò, adeoque per conſequens non poteſt mutatio, quam ſupponimus ultimam, efficere, ut non ſit idem homo, qui vir nunc eſt, cum eo, qui antea infans fuit. Quantum autem attinet ad exemplum Poëtæ Hiſpani, ſi quidem id ſit verum, id aliquantò magis faceret ad ſcopum Spinozæ, ſi is etiam linguæ vernaculæ fuiſſet oblitus, quod negat. Tota verò res verſatur in eo, quod ipſe mortis vocabulum aliquanto latius extendi poſſe putat, quàm fert uſus, qui tamen eſt norma loquendi, unde & nos ab eo nobis recedendum eſſe non putamus.

PROP. XL. *Quæ ad hominum ſocietatem communem conducunt, ſive quæ efficiunt, ut homines concorditer vivant, utilia ſunt, & illa contra mala, quæ diſcordiam in civitatem inducunt.*

NOn indigebat hæc Propoſitio ullâ demonſtratione aliâ, quàm eá, quod concordia ſit fundamentum neceſſarium, in quo ſalus Reipublicæ unicè verſatur. Demonſtrationem tamen à Spinozâ adductam libenter admittimus.

PROP. XLI. *Lætitia directè mala non eſt, ſed bona; Triſtitia autem contra directè eſt mala.*

POſſumus hanc Propoſitionem admittere propterea, quia Lætitia, prout ſpectat corpus, oritur ex eo quòd corpus ſe benè habeat & contra. Sed ſi Triſtitiæ vox ſumatur generaliter, & reſpiciat ad quamvis Triſtitiæ cauſam, falſa eſt, cùm Triſtitia de peccato commiſſo ſit bona, Lætitia verò è contrario mala. At demonſtratio Spinozæ nititur definitionibus Lætitiæ & Triſtitiæ, quas ad Schol. Prop. 11. III. rejecimus, & Prop. 38. IV. quam ſi non falſam, ſaltem valdè obſcuram eſſe obſervavimus.

PROP. XLII. *Hilaritas exceſſum habere nequit, ſed ſemper bona eſt; & contrà Melancholia ſemper mala.*

PEr Hilaritatem intelligit Spinoza iſtam Lætitiæ ſpeciem quando omnes corporis partes valde commodè ſunt affectæ, quod ex cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

corporis ſanitate ortum habet; per Melancholiam verò contrariam planè corporis affectionem. Sic verò huic Propoſitioni contradicere non poſſumus. Demonſtratio tamen Spinozæ vitiata eſt, per Prop. 11. III. quam ut falſam ſuperius rejecimus.

PROP. XLIII. *Titillatio exceſſum habere poteſt & mala eſſe; Dolor autem eâtenus poteſt eſſe bonus, quâtenus Titillatio, ſeu Lætitia eſt mala.*

ADmitto & hanc Propoſitionem, quæ ſatis intelligitur ex naturâ Titillationis & Doloris. Demonſtrationi quoque refragari nolo, modò illa omnia, quæ ad eam adhibentur, fundamenta ſano ſenſu fuerint intellecta.

PROP. XLIV. *Amor & Cupiditas exceſſum habere poſſunt.*

HÆc Propoſitio ſatis munitur experientia, unde de eâ non videtur poſſe dubitari. Demonſtratio primæ partis inter alia fundamenta nititur pravâ Amoris definitione, & propterea merito eſt rejicienda. Sed alterius partis demonſtratio à nobis facile admittitur.

Scholium ſatis rectè ſe habet, unde illud deſcribere & his adjicere non dubitamus. *Hilaritas, quam bonam eſſe dixi, concipitur facilius, quàm obſervatur. Nam affectus, quibus quotidie conflictamur, referuntur, plerumque ad aliquam corporis partem, quæ præ reliquis afficitur, ac proinde affectus, ut plurimum exceſſum habent, & mentem in ſolâ unius objecti contemplatione ita detinent, ut de aliis cogitare nequeat; & quamvis homines pluribus affectibus obnoxii ſint, atque adeo rari reperiantur, qui ſemper uno eodemque affectu conflictentur, non deſunt tamen, quibus unus idemque affectus pertinaciter adhæreat. Videmus enim homines aliquando ab uno objecto ita affici, ut quamvis præſens non ſit, ipſum tamen præſentem habere credant, quod quando homini non dormienti accidit, eundem delirare dicimus, vel inſanire; nec minus inſanire creduntur, qui Amore ardent, quique noctes atque dies ſolam amaſiam vel meretricem ſomniant, quia riſum movere ſolent. At cum avarus de nulla alia re, quàm de lucro vel de nummis cogitet, & ambitioſus de gloria &c. hi non creduntur delirare, quia moleſti ſolent eſſe, & Odio digni æſtimantur. Sed revera Avaritia,*

ritia, Ambitio, Libido &c. delirii ſpecies ſunt, quamvis inter morbos non numerentur.

Prop. XLV. *Odium nunquam poteſt eſſe bonum.*

IN Scholio notat, *ſe hîc & in ſequentibus per Odium illud tantum intelligere, quod eſt erga homines.* Nolumus igitur huic Propoſitioni contradicere, quam etiam ſat benè Spinoza demonſtrat.

Demonſtratio illa nititur Prop. 39. III. quæ vera eſt & Prop. 37. IV. quæ non quidem dicit, *dum deſtruere conamur hominem nos aliquid conari, quod malum eſt.* Sed tamen id dicit, ex quo illud poteſt colligi, nempe, *bonum, quod unusquisque, qui ſectatur virtutem, ſibi appetit, reliquis hominibus etiam cupiet, & eò magis, quo majorem habuerit Dei cognitionem.* Qui ergo conatur hominem deſtruere ille non habet Dei cognitionem, quod malum eſt. Sic ergo demonſtratio Spinozæ poterit admitti.

Corollarium I. rectè ſe habet: *Invidia, Irriſio, Contemtus, Ira Vindicta, & reliqui affectus, qui ad Odium referuntur, vel ex eodem oriuntur mali ſunt, quod etiam ex Prop. 39. III. & Prop. 37. hujus patet.*

Corollarium II. *Quicquid ex eo, quod odio affecti ſumus, appetimus, turpe, & in civitate injuſtum eſt,* quod etiam ritè ſequitur ex dictis. Spinoza id etiam patere putat *ex Prop. 39. III. & ex Defin. Turpis & Injuſti, quas vide in Schol. 38. hujus.* Sed definitionem iſtam falſitatis redarguimus ſuperius.

In Scholio bona ſunt mixta malis, quæ ut examinemus operæ eſt pretium. Diſtinguit inter Irriſionem & Riſum, *& cùm riſus ut & jocus mera ſit lætitia, per ſe bonum eſſe, modò exceſſum non habeat, (per Prop. 51. hujus)* dicit, in quo nihil eſt quod reprehenſionem mereatur.

Quod verò paulo poſt adjicit, *nullum Numen, nec alium, niſi invidum noſtra impotentia & incommodo delectari, nec nobis lacrymas, ſingultus metum & alia hujusmodi, quæ animi impotentis ſunt ſigna, virtuti ducere,* eſt falſiſſimum, & valde quoque arietat contra præceptum Evangelicum, quod nos reſipiſcere jubet; quid enim æquius eſt, quam ab eo, qui deviavit à virtute pœnitentian flagitare, quæ cum metu & lacrymis eſt conjuncta. Impotentia autem noſtra non in metu &

 la-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

lacrymis conſiſtit, ſed in eo, quod turpe quid commiſimus, hoc autem agnoſcere & de eo dolere, non impotentiæ, ſed fortitudinis & generoſitatis eſt. Reliqua, quæ ſequuntur apud Spinozam lubenter admittimus, *viri Sapientis eſſe uti rebus omnibus ad ſui delectationem, modo abſque ullo damno alterius id fiat*, adde, nec nos nimis alliget rebus terrenis, cæleſtibus relictis. Sic etiam quæ ſequuntur, quibus id quod citavimus plenius deducit, nemo jure poteſt reprehendere.

PROP. XLVI. *Qui ex ductu rationis vivit, quantum poteſt, conatur alterius in ipſum Odium, Iram, Contemtum &c. Amore contra, ſive Generoſitate compenſare.*

HUic Propoſitioni non contradicimus, demonſtrationi quoque ejuſdem ſubſcribimns, (ſed typographi vitium eſt, quod 33. Prop. p. 3. fuerit poſita loco 34. III.) quam legere poteſt qui voluerit apud Spinozam.

Scholium quoque obſervatione dignum, quod propterea adjungimus. *Qui injurias*, inquit, *reciproco Odio vindicare vult, miſerè profecto vivit. At qui contra ſtudet Odium Amore expugnare, ille ſanè lætus & ſecurè pugnat; æqvè facile uni homini, ac pluribus reſiſtit, & fortunæ auxilio quàm minimè indiget. Quos vero vincit ii læti cedunt, non quidem ex defectu; ſed ex incremento virium; quæ omnia adeo clarè ex ſolis Amoris & intellectus definitionibus ſequuntur, ut opus non ſit eadem ſigillatim demonſtrare.*

PROP. XLVII. *Spei & Metus affectus non poſſunt eſſe per ſe boni.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio, neque fulcitur demonſtratione, cujus fundamentum ſunt pravæ Spei & Metus definitiones, de quibus videre licet noſtras annotationes ad Schol. II. 18. Prop. III.

Scholium quoque non adeò poteſt à nobis probari. *Huc accedit*, inquit, *quod hi affectus cognitionis defectum & Mentis impotentiam indicant; & hâc de cauſa etiam Securitas, Deſperatio, Gaudium, & Conſcientiæ morſus animi impotentis ſunt ſigna. Nam, quamvis ſecuritas & Gaudium affectus ſint Lætitiæ, Triſtitiam tamen eoſdem præceſſiſſe ſupponunt, nempe*

nempe Spem & Metum. Verùm enim verò ſi eo nomine hi affectus ſint cenſendi mali, quod mentis impotentiam indicent, omnes in univerſum affectus mali erunt dicendi; denotant enim omnes aliquam dependentiam à corpore & præterea animi quandam perturbationem & in conceptibus confuſis conſiſtunt. Quid verò, an Spes non erit affectus bonus, ſi nitatur ſolido fundamento? Chriſtianorum Spes vitæ æternæ, quam fundant in Deo & divinis promiſſionibus, Spes, quæ non confundit, erit affectus malus? Sic delendus erit ex hominum animis omnis metus iræ divinæ, ſicque, quod ſolet fieri ab iis, qui dicuntur fortes ſpiritus, ſine metu Numinis ſecure & in diem nobis vivendum. Quid etiam dicemus de ſecuritate, quam ex ſpe oriri omnes ſtatuunt, ubi omnis fuerit expulſus metus, adeoque omnis dubitatio fuerit ſublata, uti ille loquitur Schol. II. Prop. 18. III. an illam dicemus affectum malum? Cum nihil ſit, quod magis poſſit nos beatos reddere, quam iſtiusmodi ſecuritas, divinâ & infallibili veracitate nixa? Itane ſecuritas inter animi impotentias referetur, qua nihil eſt majus ad animi robur indicandum. Si præceſſit ſecuritatem Spes & metus, quin imo ſi præceſſit eam quædam Triſtitia, non tamen propter illa ipſa ſecuritas in numerum malorum affectuum eſt referenda, cum in ipſa ſecuritate nihil reſtet metus.

Deſperatio fateor non poteſt eſſe unquam bona, ſi referatur ad Deum & ejus auxilium, ſed ſi quis deſperet de ſuis viribus in negotio ſalutis, quod Spinoza ignoravit, tantum abeſt ut tanquam malè agens ſit vituperandus, ut potius eo nomine laudem mereatur. De Gaudio non eſt, quod dicamus, juxta acceptionem Spinozæ, cùm nullum tale poſſit eſſe in rerum naturâ, uti obſervavimus ad Schol. II. Prop. 18. III. Conſcientiæ morſum malum eſſe negamus. Non poſſumus etiam probare quæ ſubjungit: *Quo itaque magis ex ductu rationis vivere conamur, eò magis ſpe minus pendere, & metu noſmet liberare, & fortunæ, quantum poſſumus imperare conamur, noſtrasque actiones certo rationis conſilio dirigere.* Nam non oppoſita iſta ſunt, ſemper ductum rationis ſequi & ſpe affici, modo de firmitate fundamenti, quo Spes nitatur, ſimus ſoliciti; metus quoque juſtus non pugnat cum ratione, ſed qui ex ratione vult vivere, debet ſibi metuere à peccatis, ne Deum offendat & Conſcientiam inquietam reddat.

Prop.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROP. XLVIII. *Affectus Exiſtimationis & Deſpectus ſemper mali ſunt.*

SI per Exiſtimationem & Deſpectum id intelligamus, quod Spinoza in definitionibus in demonſtratione adductis, non poterimus non huic Propoſitioni conſenſum adhibere. Sed nos ad Scholium Prop. 26. III. obſervavimus, eum alio ſenſu hæc verba capere, quàm juxta vulgarem uſum accipi poſſunt.

PROP. XLIX. *Exiſtimatio facile hominem, qui exiſtimatur, ſuperbum reddit.*

HÆc Propoſitio ex terminis eſt nota, ſi per Exiſtimationem intelligamus id, quod Spinoza eo nomine appellat, ſcil. *Lætitiam, quæ ex eo oritur, quod homo de alio plus juſto ſentit*; facile enim inde oritur, ut etiam quis *de ſemetipſo plus juſto ſentiat;* in quo natura ſuperbiæ conſiſtit. Demonſtrationem Spinozæ etiam non difficiles admittimus, correcto errore Typogr. & ſcripta 30. Defin. loco 29. & 28. loco 27.

PROP. L. *Commiſeratio in homine, qui ex ductu rationis vivit, per ſe mala & inutilis.*

HUjus Propoſitionis priorem partem planè negamus, quæ ex eo oritur, quod naturam Commiſerationis Spinoza non intellexit, à quâ ſeparat Amorem, quod reprehendimus ad Schol. Prop. 22. III. Hujus Partis prioris demonſtratio nititur Prop. 41. III. quæ falſa eſt. Secunda pars, quòd *commiſeratio ſit inutilis*, eo ſenſu, quo ipſemet explicat in demonſtratione, admitti poteſt, quatenus melius eſt ex ductu rationis homini bene facere, quàm ex Affectu.

Corollarium cum hac limitatione acceptum, *quod homo, qui ex dictamine rationis vivit, conatur, quantum poteſt, efficere, ne commiſeratione tangatur*, ſi ſcilicet ſubintelligatur, *quatenus mavult ex ductu rationis homini benefacere, quam ex Affectu*, poteſt admitti.

In Scholio ſupponit, verum eſſe, *quod omnia ex naturæ divinæ neceſſitate ſequantur*, quam planè confundit cum Univerſo, opificem

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ab opere non diſtinguens, uti in ſuperioribus vidimus, unde illam hypotheſin etiam rejicere coacti ſumus. Si dixiſſet, *qui rectè novit, omnia ex divino decreto neceſſario ſequi, & ſecundum æternas naturæ leges & regulas fieri, is ſanè nihil reperiet, quod Odio, Riſu aut Contemtu dignum ſit;* adde, *excepto peccato*, quod deviat ab ordine creaturæ rationali præſcripto etſi cum ordine Univerſali naturæ conveniat, nec fiat, niſi permittente ordinante & dirigente Deo, hoc inquam modo reformata ejus verba poſſemus admittere. Addit Spinoza: *talis non cujuſquam miſerebitur ſed quantum fert humana virtus, conabitur benè agere, ut ajunt, & lætari*, quod adhibitâ noſtrâ limitatione, facile concedemus. Reliqua, quæ ſubjungit omnino pro veris ſunt habenda. *Huc accedit, quòd is, qui commiſerationis affectu facile tangitur, & alterius miſeria vel lacrymis movetur, ſæpe aliquid agit, cujus poſtea ipſum pænitet; tam quia ex affectu nihil agimus, quod certò ſcimus bonum eſſe, quam quia facile falſis lacrymis decipimur. Atque hîc expreſſe loquor de homine, qui ex ductu rationis vivit. Nam, qui nec ratione, nec commiſeratione movetur, ut aliis auxilio ſit, is rectè inhumanus appellatur. Nam* (per Prop. 27. p. 3.) *homini diſſimilis eſſe videtur.*

PROP. LI. *Favor rationi non repugnat, ſed cum eâdem convenire, & ab eadem oriri poteſt.*

ADmittimus libentes hanc Propoſitionem.

Demonſtrationes duas ad illam probandam adhibet, quas, prout jacent, recipere poſſumus.

De Scholii veritate etiam non contendemus cum Spinoza. Facile concedimus, Odium & Indignationem, ſi pro Objecto habeant ipſum hominem mala eſſe; ſic quoque largimur, ſummam poteſtatem, dum civem, qui alteri injuriam fecit, tutandæ pacis causâ punit, poſſe id facere non Odio ad perdendum civem, ſed pietate motum.

PROP. LII. *Acquieſcentia in ſe ipſo ex ratione oriri poteſt, & ea ſola acquieſcentia, quæ ex ratione oriri poteſt, ſumma eſt, quæ poteſt dari*

PRopoſitio iſta ſatis clara eſt, ita ut nulla demonſtratione videatur indigere, nec tamen volumus demonſtrationi Spinozæ refragari, quæ ſatis rectè procedere videtur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Scholium etiam rectè ſe habet. *Eſt revera Acquieſcentia in ſe ipſo ſummum, quod ſperare poſſumus.* Demonſtrationem hujus videat, qui voluerit penes Auctorem.

PROP. LIII. *Humilitas virtus non eſt, ſive ex ratione non oritur.*

HAnc Propoſitionem & falſam & pernicioſam plane cenſeo. Falſam dico, quia ratio jubet, ut homo ſemetipſum contempletur, qualis eſt, adeoque ut, ſi imperfectionem & impotentiam in ſe deprehendat, eam libens agnoſcat. Pernicioſa quoque eſt, quod planam viam ſternat ad ſuperbiam, quæ multorum malorum eſt origo.

Sed examinemus prætenſam demonſtrationem. Dicit, *Humilitatem eſſe Triſtitiam, quæ ex eo oritur, quòd homo ſuam impotentiam contemplatur* (per 26 Definit. Affect.) *Quatenus autem homo ſe ipſum vera ratione cognoſcit, eatenus ſuam eſſentiam intelligere ſupponi, hoc eſt* (per Prop. 7. p. 3.) *ſuam potentiam. Quare ſi homo, dum ſe ipſum contemplatur, aliquam ſuam impotentiam percipit, id non ex eo eſſe, quod ſe intelligit, ſed* (ut Prop. 43. p. 3. oſtenſum) *ex eo, quod ipſius agendi potentia coërcetur.* Quæ quidem omnia nos admittimus, ſed negamus inde ſequi hanc Propoſitionem, quam propoſuit ſibi demonſtrandam. Etſi enim impotentiam non intelligat ex eo, quod ſe intelligit, hoc eſt, quod poſitivam habet perceptionem ſuarum perfectionum, intelligit tamen eam quocunque modo, imo vel hoc ipſo modo, quod ſuam agendi potentiam ſentit coërceri. Sophiſma ergo merum hic videtur latere in ambiguitate iſtius phraſeos, *intelligere ſuam impotentiam*; ſi enim id ſumas pro *poſitivum conceptum formare ſuæ impotentiæ*, verum eſt, hominem non intelligere ſuam impotentiam, ſed inde non ſequitur, Humilitatem non oriri ex ratione, quum ratio ſaltem eatenus intelligat mentis impotentiam, quatenus ejus potentiam ſentit coërceri, quod ſufficit. Sed negat porro Spinoza, *hominem ſuam impotentiam concipere ex eo, quod aliquid ſe potentius intelligit, cujus cognitione ſuam agendi potentiam determinat*, quia inquit, *tum nil aliud nos concipere, quàm quod homo ſe ipſum diſtinctè intelligit* (per Prop. 26. hujus) *quo ipſius agendi potentia juvatur.* An ſic voluerit ſugillare Carteſium, qui Medit. III. urget, nos habere ideam Dei, ex eo, quòd intelligamus nos eſſe imperfectos, multa nobis deeſſe, quod non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

poſſemus cogitare, niſi obverſaretur nobis idea Entis ſummè perfecti, ad quam noſtras imperfectiones metiremur, non poſſum dicere, hoc ſaltem certum eſt, eâdem hîc ludere hominem iſtum ambiguitate, quâ antea luſit: Verum enim eſt, non intelligi impotentiam noſtram poſitivo aliquo conceptu, ſed quia tamen homo conſcius eſt ſibi, ſuum intellectum terminari in hominis potentiâ, quam percipit ſe non extendere ulterius, eo ipſo poteſt dici, ſuam impotentiam contemplari. Quod ſi hoc argumentandi genere velimus uti, eâdem ratione colligemus, nos per rationem non intelligere, nos eſſe finitos, quia cum illi termini, illi fines in negatione ulterioris perfectionis conſiſtant non poſſunt intelligi, ſed tantùm quod hominis perfectio coërceatur. Laudetur ergo humilitas, & ad eam excitentur, qui à ſe nihil humani alienum eſſe putant.

PROP. LIV. *Pœnitentia virtus non eſt, ſive ex ratione non oritur; ſed is, quem facti pœnitet, bis miſer, ſeu impotens eſt.*

EJuſdem furfuris hæc eſt Propoſitio cum præcedente, falſiſſima nempe, quoad utramque ſui partem & pernicioſâ. Si dixiſſet, id, ob quod nos pœnitet, ex ratione non oriri, verum dixiſſet neque quicquam eſſet quod reprehenderemus; ſed ipſa pœnitentia maxime ex ratione oritur, quæ docet, non amplius committenda eſſe, quæ perperam fuerint facta, & de factis tanquam de malis veris nos triſtari oportere. Quod ſi bis miſer ſit dicendus, quem pœnitet, ad illam fugiendam miſeriam abſtinendum omnino à pœnitentia erit, quod ad factorum emendationem utique nullo pacto conducet, & omnibus ſceleribus apertam faciet januam.

Demonſtrari dicit Spinoza primam Propoſitionis partem, ſicut prior demonſtrata fuit; atque hæc demonſtratio nullis firmis nixa fuit fundamentis, unde hanc quoque concidere neceſſe eſt. Alteram partem demonſtrare conatus eſt ex definit. Pœnitentiæ, *quòd talis primò prava Cupiditate, dein Triſtitiâ vinci ſe patitur.* At is, qui agit pœnitentiam, victus quidem eſt antea prava cupiditate, ſed nunc tamen non poteſt dici victus eſſe Triſtitia; Triſtitiæ enim ſi ſuccumbat non pœnitere, ſed deſperare dicetur. Non omnes, qui habent affectus animi, iis ſuccumbunt, ſed per rationem iis moderari poſſunt.

In Scholio quædam adducit, quibus mederi quodammodo vult dictis, eaque emollire conatur, quæ ad examen revocare operæ pretium eſt. *Quia homines*, inquit, *raro ex dictamine rationis vivunt, ideo hi duo affectus, nempe Humilitas & Pœnitentia, & præter hos Spes & Metus plus utilitatis, quàm damni afferunt*; in quibus aliquid veri deprehenditur, hoc nempe, quod illa omnia ſi recta dirigantur ratione & ſic moderamini ſubjiciantur, utilitatem afferant; ſed quod Spinoza ſupponit, ſemper aliquid damni ſecum ferre, nos pro falſo habemus; quod verò exinde infert, pejus eſt reliquis: *atque adeò, quandoquidem peccandum eſt, in iſtam partem potius peccandum.* Non enim ſunt facienda unquam mala, ut eveniant bona: nego peccari Humilitate vel Pœnitentià, Spe vel Metu, modo hos affectus dirigat recta ratio. Pergit: *Nam, ſi homines animo impotentes æquè omnes ſuperbirent, nullius rei ipſos puderet, nec ipſi quicquam metuerent, quo vinculis conjungi, conſtringique poßent; terret vulgus, niſi metuat*, quæ concedimus. His ſubjungit; *quare non mirum quòd Prophetæ, qui non paucorum, ſed communi utilitati conſuluerunt, tantopere Humilitatem, Pœnitentiam & Reverentiam commendaverint.* Hæc ſcilicet faciunt ad mitigandam injuriam, quam Prophetis antea intulerat, dum Humilitatem & Pœnitentiam, quam illi paſſim urgent, ex choro virtutum voluit eſſe relegatas. Sed Prophetæ non tantùm communi utilitati voluerunt conſulere, ſed quia judicarunt, nullum eſſe hominem, cùm omnes deviaverint à viis Dei, quin Humilitas & Pœnitentia illi ſit ſummoperè neceſſaria, commendarunt Triſtitiam ſecundùm Deum, tanquam originem converſionis cordis ad Deum. Quod ſi verum eſt, quod ſubjungit Spinoza: *Et reverà, qui hiſce affectibus ſunt obnoxii, multò facilius, quàm alii duci poſſunt, ut liberi ſint, & beatorum vitâ fruantur*; neceſſarii ergo ſunt illi, & multo magis, ſi abſque illis fieri nequeat, ut aliquis ex ductu Spiritus Sancti vivat, quod omnino requiritur ab iis, qui meliorem poſt hanc exſpectant vitam & anhelant.

PROP. LV. *Maxima Superbia vel Abjectio eſt maxima ſui ignorantia.*

HÆc Propoſitio ex definitionibus patet, unde facile poteſt admitti.

Prop. LVI. *Maxima ſuperbia vel Abjectio maximam animi impotentiam indicat.*

HAnc etiam facile admittere poſſumus, cum ex naturâ Superbiæ & Abjectionis animi ſit manifeſta.

Demonſtratio tamen Spinozæ non ſtat firmis talis, quales ſunt Coroll. Prop. 22. hujus, 24. Prop. hujus & Defin. 8. hujus, unde eam ſuo auctori libenter relinquimus.

Corollarium admittimus. *Hinc clariſſimè ſequitur, ſuperbos & abjectos maximè affectibus eſſe obnoxios.*

Scholio etiam ſubſcribimus. *Abjectio tamen facilius corrigi poteſt, quàm Superbia; quandoquidem hæc Lætitiæ, illa autem Triſtitiæ eſt affectus; atque adeo* (per Prop. 18. hujus) *hâc illa fortior eſt.*

Prop. LVII. *Superbus paraſitorum ſeu adulatorum præſentiam amat, generoſorum autem odit.*

ETiam hoc ipſum ex naturâ Superbiæ ſatis poteſt intelligi. Demonſtratio verò Spinozæ non benè ſtabilita eſt fragilibus his fundamentis, cujuſmodi eſt 6 Defin. Affect. & Scholium Prop. 13. III.

In Scholio recenſet mala Superbiæ, quæ facile agnoſcimus. Sed revocemus ad examen ea quæ ſequuntur: *Atque hæc*, inquit, *ex hoc affectu tàm neceſſario ſequuntur, quàm ex natura trianguli, quod ejus tres anguli æquales ſint duobus rectis; & jam dixi, me hos & ſimiles affectus malos vocare, quatenus ad ſolam humanam utilitatem attendo. Sed naturæ leges communem naturæ ordinem, cujus homo pars eſt, reſpiciunt; quod hîc in tranſitu monere volui, ne quis putaret, me hîc hominum vitia & abſurda facta narrare; non autem rerum naturam & proprietates demonſtrare voluiſſe. Nam, ut in præfatione Partis Tertiæ dixi, humanos affectus, eorumque proprietates perinde conſidero, ac reliqua naturalia. Et ſanè humani affectus, ſi non humanam, naturæ ſaltem potentiam & artificium non minus indicant, quàm multa alia, quæ admiramur, quorumque contemplatione delectamur.* Verum eſt equidem, mala Superbiæ tàm neceſſariò ſequi ex naturâ Superbiæ, quam ex naturâ trianguli ejus proprietates, noſque id nolumus negare; modò inde non inferatur, hominem carere omni libertate, ut ſic, tanquam in re bruta, non poſſit ex

homine, quæ antea fuit ſuperbia, expelli & eradicari per virtutis exercitium.

Prop. LVIII. *Gloria rationi non repugnat, ſed ab ea oriri poteſt.*

ADmittimus hanc Propoſitionem ut & Demonſtrationem Spinozæ.

In Scholio egregiè naturam vanæ gloriæ ab initio explicat, & quantis curis ſe afficiant, qui eam affectant, quæ legere licet, cui libuerit. Quæ porro ſequuntur, agunt de Pudore, quem in eundem refert ordinem, in quem ſupra retulit Miſericordiam & Pœnitentiam; contra quæ legi poſſunt, quæ annotavimus ad Prop. 50. 54. IV. Hæc vero probamus, quod Pudorem dicit *bonum eſſe, quatenus indicat, homini, qui Pudore ſuffunditur, cupiditatem ineſſe honeſtè vivendi, ſicut dolor, qui eatenus bonus dicitur, quatenus indicat partem læſam nondum eſſe putrefactam.* Addit: *quamvis homo, quem facti alicujus pudet, reverâ ſit triſtis, eſt tamen perfectior impudenti, qui nullam habet honeſtè vivendi cupiditatem.* In quibus ſupponit, omnem Triſtitiam revera eſſe malum, cùm tamen magnum ſæpe homini commodum conferat, uti ex iis, quæ de Pœnitentia diximus, manifeſtum eſſe poteſt. Tandem de cupiditatibus inquit, *cupiditates bonas aut malas eſſe, quatenus ex bonis aut malis affectibus oriuntur.* (melius dixiſſet, quatenus feruntur in bonum aut malum, quod pro bono homo habet, quod verum, etſi ex affectibus aliis, ſive bonis, ſive malis non oriantur.) *Sed omnes revera, quatenus ex affectibus, qui paſſiones ſunt, in nobis ingenerantur, cœcæ ſunt* (ut facile colligitur ex iis, quæ in Schol. Prop. 44. hujus diximus) *nec ullius uſus eſſent, ſi homines facile duci poſſent, ut ex ſolo rationis dictamine viverent*; quæ facile probamus.

Prop. LIX. *Ad omnes actiones, ad quas ex affectu, qui paſſio eſt, determinamur, poſſumus abſque eo à ratione determinari.*

HAnc Propoſitionem facile admittimus, non tamen propter Spinozæ demonſtrationes. Primæ fundamentum eſt, quod *ex ratione agere nihil ſit aliud, quàm ea agere, quæ ex neceſſitate naturæ noſtræ in ſe ſola conſideratæ ſequuntur*, quod nec dictum eſt Defin. 2. nec Prop.

3. III. ad quas provocat, nec ſi dictum eſſet, verum foret. Ad neceſſitatem naturæ noſtræ pertinet, habere mentem, ſed non pertinet ad illam, ut ſemper ex ratione agat, cum etiamſi non affectibus agitatur, ei non repugnet, ut à ratione aberrare poſſit. Aliud fundamentum hujus Demonſtrationis eſt definitio Cupiditatis, quam ad Defin. I. reprehendimus. Altera demonſtratio nititur inter alia eo, quòd nulla actio in ſe ſola conſiderata bona aut mala ſit, quod rejecimus in Præf. hujus, lectorem ablegantes ad ea, quæ ad Appendicem Partis I. diximus.

In Scholio benè obſervat, *hæc clarius explicari exemplo. Nempe*, inquit, *verberandi actio, quatenus phyſicè conſideratur, & ad hoc tantùm attendimus, quod homo brachium tollit, manum claudit, totumque brachium vi deorſum movet, virtus eſt, quæ ex corporis humani fabrica concipitur. Si itaque homo Ira vel Odio, commotus determinatur ad claudendam manum, vel brachium movendum, id, ut in Parte ſecundâ oſtendimus, fit, quia una eademque actio poteſt jungi quibuſcunque rerum imaginibus; atque adeo tam ex iis imaginibus rerum, quas confusè, quam quas clarè & diſtinctè concipimus ad unam eandemque actionem determinari poſſumus.* Quæ omnia faciles admittimus.

PROP. LX. *Cupiditas, quæ oritur ex Lætitia, vel Triſtitia, quæ ad unam vel ad aliquot, non autem ad omnes Corporis partes refertur, rationem utilitatis totius hominis non habet.*

HÆc Propoſitio ex ipſis terminis patet, nullaque videtur egere demonſtratione.

Demonſtratio vero Spinozæ inter alia fundamenta nititur Prop. 7. & 12. III. quæ ſunt falſæ, & propterea conſiſtere nequit.

Sequitur Scholium. *Cum itaque Lætitia plerumque* (per Schol. Prop. 44. hujus) *ad unam corporis partem referatur, cupimus ergo plerumque noſtrum eſſe conſervare, nulla habita ratione integræ noſtræ valetudinis*; quæ nos pro veris admittimus. Sed his ſubjungitur: *ad quod accedit, quòd Cupiditates quibus maxime tenemur*, (per Coroll. Prop. 9. hujus) *temporis tantum præſentis, non autem futuri habent rationem*, quod ex Coroll. Prop. 9. non patet, in quo tantum dicitur, *quod imago rei futuræ vel præteritæ debilior ſit imagine rei præſentis* ſed inde non ſequitur, *quod Cupiditates temporis præſentis tantum, non autem futuri habeant rationem*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tionem, quod etiam eſt falſum, & cum natura Cupiditatis pugnat: Non enim præſentia cupimus, cum illa habeamus, ſed futura, niſi id hoc ſenſu intelligatur, quòd cupiamus corpori in præſens bene eſſe, nec ad futurum attendamus.

PROP. LXI. *Cupiditas, quæ ex ratione oritur, exceſſum habere nequit.*

ETiam hæc Propoſitio ex terminis claret; quod enim exceſſum habet eo ipſo ex ratione non poteſt dici oriri.

Spinoza more ſibi conſueto nititur eam probare demonſtratione, quæ falſis nititur omnibus fundamentis, cujuſmodi eſt I. Affect. Defin. item Prop. 3. III. & Defin. 2. III. uti ibidem vidimus.

PROP. LXII. *Quâtenus mens rationis dictamine res concipit, æquè afficitur, ſive idea ſit rei futuræ, vel præteritæ, ſive præſentis.*

VEram eſſe agnoſcimus hanc Propoſitionem propter evidentiam rei, non propter Spinozæ Demonſtrationem. In Demonſtratione Spinozæ hoc deprehendo vitium, quod dicit: *Sive idea ſit rei futuræ, vel præteritæ, ſive præſentis, erit nihilominus æquè vera* (*per Prop.* 41.*p.* 2.) cùm illud non dicatur in illâ Propoſitione, & ſi diceretur, hæc Propoſitio jam falſitatis fuerit convicta; etiam nititur hæc Demonſtratio definit. 4. II. quæ obſcura, imò falſa eſt demonſtrata.

In Scholio dicit: *Si nos, de rerum duratione adæquatam cognitionem habere, earumque exiſteudi tempora ratione determinare poſſemus; eodem affectu res futuras ac præſentes contemplaremur, & bonum, quod Mens ut futurum conciperet, perinde, ac præſens appeteret,* (ubi per *appetere* non videtur intelligere, *cupere*, *deſiderare*, ſed ferri erga aliquid, quo ſenſu ſi id intelligat, poſſumus hæc admittere,) *& conſequenter bonum præſens minus pro majori bono futuro neceſſariò negligeret; & quod in præſenti bonum eſſet, ſed cauſa futuri alicujus mali, minimè appeteret, ut mox demonſtrabimus*; quæ nos jam in anteceſſum poſſumus admittere. Pergit: *Sed nos de duratione rerum*(per Prop. 31. p. 2.) *non niſi admodum inadæquatam cognitionem habere poſſumus, & rerum exiſtendi tempora* (per Schol. Prop. 44. p. 2.) *ſolâ imaginatione determi-*

termi-

terminamus, quæ non æquè afficitur imagine rei præſentis, ac futuræ; (dicere voluit, *quæ non æquè afficitur imagine rei futuræ ac præſentis*) *unde fit, ut vera boni & mali cognitio, quam habemus, non niſi abſtracta, ſive univerſalis ſit, & judicium, quod de rerum ordine & cauſarum nexu facimus, ut determinare poſſimus, quid nobis in præſenti bonum aut malum ſit, ſit potius imaginarium, quàm reale; atque adeo mirum non eſt, ſi Cupiditas, quæ ex boni & mali cognitione, quâtenus hæc futurum proſpicit, oritur, facilius rerum Cupiditate, quæ in præſentiâ ſuaves ſunt, coërceri poteſt, de quo vide Propoſitionem* 18. *hujus Partis*, Ubi verum eſſe concedimus, *quod vera boni & mali cognitio abſtracta ſit*, quando in univerſum cogitamus & aſſerimus, id bonum eſſe, quod agimus ex ratione, ſive, quod cum ratione convenit, malum contra, vel, ut Theologi loquuntur, quod cum voluntate Dei nobis revelata, hoc eſt ipſius Lege convenit, malum contra; ſed inde non ſequitur, *judicium, quo determinamus, quid nobis in præſenti bonum aut malum ſit, eſſe potius imaginarium, quàm reale*; non enim ad id prærequiritur, ut judicium de omni rerum ordine & nexu faciamus, ſufficit, ſi cogitemus, poſt benefacta ſequi præmia & poſt male facta ſequi pœnas, quod judicium planè reale eſt, non imaginarium, cum ex ipſa rerum naturâ hic ordo ſequatur. Verum eſt nos ſæpe ignorare externa illa bona, quæ bona fortunæ dicunt, eorumque nexum cum ſuis cauſis, atque ideò ſæpe ea eſſe imaginaria potius, quàm realia, atque hinc oriri, quod Cupiditas rerum futurarum poſſit coërceri, non quidem Cupiditate rerum præſentium, (non enim circa eas verſatur Cupiditas) ſed amore rerum præſentium: At quantum attinet vera & conſtantia animi bona, quæ in Virtute conſiſtunt, eorum ignorare non poſſumus nexum cum præmio, quod in Acquieſcientia ſui ipſius conſiſtit, ſicque Cupiditas aliarum quarumvis rerum externarum Amore Virtutis non tantùm poteſt, ſed debet coërceri.

PROP. LXIII. *Qui Metu ducitur, & bonum, ut malum vitet, agit, is ratione non ducitur.*

HÆc Propoſitio per ſe nota eſt, & communi probatur verſiculo:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Demonſtratio Spinozæ nititur Propoſ. 3. III. & 59. III. & Definit. 13. Affectuum, quæ fundamenta omnia ſunt falſa. Et hoc admodum frequens eſt hujus Auctoris vitium, ut Propoſitiones veras falſis fundamentis potius labefactet, quàm confirmet.

Scholium rectè ſe habet: *Superſtitioſi, qui vitia exprobrare magis, quàm virtutes docere nôrunt; & qui homines non ratione ducere, ſed metu ita continere ſtudent, ut malum potius fugiant, quàm virtutes amant, nil aliud intendunt, quam ut reliqui æque, ac ipſi, fiant miſeri, & ideo non mirum, ſi plerumque moleſti & odioſi ſint hominibus.*

Corollarium etiam verum eſt: *Cupiditate, quæ ex ratione oritur, bonum directè ſequimur, & malum indirectè fugimus.*

Sed Demonſtratio ad illud probandum nihil facit. Nititur enim Prop. 59. III, quæ falſa eſt, & Prop. 8. IV. quæ dubia eſt.

Scholium facit ad explicandum Corollarium *exemplo ægri & ſani. Comedit æger id, quod averſatur, timore mortis; ſanus autem cibo gaudet, & vitâ ſic melius fruitur, quàm ſi mortem timeret, eamque directè vitare cuperet. Sic judex, qui non Odio, aut Ira &c. ſed ſolo amore Salutis publicæ reum mortis damnat, ſola ratione ducitur.*

PROP. LXIV. *Cognitio mali cognitio eſt inadæquata.*

PEr cognitionem inadæquatam ſolet Auctor intelligere cognitionem, quæ non eſt clara & diſtincta, ſed confuſa. Quo ſenſu hæc Propoſitio accepta omninò pro falſa eſt habenda.

Demonſtratio falſis quoque vel dubiis nititur fundamentis. Dubia eſt Propoſ. 8. hujus. Falſa eſt 3. Defin. Affectuum, Propoſ. 7. III. Prop. 3. III.

Corollarium ejuſdem eſt valoris, cujus eſt Prop. 64. quod propterea ut falſum rejicimus. *Hinc ſequitur, quod ſi Mens humana non niſi adæquatas habeat ideas, nullam mali formaret notionem.*

PROP. LXV. *De duobus bonis majus & de duobus malis minus ex ductu rationis ſequimur.*

HÆc Propoſitio accepta de Morali Bono & Malo, hoc eſt, univerſaliter ſumto, falſa eſt. Ex malis moralibus nunquam licet eligere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quia nunquam licet malum tale committere, & per conſequens non licet ex iis eligere minus. *Non ſunt facienda mala ut eveniant bona.* Hæc falſitas magis pateſcit ex Præfat. in qua Bonum & Malum ſe reſpectivè tantum accipere dicit, nullamque abſolutam Boni & Mali cognitionem admittit, cui fundamento tamen Demonſtratio Spinozæ nititur. Sic falſum eſt, quod annectit, nempe, *minus malum revera eſſe bonum*, quibus fundamentis tertio loco ſuccedit Coroll. Propoſ. præcedentis quod etiam ut falſum ſuo loco repudiavimus.

Sequitur Corollarium: *Malum minus pro majore bono ex rationis ductu ſequemur, & bonum minus, quod cauſa eſt majoris mali, negligemus. Nam malum, quod hic dicitur minus, revera bonum eſt, & bonum contra malum; quare* (per Coroll. Prop. præced.) *illud appetemus, & hoc negligemus. Q. E. D.* Circa hoc idem planè eſt obſervandum, quod circa ipſam Propoſitionem obſervatum fuit, nimirum, *Malum morale, etſi minus ſit, nunquam nos poſſe pro majore bono ſequi*, ob rationem adductam. Demonſtratio pro fundamento habet Corollarium Prop. præced. quod jam refutavimus.

PROP. LXVI. *Bonum majus futurum præ minore præſenti, & malum præſens minus, quod cauſa eſt futuri alicujus mali ex rationis ductu appetemus.*

POſſumus hanc propoſitionem admittere, ſi per Bonum & Malum intelligatur utile & noxium, non verò ſi ſit ſermo de Honeſto & Turpi.

Hoc ſenſu Demonſtratio recte procedit, quæ ſic habet: *Si Mens rei futuræ adæquatam poſſet habere cognitionem eodem affectu erga rem futuram, ac erga præſentem afficeretur per Prop. 62. hujus* (ubi tantùm obſervo, per adæquatam cognitionem hîc intelligere Spinozam eam, *quæ ex rationis dictamine res concipit*, ſic enim ſunt verba Prop. 62. IV.) *quare quatenus ad ipſam rationem attendimus, ut in hâc Propoſitione nos facere ſupponimus, res eadem eſt, ſive majus bonum vel malum futurum, ſive præſens ſupponatur, ac proinde per Prop. 65. hujus bonum futurum majus præ minore præſenti &c. appetemus* Q. E. D.

Corollarium. *Malum præſens minus, quod eſt cauſa majoris futuri boni, & ex rationis ductu appetemus, & bonum præſens minus, quod cauſa eſt majo-*

majoris futuri mali negligemus. Hîc adjungit : *Hoc Coroll. ſe habet ad præced. Prop. ut Coroll. Prop. 65. ad ipſam Prop. 65.* quod libentes fatemur, ac proin idem de Corollario quod de Propoſitione judicium ferimus.

Scholium plane quoque approbamus : *Si igitur hæc cum iis conferantur, quæ in hâc parte uſque ad Prop. 18. de affectuum viribus oſtendimus, facile videbimus, quid homo, qui ſolo affectu, ſeu opinione, homini, qui ratione ducitur, interſit. Ille enim, velit nolit, ea, quæ maximè ignorat, agit; hic autem nemini, niſi ſibi, morem gerit, & ea tantùm agit, quæ in vita prima eſſe novit, quæque propterea maximè cupit, & ideo illum Servum, hunc autem Liberum voco, de cujus ingenio & vivendi ratione pauca adhuc notare libet.*

PROP. LXVII. *Homo liber de nullâ re minus, quàm de morte cogitat, & ejus ſapientia non mortis, ſed vitæ meditatio eſt.*

HÆc Propoſitio vera eſſe non poteſt. Homo liber juxta Spinozam eſt is, qui ex ductu rationis agit : at ratio dictat, homini eſſe moriendum, eadem quoque docet, animam non interire cum corpore, nec Dei conſtantiam permittere, ut eam deſtruat, ſive in nihilum redigat : Quomodo ergo per rationem fieri poteſt, ut homo liber non cogitet de morte, non ſolicitus ſit de ſtatu animæ ſuæ poſt mortem, nec curam gerat, ut ei poſt mortem ſit benè. An autem ratio ſola poſſit invenire modum, quo animæ poſt mortem ſit benè, hîc non quæritur, & ſi id quæratur, certum eſt, ad id rationem non ſufficere, ſed Revelationem debere nobis ſuccurrere.

Demonſtratio nititur inter alia Prop. 24. IV. quam falſam eſſe oſtendimus; quæ tamen ſi vera eſſet, non ſequeretur inde conſequens illud, quod educit. Non enim vera eſt hæc conſequentia : *Si homo liber ex ſolo rationis dictamine cupit agere, vivere, ſuum eſſe conſervare ex fundamento proprium utile quærendi : Ergo nihil minus quàm de morte cogitat*, cujus negatæ rationem ſupra jam dedimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROP. LXVIII. *Si homines liberi naſcerentur, nullum boni & mali formarent, conceptum, quamdiu liberi eſſent.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio ſi intelligatur de Honeſto & Turpi. Quid enim, an homo ſolâ utens ratione nullam habebit cognitionem honeſti & turpis? An nullas habebit ideas Dei, ſui ipſius, aliorum hominum? An inde non poterit cognoſcere officia, quæ Deo, proximo & ſibi ipſi debet? An non hæc ſunt bona, & deviatio ab illis an non mala dicenda? An etiam homo ſolâ utens ratione non cognoſceret, quid utile ſibi foret ad ſui conſervationem, quid noxium? An verò iſtud non eſſet bonum, hoc malum? Falſa etiam eſt, ſi intelligatur de Bono utili & Malo Triſti. Quid enim hîc connexionis eſſe poteſt inter Libertatem & Ignorantiam Boni utilis & Mali Noxii? An homo utens ſolâ ratione non poterit cognoſcere, quid ſibi ſit utile, quid noxium? quin imò an non potius Ratio docet nihil eſſe homini reverâ Utile, niſi Honeſtum, nihil Noxium niſi reverâ Turpe? Sed examinemus Spinozæ demonſtrationem, & exploremus ejus vires ad iſtam Propoſitionem probandam. Tota illa nititur Coroll. Prop. 64. IV. quod cùm paulo ante convictum fuerit falſitatis, hæc ipſa Propoſitio, quæ ſuper eo fundatur, ſponte ſuâ concidit.

Etiam conatur Spinoza hanc ſuam ſententiam ſtabilire ex Moſe in Scholio, quod adjungit, quod breviter conſideremus. *Hujus* inquit, *Propoſitionis hypotheſin falſam eſſe, nec poſſe concipi, niſi quâtenus ad ſolam naturam humanam ſeu potius ad Deum attendimus, non quâtenus infinitus, ſed quâtenus tantummodo cauſa eſt, cur homo exiſtat, patet ex 4. Propoſitione hujus Partis.* Nobis verò hujus Propoſitionis hypotheſis tantum abeſt, ut videatur falſa, ut potius è contrario ſtatuamus, hominem primum liberum planè fuiſſe creatum, h. e. plenè utentem ratione, quem eo ipſo ſtatuimus boni & mali formâſſe conceptum. Nugæ meræ ſunt, quando opponit hæc duo, *Deum infinitum*, & *Deum, quâtenus cauſa eſt, cur homo exiſtat*, cum Deus non poſſit eſſe cauſa cur homo exiſtat, niſi infinitus foret.

Sed hæc in ſuperioribus ſub alia phraſi jam examinavimus & refutavimus. Ex quartâ Propoſitione hujus Partis non patet, *homininem li-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

liberum eſſe non poſſe. Propoſitio iſta dicit : *Fieri non poſſe, ut homo non ſit Naturæ pars, & ut nullas poſſit pati mutationes, niſi, quæ per ſolam ſuam naturam poſſint intelligi, quarumque adæquata ſit cauſa*, ſed hæc non pugnant cum libertate, poſſumus enim ratione uti in diſponendis, dirigendis & ferendis moderatè iis, quæ nobis ut Naturæ parti, queunt evenire. Sed videamus, quàm egregiè Moſes conveniat cum ſuâ ſententiâ. *Atque hoc & alia*, inquit, *quæ jam demonſtravimus, videntur à Moſe ſignificari in illa primi hominis hiſtoria. In ea enim nulla alia Dei potentia concipitur, quàm illa, qua hominem creavit, hoc eſt, potentia, qua hominis ſolummodo utilitati conſuluit, atque eatenus narratur, quòd Deus homini libero prohibuerit, ne de arbore cognitionis boni & mali comederet, & quòd, ſimulac de ea comederet, ſtatim mortem metueret potius quàm vivere cuperet.* At quid ſibi vult iſta phraſis, *quòd potentia, qua Deus hominem creavit, eadem ſit cum illa, qua hominis ſolummodo utilitati conſuluit*? una eſt & eadem Dei potentia, qua omnia fecit & facit, quá creat, quâ conſervat, quâ hominis utilitati conſulit &c. quia nihil eſt in Deo, niſi quod ſit Deus; ſi illam phraſin eo ſenſu accipiat Spinoza nolumus ei repugnare. Sed nos metuimus, ne ſub illa herba anguis lateat. Quomodo verò ſequetur, ſi Deus hominis utilitati conſuluit Ergo prohibuit ne cognoſceret bonum & malum, cum è contrario, quia Deus hominis utilitati conſuluit, debuerit ei largiri cognitionem boni & mali, quippe qui voluerit eum gubernare modo conveniente cum creatura rationali. Prohibitio iſta, ne conmederet de arbore ſcientiæ boni & mali, non eſt allegoricè intelligenda, ſed propriè prout tota hiſtoria Moſis huc aurigatur. Conceſſit Deus homini primùm condito omnium fructuum arborum eſum, excepit unam arborem, de quâ ne conmederet prohibuit; voluit ſic Deus in re levi hominis explorare obedientiam, quod in tanta copia fructuum facile poſſet ab uno genere abſtinere. Hæc nota ſunt inter Chriſtianos, & facicile plenius ex hiſtoria Moſis poſſent deduci, ſi id requireret neneceſſitas. Non ergo prohibuit homini quod ad eſſentiam & naturam ejus pertinet, cujuſmodi eſt cognitio boni & mali juxta dicta. Nec intelligi poteſt, quomodo Deus homini, quem ad imaginem ſuam fecit, & cujus cordi legem naturæ inſcripſit, potuerit prohibuiſſe cognitionem Boni & Mali; quomodo potuit prohibuiſſe, quod ipſe dabat & quod per conſequens homo non poterat non habere?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Lex illa docebat Bonum eſſe homini adhærere ſuo Creatori, & ſe componere ad hujus nutum, Malum ab eo recedere & mandato ejus refragari. Ineptè quoque verba interdicto Moſis adjecta, *quotieſcunque de illa arbore comederis morte morieris*, exponuntur in hunc ſenſum; ut *ubi de ea comederet, ſtatim mortem metueret potius, quàm vivere cuperet*. Sic Deus dixiſſet: *Noli ô homo cognoſcere bonum & malum; ſi enim illa cognoveris*, mortem metues potius, quam vivere cupies. Quis vero Deum ritè æſtimans verba hæc habebit digna ipſius majeſtate? Prohibebit homini cognitionem, quam in ipſo homine poſuit, & quæ neceſſaria ipſi ad vitæ gubernationem: Rationem afferet ſuæ prohibitionis planè inconſequentem. Mortem metuet potius quàm vivere cupiet homo, ſi bonum & malum cognoverit: Quomodo opponuntur *metuere mortem & cupere vivere*, ut potius prius, quam poſterius debeat dici? An non eadem ſunt hæc duo; cupere vivere & metuere mortem? An non mors & vita ſunt oppoſita? An non qui cupiet unum ita ſaltem metuet alterum, ut cupiat omnia, quæ huic ſunt oppoſita? Quomodo cohærent cognitio boni & mali cum metu mortis potius, quam cum deſiderio vivendi? An non Deus cognoſcit bonum & malum? An ergo metuet mortem potius quàm vivere cupiet? apage cum iſtiuſmodi inconcinnis argumentationibus. Homo primus ante lapſum cognoſcebat, bonum eſſe ſubjici ſuo Creatori, obedientem eſſe ejus mandatis, malum vero eſſe ab ipſius mandatis recedere, hæc cognitio ad vitam ducebat æternam & mortis metum expellebat, quamdiu ſe Creatoris voluntati ſubjiciebat. Tædet fere ineptiarum hujus auctoris, & tamen tædium eſt devorandum, & examinanda ſunt reliqua, ne quid intactum relinquamus. Sic pergit Spinoza demonſtrare convenientiam ſuæ opinionis cum Moſis dictis: *Deinde, quod inventa ab homine uxore, quæ cum ſua natura prorſus conveniebat, cognovit nihil poſſe in natura dari, quod ipſi poteſſet illa eſſe utilius; ſed quod, poſtquam bruta ſibi ſimilia eſſe credidit, ſtatim eorum affectus imitari inceperit* (vide Prop. 27. p. 3.) *& libertatem ſuam omittere, quam Patriarchæ poſtea recuperaverunt ductu Spiritu Chriſti, hoc eſt, Dei idea, à qua ſola pendet, ut homo liber ſit, & ut bonum, quod ſibi cupit, reliquis hominibus cupiat, ut ſupra* (per Prop. 37. hujus) *demonſtravimus*. Hîc verò concedimus, hominem inventa uxore, vel potius, ut loquitur Moſes, accepta uxore à Deo ſibi conceſſa, cognoviſſe eam ſibi commodum fore au-

auxilium & vitæ ſociam atque imprimis aptam ad implendam benedictionem divinam de propagatione generis humani. Sed non dicit Moſes, hominem cognoviſſe, bruta ſibi eſſe ſimilia, quin imò potius contrarium dicit, dum inquit; homini inter bruta non inventum eſſe commodum auxilium Gen. II. 20. neque dicit, *hominem imitari cœpiſſe brutorum affectus*, de quo ne γρῦ quidem legitur apud Moſen, neque verum eſt univerſaliter: Qui credit rem aliquam ſibi eſſe ſimilem ejus affectus imitari incipere, & nos Prop. 27. III. ad quam provocat, falſitatis in ſuperioribus convicimus. Somnia ſunt, *quod Spiritus Chriſti ſit Dei idea* ſcil. quam homo habet in mente ſua de Deo, & quod ab illâ ideâ pendeat, ut homo ſit liber id eſt ut ductum rationis non affectuum ſequatur. Spiritus Chriſti juxta mentem Scripturæ eſt tertia S. S. Trinitatis perſona, ab ejus operatione pendet hominum fidelium regeneratio, inter quos Patriarchas alioſque viros pios merito referimus; idea verò, quam homo habet de Deo non ſufficit, ut homo lapſus ſola ratione ducatur, cum ea ſit communis omnibus hominibus, quorum tamen maxima pars ductum affectuum potius, quam rationis ſequitur. Quænam verò hîc eſt concordia inter Spinoza dicta? Dixerat ſuperius, *hominem liberum eſſe non poſſe*: Ergo & primus homo liber non fuit, nullam habuit libertatem: Ergo libertatem amittere non potuit, quam nullam habebat. Quomodo ergo hic dicit, hominem primum brutorum affectus imitari & *libertatem ſuam amittere cœpiſſe*?

PROP. LXIX. *Hominis liberi virtus æquè magna cernitur in declinandis, quàm in ſuperandis periculis.*

POſſumus hanc Propoſitionem admittere, quamvis demonſtratio vacillet. Nititur enim Prop. 7. IV. (ex errore typographico eſt Prop. 9.) quam ut falſam ſupra rejecimus.

Corollarium, quod ſubjungit, explicationis loco inſervire poteſt: *Homini igitur libero æquè magnæ Animoſitati fuga in tempore ac pugna ducitur; ſive homo liber eadem animoſitate, ſeu animi præſentia, qua certamen, fugam eligit.*

Scholium quoque facile probamus: *Quid Animoſitas ſit, vel quid per ipſam intelligam in Scholio Prop. 59. p. 3. explicui. Per periculum autem*

id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

id omne intelligo, quod poteſt eſſe cauſa alicujus mali, nempe Triſtitiæ, Odii, Diſcordiæ &c.

Prop. LXX. *Homo liber, qui inter ignaros vivit, eorum, quantum poteſt beneficia declinare ſtudet.*

PLacet hæc Propoſitio, atque ejuſdem demonſtratio, quam propterea adjungimus.

Demonſtratio: *Unuſquiſque, ex ſuo ingenio judicat, quid bonum ſit* (vid. Schol. Prop. 39. p. 3.) *ignarus igitur, qui in aliquem beneficium contulit, id ex ſuo ingenio æſtimabit, & ſi minoris ab eo, cui datum eſt, æſtimari videt, contriſtabitur* (per Prop. 42. p. 3.) *At homo liber reliquos homines amicitia ſibi jungere* (per Prop. 37. hujus) *nec paria hominibus beneficia ex eorum affectu referre; ſed ſe & reliquos libero rationis judicio ducere, & ea tantùm agere ſtudet, quæ ipſe prima eſſe novit: ergo homo liber ne ignaris odio ſit, & ne eorum appetitui, ſed ſoli rationi obſequatur, eorum beneficia quantum poteſt, declinare conabitur.*

Scholium obſervationem politicam habet, quam probamus: quæ legi poterit apud Auctorem.

Prop. LXXI. *Soli homines liberi erga ſe invicem gratiſſimi ſunt.*

HUic Propoſitioni nemo quoque jure contradixerit, quippe quæ ex terminis rite intellectis ſatis patet.

Demonſtrationem Spinozæ quoque libenter admittimus, quam videre poterit apud ipſum, qui voluerit, ut & ea, quæ de gratitudine & Ingratitudine in Scholio diſſerit, quæ ſimiliter improbari non poſſunt.

Prop. LXXII. *Homo liber nunquam dolo malo, ſed ſemper cum fide agit.*

HUjus Propoſitionis veritas evidens eſt ex naturâ contractûs, qui nititur propriæ conſervationis ſtudio, contra quod agendum foret, ſi dolo malo liceret uti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Huc videtur tendere demonſtratio Spinozæ, quam videre eſt apud ipſum.

Scholium quia notatu dignum his adjiciam : *Si jam quæratur, quid ſi homo ſe perfidia à præſenti mortis periculo poſſet liberare, an non ratio ſuum eſſe conſervandi omnino ſuadet, ut perfidus ſit; Reſpondebitur eodem modo, quod ſi ratio id ſuadeat, ſuadebit ergo omnibus hominibus, atque adeo ratio omnino ſuadet hominibus, ne niſi dolo malo paciſcantur vires conjungere & jura habere communia, hoc eſt, ne revera jura habeant communia, quod eſt abſurdum.*

PROP. LXXIII. *Homo, qui ratione ducitur magis in civitate, ubi ex communi decreto vivit, quàm in ſolitudine, ubi ſibi ſoli obtemperat, liber eſt.*

HÆc Propoſitio facile noſtrum aſſenſum impetrabit, ſi cogitetur tantum, hominem ſuum eſſe longe felicius poſſe conſervare, ubi communi defenſione tutus eſt, quam in ſolitudine, ubi ad ſe defendendum ſibi non ſufficit. Qui tamen magis delectatur demonſtratione Spinozæ poterit eam videre apud Auctorem.

In Scholio, quæ de natura & proprietatibus Fortitudinis diſſerit, poſſumus admittete. Sed his ſubjungit, *virum fortem hoc apprimè conſiderare, quod omnia ex neceſſitate naturæ divinæ ſequantur*, quod ad Scholium Prop. 59. hujus Partis & aliis in locis rejecimus & refutavimus, eſtque illud dogma ſeges & origo variorum abſurdorum, quæ & ipſemet inde deducit in ſequentibus nempe, *quod vir fortis quicquid moleſtum & malum eſſe cogitat, & quicquid præterea impium, horrendum, injuſtum & turpe videtur, ex eo oriatur, quod res ipſas perturbate, mutilatè & confuſe concipit*, quæ horrenda ſunt revera, & ex orco revocant peſtilentiſſimum illud Libertinorum dogma jam olim à Calvino refutatum, *quòd peccatum tantùm in imaginatione conſiſtat.* Mirum autem non eſt, hunc hominem ita ratiocinari, cùm Mundum cum Deo confundat, ei deneget omnem Voluntatem, ac propterea non agnoſcat in Deo nec voluntatem qua decernit omnia, quæ fieri in mundo debent, quæque eſt cauſa Ordinis Univerſalis, nec Voluntatem, quâ conſtituit Ordinem particularem in creaturis rationalibus, probat Bonum & Malum improbat. Sed qui naturam Dei rectè intellexerit facile ex his omnibus ſe expediet, at-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

que intelliget, quæ impia ſunt, horrenda, injuſta & turpia revera talia eſſe, quia pugnant cum particulari ordine, quem Deus naturæ creaturarum rationalium inſculpſit, ea tamen à Deo permitti & ita dirigi ut cum ordine univerſali componantur & concilientur optimè. Cætera, quæ cum his conjungit, *quod vir fortis conetur res, prout in ſe ſunt, concipere & veræ cognitionis impedimenta removere, atque adeo, quantum poteſt conetur benè agere & lætari*, nihil habent difficultatis.

APPENDIX.

HÆc in eum finem à Spinoza annectitur, ut quæ de recta vivendi ratione à ſe fuerint tradita ita diſponantur, ut uno adſpectu videri poſſint, quæ ad ſumma Capita XXXII. redegit; de quibus ex iis, quæ à nobis dicta ſunt, facile judicium Lector poterit formare, & quæ à nobis vel recipiantur, vel rejiciantur una cum rationibus, quibus fuimus uſi, intelligere. Operæ igitur pretium non duximus ea de novo examinare atque otio noſtro & Lectoris abuti.

PAR-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PARTIS QUINTÆ
ETHICÆ SPINOZÆ EXAMEN.

IN Præfatione docet, ſe hac Parte oſtenſurum, quid ratio in affectus poſſit, & deinde, quid Mentis Libertas ſeu Beatitudo ſit. Hinc inſurgit adverſus Stocios, qui putârunt, nos affectibus abſolutè imperare poſſe. Huic opinioni dicit non parum favere Carteſium, ejuſque ſententiam enarrat, *quod glans in medio cerebri ſuſpenſa tot variis modis per ſpiritus animales moveatur, quot variis modis ſpiritus animales in eandem impingunt, & tot varia veſtigia in eâdem imprimantur, quot varia objecta externa ipſos ſpiritus animales verſus eandem propellunt, & vice verſa glans ab anima propulſa eodem modo, ut antea à ſpiritibus animalibus erat, viciſſim ſpiritus animales eodem modo determinet, ac antea à ſimili glandulæ ſuſpenſione fuerant repulſi.* Et tandem, *quòd poſſimus cuilibet voluntati jungere motum quemcunque glandis & conſequenter ſpirituum, ſicque voluntate noſtra determinatâ, quæ determinatio à ſola noſtra voluntate pendeat, poſſimus imperium abſolutum acquirere in noſtras paſſiones*, quæ omnia in Tractatu de Paſſionibus videri poſſunt plenius deducta. In ſequentibus verò eandem ſententiam impugnat, atque dicit, *Carteſium, qui firmiter ſtatuerat nihil deducere, niſi ex principiis per ſe notis, & nihil affirmare, niſi quod clare & diſtinctè perciperet, & qui toties Scholaſticos reprehenderat, quòd per occultas qualitates res obſcuras voluerint explicare, hypotheſin ſumat omni occultâ qualitate occultiorem.* Hæc fuit accuſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tio, audiamus rationes. *Quid quæſo*, inquit, *per Mentis & Corporis unionem intelligit? quem clarum & diſtinctum conceptum habet cogitationis arctiſſimè unitæ cuidam quantitatis portiunculæ? vellem ſanè; ut hanc unionem per proximam ſuam cauſam explicuiſſet. Sed ille Mentem à Corpore adeo diſtinctam conceperat, ut nec hujus unionis, nec ipſius Mentis ullam ſingularem cauſam aſſignare potuerit; ſed neceſſe ipſi fuerit ad cauſam Univerſi, hoc eſt, ad Deum recurrere.* Nobis verò hæc Oppoſitio Spinozæ non videtur tanti, ut propterea ſit reſiliendum à ſententiâ Carteſii. Quid enim? An Mens & corpus non ſunt in homine arctiſſimè unita? An non clarè & diſtinctè percipimus iſtam unionem per mortem diſſolvi, adeoque in homine vivo animam & corpus inter ſe invicem eſſe unita? Quis unquam hoc negare potuit? Et an non ipſe Spinoza hanc unionem debuit confiteri? Non ergo de hoc poteſt eſſe ulla controverſia, tantùm de modo unionis iſtius poteſt quæri; arctiſſimam illam eſſe quilibet experimur, in quo illa conſiſtat diſquiritur. Certum autem eſt, idque clariſſimè demonſtravit Carteſius, quòd Mens quamvis arctiſſimè ſit unita corpori, totâ tamen ſua naturâ & eſſentiâ differat à corpore; cùm enim corporis eſſentia tota in extenſione conſiſtat, poſſitque mens exiſtere, etſi nulla planè ſit extenſio, nullum corpus, nulla quantitas, nulla figura, nullus motus, quod Carteſius accuratiſſimè in primâ & ſecundâ Meditatione demonſtravit; eſt ergo talis unio Mentis & corporis concipienda, quæ non tollat & evertat iſtam diſtinctionem. Ita concepit eam & explicuit Carteſius. Calorem & motum procedere à corpore & cogitationes ab animâ probavit in Tractatu de Paſſionibus art. 4. Functiones omnes corporum ad motum reduxit art. 6 & ſequentibus: Functiones animæ in perceptionibus & voluntatibus conſtituit art. 17. & ſequentibus. Ita tamen inter ſe invicem eſſe conjunctas functiones animæ & functiones corporis obſervavit, ut ſe mutuò ſequantur, quod & experientia clarè quemvis noſtrum docet. Et id per Mentis & Corporis unionem Carteſius intellexit. Quòd autem cogitatio *arctiſſimè*, vel, ut loquitur Carteſius, *immediatè* ſit conjuncta cum certa quadam *quantitatis* vel corporis particula, quam glandulam pinealem à formâ ſive figurâ appellant Anatomici, Carteſius demonſtrat art. 34. & ſequentibus, argumentis deſumtis à poſteriori, quæ refutanda fuiſſent Spinozæ. Poſſumus his argumentis addere aliud deſumtum ex morbo, quem Medici

Ca-

Catochen ſive Catalepſin appellant, quod apud alios videri poteſt. Hæc demonſtratio à poſteriori ab omnibus admittitur & ſufficit ad oſtendendum τὸ ὅτι ſive, quòd ita res ſit. Poſtulat nunc Spinoza *proximam cauſam iſtius Unionis, eamque à Carteſio explicatam eſſe ſe velle* dicit. Conqueritur, *Carteſium mentem à corpore adeò diſtinctam concepiſſe, ut nec hujus Unionis, nec ipſius Mentis ullam ſingularem cauſam aſſignare potuerit, ſed neceſſe ipſi fuerit ad cauſam totius univerſi, hoc eſt, ad Deum recurrere.* An ergo putat, mentem debere confundi cum corpore, ut poſſimus habere vel hujus Univerſi vel Mentis ſingularem aliquam cauſam præter Deum? Siccine deducemus omnia ex principiis per ſe notis? An per ſe notum eſt mentem cum corpore eſſe confuſam? An hoc clarè & diſtinctè percipitur? An conceptus confuſus, cujuſmodi eſt is, quo confundimus mentem cum corpore, poteſt eſſe clarus & diſtinctus? An in cogitatione quid eſt corporei? An quid extenſionis in cogitatione? An quies quid habet commune cum perceptione, motus cum volitione? Quòd ſi evidens fuerit, mentis totam naturam & eſſentiam à corpore diſtingui, cùm poſſit alterum concipi altero negato, an ergo potuit dari cauſa ſingularis vel mentis unionis inter hanc & corpus præter Deum? Quid enim eſt in rerum naturâ præter Mentem & Corpus, & utriuſque unicam cauſam nempe Deum? Scio, in ſuperioribus hunc Auctorem concepiſſe in Deo, præter cogitationem & extenſionem, infinita attributa realia, quæ tamen cujuſmodi ſint ſe ignorare fatetur. Largiamur hoc illi, quamvis ſuo loco oſtenderimus talem conceptum eſſe quàm maximè confuſum adeoque variorum errorum ſegetem & fundamentum: An ergo poſito, hoc ita ſe habere, quòd in Deo ſint præter cogitationem & extenſionem infinita attributa realia, ea clarè & diſtinctè cognoſcit? Vellemus nos, illa ab ipſo ſaltem nominata fuiſſe vel clarè explicata. Demus eſſe præter cogitationem & extenſionem res quoque alias, quæ nec ſint extenſæ nec cogitantes, an verò poterimus ejuſmodi aliquam rem conſtituere cauſam iſtius unionis, de quâ nihil certi cognoſcimus, quam ipſe Spinoza non aſſerit ſe cognoſcere? An non ergo dicendum erit ex hac hypotheſi, vel nos cauſam ſingularem iſtius unionis proximam ignorare, vel eam eſſe Deum: Atque ita eadem illi ſuperanda erit difficultas, quam nobis hîc objicit. Nec mirum videri debet Deum, qui eſt cauſa totius univerſi, atque in illo operatur per varias cauſas intermedias, poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quoque eſſe cauſam ſingularem Mentis & unionis quæ eſt inter mentem & corpus. Etſi enim Deus operetur in Univerſo per varias cauſas intermedias, ipſe tamen immediatè attingit effectum, atque totius realitatis, quæ eſt in illo, unica eſt cauſa. Neque Deus omnia operatur per cauſas intermedias, quædam ſibi ſoli reſervavit efficienda. Ipſe mentes ſolus producit, neque poteſt ulla alia cauſa ad earum productionem intervenire intermedia; neque enim mens una alteram producit, neque corpus poteſt producere mentem, nec Spinoza aliam cauſam poteſt adducere, quæ vel mentem producat, vel unionem inter mentem & corpus efficiat præter Deum. Sed homo ille, qui accuſat Carteſium neglectæ claritatis, confundit omnia & meras tenebras inducit, quando mentem confundit cum corpore, quæ adeò accurate fuerant à Carteſio diſtincta, ut hinc ſumma claritas in totâ ejus Philoſophiâ fuerit exorta. Obſervavimus jam antehâc illud in Scholio Prop. 2. III. ubi etiam dicit in memoriam id debere à nobis revocari, *quòd Mens & Corpus una eademque res ſit, quæ jam ſub Cogitationis jam ſub Extenſionis attributo concipitur*, unde hîc facilè cognoſcere poſſumus quare conqueratur, Carteſium mentem nimium à corpore diſtinxiſſe. Scilicet in tenebris migrandum erat, ſi hominibus perſuaderi debebant abſurda illius dogmata & ſententiæ. Unionem inter mentem & corpus in Scholio ad Prop. 13. II. in eo conſtituit, *quòd corpus humanum ſit objectum ideæ mentis humanæ, quodque mens humana hoc ſolum intelligat, non aliud quid.* Hic ſcilicet eſt clarus ille & diſtinctus conceptus mentis & corporis, quem ignorabat Carteſius, quod equidem libenter fateor. Quis enim niſi Spinoza conciperet, *quòd Mens & corpus una eademque res ſit, quæ jam ſub Extenſionis jam ſub Cogitationis attributo concipitur*: Quis niſi, qui didiciſſet omnia tenebris involvere, ut nec ipſe quid velit, nec alii intelligere poſſent? Si hæc duo non diſtinguatur, nihil erit in noſtris conceptibus niſi mera confuſio; quod ſatis quoque ex Spinozæ dogmatibus lectori cuilibet manifeſtum eſſe poteſt. Quænam verò eſt illius *Unionis* proxima cauſa, quam non adduxiſſe Carteſium conqueritur? Eam poſſumus colligere ex Demonſtratione Prop. 13. II. Nititur firma ejus Demonſtratio coroll. Prop. 11. II. ubi dicit: *Mentem humanam partem eſſe infiniti intellectus Dei, ac proinde cùm dicimus, Mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quàm quod Deus, non quatenus infinitus eſt, ſed quatenus per naturam humanæ Mentis*

tis

tis explicatur, ſive, quatenus humanæ Mentis eſſentiam conſtituit, hanc vel illam habet ideam. Hæc igitur erit proxima iſtius Unionis mentis & corporis cauſa, quod Deus conſtituat humanæ mentis eſſentiam. Erit ergo proxima cauſa iſtius confuſionis mentis & corporis, confuſio Dei & rei creatæ, quod equidem libenter admitto. Nihil enim debebat manere ejus Principia ſequentes, niſi meræ tenebræ & confuſum planè omnium rerum chaos. Sic verò vel ipſe Spinoza debuit *ad cauſam totius Univerſi, hoc eſt ad Deum recurrere*; verum ſubtiliori longè modo quàm fecit Carteſius, qui non vidit arcanum illud Spinozæ Philoſophiæ, *quod Deus conſtituat humanæ Mentis eſſentiam quatenus ſubſtantia conſtituit eſſentiam ſui Modi.* Nihil autem magis evertere poteſt Philoſophiam Carteſii quam ſi & modo & ſubſtantia confunderetur, nec Mens humana, etſi haberet propriam ſuam αὐθυπαρξίαν aliter ſpectaretur quàm ut Modus divinæ Subſtantiæ.

Sequitur alia Spinozæ ratio. *Deinde pervelim ſcire, quot motus gradus poteſt glandulæ iſti pineali Mens tribuere, & quanta cum vi eandem ſuſpenſam tenere poteſt. Nam neſcio, an hæc glans tardius vel celerius à Mente circum agatur, quàm à ſpiritibus animalibus, & an motus Paſſionum, quas firmis judiciis arctè junximus, non poſſint iterum ab iiſdem à cauſis corporeis disjungi, ex quo ſequeretur, ut, quamvis Mens firmiter propoſuerit contra pericula ire, atque huic decreto motus audaciæ junxerit, viſo tamen periculo, glans ita ſuſpendatur, ut Mens non niſi de fugâ poſſit cogitare; & ſane cum nulla detur ratio volantatis ad motum, nulla etiam datur comparatio inter Mentis & corporis potentiam ſeu vires; & conſequenter corporis vires nequaquam illius viribus determinari poſſunt.* An verò, quia hæc particularia non poſſunt à nobis determinari, negandum erit generale, quod ex effectis à poſteriori conſtat? poſſumus ignorare varias particulares circumſtantias rei, quando ipſam rem ſcimus; an neſcimus creſcere plantam, hominem, etſi neſciamus quot gradibus ſingulis horis augeatur; an neſcimus machinam artificioſam hos vel illos effectus edere, etſi neſciamus quomodo eos producat, adeoque totum illius artificium non intelligamus. Si mens tanta vi glandem ſuſpenſam teneat, quanta vis eſt ſpirituum animalium contra illam impulſorum, poterit effectus iſtorum ſpirituum impediri, ſicque Mens non agitari paſſione, ad quam excitandam tendebant ſpiritus animales. Hoc autem totum à poſteriori cognoſcimus, poſtquam communem ſive univerſalem iſtius rei intelleximus rationem,

ſicut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſicut in Phyſicis ſæpe uſu venit. An non certum eſt, quando materiæ pars ex loco amplo in anguſtum movetur & anguſtiam loci compenſare debet motus celeritate, tunc fieri debere materiæ iſtius diviſionem in partes indefinitas, & tamen mentem noſtram iſtam diviſionem non percipere, quod demonſtravit Cart. Princ. II. §. 33, 34. nec negare potuiſſet Spinoza? An ergo, quia hoc à nobis ignoratur, quomodo fiat, negandum etiam erit, quod id fiat? Sic varia ſimilia paſſim in omnibus occurrunt rebus, etiam politicis, ut certi poſſimus eſſe, aliquid fieri, etſi modum, quo illud fit, ignoremus. Quando & quomodo nequeant motus Paſſionum, quos firmis judiciis arctè conjunximus iterum ab iiſdem à cauſis corporeis disjungi, aliter conſtare non poteſt, quàm experientiâ; ſi enim homo ſit ita animatus, ut nullo plane terreatur periculo, ut intrepidus mortem ſubeat, certum eſt illum Paſſionis iſtius, quæ Metus dicitur, eſſe abſolutum Dominum, atque in eam habere abſolutum imperium. Carteſius, ut Philoſophus, & ex Philoſophiâ nullam potuit in eo videre repugnantiam, ut homo abſolutum in ſuas paſſiones conſequatur imperium, & revera ex Philoſophia nulla ſatis poteſt cognoſci repugnantia, quamvis ex Theologia revelata, ex alio nempe principio, quod eſt Scriptura, ea facile pateſcat. Nullam dari rationem voluntatis finitæ ad motum, adeoque nullam dari comparationem inter mentis finitæ & corporis potentiam ſeu vires concedimus; neque enim ullus motus producitur à voluntate finita de novo, nec motus, quem ipſa corpora ſibi communicant, de novo ab iis producitur, neque minimus motus gradus; ſed eadem motus quantitas in mundo perpetuo conſervatur à Deo, atque ita qvaſi de novo producitur: At voluntatis infinitæ ratio datur infinita ad motum & quidvis aliud producendum, atque adeo infinities major eſt potentia mentis infinitæ, quàm potentia corporis finiti.

Tertiam audiamus rationem. *His adde, quòd nec hæc glans ita in medio cerebro ſita reperiatur, ut tam facile, totque modis circumagi poſſit, & quod non omnes nervi ad cavitates uſque cerebri protendantur.* Sed hæc ratio petit principium, & ad eam Carteſius jam reſpondit. Art. 31. *Eſt iſta glandula ſuſpenſa ſupra canalem, per quem ſpiritus cavitatum cerebri anteriorum communicationem habent cum ſpiritibus poſterioris, ut minimi motus, qui in illa ſunt, multum poſſint ad mutandum ho-*

rum ſpirituum curſum, & reciproce minimæ mutationes, quæ accidunt curſui ſpirituum multum inſerviant mutandis motibus hujus glandulæ. Neque verò opus eſt, ut omnes nervi ad cavitates uſque cerebri protendantur, ſufficit, ſi ex illo loco cerebri, ubi finiuntur, procedant continui pori uſque ad illas cavitates, per quos ſpiritus animales poſſint continuo ad cerebrum, & vice verſâ ex cerebro in nervos profluere, ut hoc argumento nihil incommodetur noſtræ ſententiæ.

Quarta ratio eſt, quod omnia, *quæ* Carteſius *de voluntate & ejus libertate aſſerit, falſa eſſe ſatis ſuperque oſtenderit*, quâ de re judicium poteſt formari, ex iis, quæ nos ipſius prætenſis demonſtrationibus oppoſuimus. Sic tandem Spinoza concludit: *Igitur quia mentis potentia, ut ſupra oſtendi, ſolâ intelligentiâ definitur, affectuum remedia, quæ omnes experiri quidem, ſed non accurate obſervare, nec diſtinctè videre credo, ſolâ Mentis cognitione determinabimus, & ex eâdem illa omnia, quæ ad ipſius beatitudinem ſpectant, deducemus.* Nos verò è contrario oſtendimus, mentis potentiam ſolâ intelligentiâ non definiri; unde concident omnia his ſuperſtructa, quæ tamen in ſequentibus plenius ipſius veſtigiis ſtrictè inſiſtentes ſequemur.

Definitiones nullas hîc præmittit, ſed tantùm axiomata.

EXAMEN AXIOMATUM.

AXIOM. I. *Si in eodem duæ contrariæ actiones excitentur, debebit neceſſariò, vel in utraque vel in unâ ſolâ mutatio fieri, donec deſinant contrariæ eſſe.*

ADmittimus iſtud axioma.

AXIOM. II. *Effectus potentia definitur potentiâ ipſius cauſæ, quatenus ejus eſſentia per ipſius cauſæ eſſentiam explicatur vel definitur.*

HOc verò axioma nititur Prop. 7. III. quæ cùm falſa fuerit, hoc etiam, quod exinde ſequitur, pro falſo nos habere oportet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EXAMEN PROPOSITIONUM.

PROPOSITIO. I. *Prout cogitationes rerumque ideæ ordinantur & concatenantur in Mente, ita corporis affectiones ſeu rerum imagines ad amusſim ordinantur & concatenantur in corpore.*

PRopoſitio hæc obſcura valde eſt, ut vix liceat nobis judicare, vera an falſa fuerit. Forte tamen ex ſequentibus melius intelligemus. Sed hæc ſunt perſpicua illa, quæ nobis ſubſtituit loco Carteſianarum hac de re cogitationum, quas in Præfatione exſibilavit.

Demonſtratio nititur Prop. 7. II. & Coroll. Prop. 6 & 7. II. quæ ſuo ſenſu conceſſa fuerunt. Alterum hujus Demonſtrationis fundamentum eſt Prop. 18. II. quam etiam admiſimus ſuo loco. Sed tertium quod connectit ſundamentum Prop. 2. III. à nobis ſuperius rejectum fuit, hîc tamen non tam illâ utitur Propoſitione, quàm ejus quodam conſectario. Sic enim opus eſt, ut colligat: *Si nec Corpus Mentem ad cogitandum, nec Mens corpus ad motum, neque ad quietem, nec ad aliquid (ſi quid eſt) aliud determinare poteſt: Ergo ordo & connexio affectionum Corporis fit prout cogitationes rerumque ideæ ordinantur in mente.* Verùm cùm nos obſervaverimus ſuperius, iſtud antecedens eſſe falſum, non poteſt pro vero admitti conſequens, quod ex falſo antecedente elicitur. Sed mira quoque eſt hæc ſequela, nam in antecedente illud *determinare* intelligitur de cauſa efficiente, conſequens verò loquitur de ipſa concatenatione citra reſpectum ad cauſam efficientem; debuiſſet enim afferre aliam cauſam iſtius determinationis, ſi ea nec ſit Mens reſpectu corporis affectionum, nec Corpus reſpectu affectionum mentis, quod non facit; vel, ſi id intelligat de cauſa efficiente, conſequens cum antecedente planè pugnabit. Sic omnia intricata & confuſa ſunt in hujus hominis ratiociniis, & tamen ille eſt agnoſcendus Cenſor eorum, qui, quam in Scholaſticis reprehendunt obſcuritatem & confuſionem, ipſimet admittunt. Fortè verò hîc nobis fingit nexum rerum diverſarum inter ſe invicem, ſine ullo auctore, ſine nectente,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

te, ſine cauſa; & ipſum illum nexum putat pertinere ad naturam Dei ſicut ad naturam Trianguli pertinet, ut ejus tres anguli ſint æquales duobus rectis angulis, quæ omnia ſunt imperceptibilia. In Scholaſticis hactenus reprehenſum fuit, quòd, dum volunt rerum explicare proximam cauſam, eò tandem omnes redeunt ipſorum explicationes, quòd talis ſit natura rerum; Spinoza verò his oculatior, & qui didicit Creatorem confundere cum creaturâ, quod illi ignoraverant, huc omnes ſuas explicationes proximæ rerum cauſæ reducet, ut aſſerat, *talem eſſe naturam Dei*, ut ex ejus natura infinita infinitis modis ſequantur. Sic non parum promovimus in Cimmeriis tenebris.

PROP. II. *Si animi commotionem, ſeu affectum à cauſæ externæ cognitione amoveamus, & aliis jungamus cogitationibus, tum Amor, ſeu Odium erga cauſam externam, ut & animi fluctuationes, quæ ex his affectibus oriuntur, deſtruentur.*

SUpponitur in hâc Propoſitione, nos poſſe nectere cogitationes inter ſe invicem, quod quomodo cum negatione Libertatis voluntatis conveniat conciliet, qui potuerit. Sed ad ipſam Propoſitionem nos conferamus. Veritas ejus pendet à connexione antecedentis cum conſequente, quam equidem non difficiles agnoſcimus, ſed an id à nobis fieri poſſit, meritò dubitamus. Nec videmus quomodo hoc conveniat cum iis, quæ in antecedentibus fuerunt dicta; ſi enim ordo cogitationum & idearum idem eſt cum ordine affectionum corporis, non poſſumus animi commotionem ſeu affectum à cauſæ externæ cognitione amovere.

Demonſtratio nititur Defin. 6. & 7. Affectuum, quas ſuo loco rejecimus, ſed his admiſſis legitimam fore conſequentiam faciles agnoſcimus.

PROP. III. *Affectus, qui Paſſio eſt, deſinit eſſe Paſſio, ſimulatque ejus claram & diſtinctam formamus ideam.*

PRopoſitio iſta ſatis videtur evidens, quod facit, ut ei repugnare nolimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Evidentiam iſtam declarat Demonſtratio Spinozæ, quam propterea adjungimus. *Affectus, qui paſſio eſt, idea eſt confuſa* (per gener. Affect. Defin.) *Si itaque ipſius affectus claram & diſtinctam formemus ideam, hæc idea ab ipſo affectu, quatenus ad ſolam Mentem refertur, non niſi ratione diſtinguetur* (per Prop. 22. p. 2. cum ejuſdem Schol.) *adeoque* (per Prop. 3. p. 3.) *affectus deſinet eſſe paſſio.*

Corollarium quoque probamus: *Affectus igitur eò magis in noſtra poteſtate eſt, & Mens eo minus ab eò patitur, quò nobis eſt notior.* Sed ex eo contra Spinozam colligimus, libertatem eſſe affectionem voluntatis. Liberè enim aliquid agere & habere aliquid in noſtra poteſtate æquivalent in noſtro ſenſu.

PROP. IV. *Nulla eſt corporis affectio, cujus aliquem clarum & diſtinctum non poſſumus formare conceptum.*

Mira eſt hæc Propoſitio, &, prout verba videntur præ ſe ferre, omni probabilitate eſt deſtituta. Quid enim? An non morbus corporis eſt affectio? An vero poſſumus cujuslibet noſtri morbi clarum & diſtinctum formare conceptum? Forte verò hæc verba valdè generaliter accipit, atque hoc ſolummodò vult; quemadmodum de corporis affectionibus poſſumus formare conceptum confuſum; ut, cum dolore capitis afficimur, ita hunc ipſum dolorem capitis poſſumus clarè & diſtinctè intelligere, quando cogitamus eſſe vehementiorem ſolito agitationem nervi, quæ ingratam animi perceptionem excitat. Sic ſenſus tantum fuerit, non eſſe impoſſibile, ut homo formet clarum & diſtinctum conceptum cujuslibet corporis affectionis, quatenus in eo nulla eſt repugnantia, ut poſſit omnes humani corporis affectiones clarè & diſtinctè cognoſcere. Videamus Spinozæ Demonſtrationem. Nititur illa Prop. 18. II. quæ vera eſt, & præterea Prop. 12. & Lemm. II. quod habetur poſt Schol. Prop. 13. II. quæ falſa ſunt fundamenta, unde eam concidere eſt neceſſe.

Corollarium ex Propoſitione rectè ſequitur: *Nullum eſſe affectum cujus non poſſumus aliquem clarum & diſtinctum formare conceptum.* Sed cum ipſa Propoſitio valdè ſit dubia vel fortè falſa, non poteſt non quoque dubium eſſe ipſum Corollarium, vel falſum etiam. Dum autem illud Corollarium deducit, Propoſitionem præcedentem non

parum detorquet in alienum planè ſenſum, *quòd debeat idea affectionis corporis aliquem clarum & diſtinctum involvere conceptum*, cum tantum in Propoſitione fuerit dictum, *nullam eſſe corporis affectionem cujus non poſſimus*, formare clarum & diſtinctum conceptum.

In Scholio colligit primùm, *unumquemque poteſtatem habere ſe ſuosque affectus, ſi non abſolute, ex parte ſaltem clarè & diſtinctè intelligendi, & conſequenter efficiendi, ut ab iisdem minus patiatur*; quod poſterius intelligi non poteſt, niſi ſupponamus voluntatis libertatem; prius verò involvere videtur contradictionem; qui enim aliquid diſtinctè intelligit in ejus conceptu nihil eſt, niſi quod ſit clarum, quomodo ergo aliquid ex parte diſtinctè poteſt dici intelligere? Colligit autem hæc tum ex Prop. 36. III. quaſi in ea diceretur, *nihil dari, ex quo aliquis effectus non ſequatur*, quod tamen in eâ non dicitur, nec, ſi diceretur, verum eſſet, quamvis & id ipſum quod in illâ Propoſitione dicitur: *Qui rei quâ ſemel delectatus eſt, recordatur, cupit eâdem cum iisdem potiri circumſtantiis, ac cùm primò ipſâ delectatus eſt*, verum non ſit, uti ſuo loco oſtendimus: tùm ex Prop. 40. II. quæ vera quidem eſt, ſed non ſufficit ſubruto fundamento altero. Deinde inquit: *Huic igitur rei præcipuè danda eſt opera, ut unumquemque affectum, quantum fieri poteſt, clarè & diſtinctè cognoſcamus, ut ſic mens ex affectu ad illa cogitandum determinetur, quæ clarè & diſtinctè percipit, & in quibus planè acquieſcit; atque adeo ut ipſe affectus à cogitatione cauſæ externæ ſeparetur, & veris jungatur cogitationibus, & quo fiet, ut non tantum Amor, Odium &c.* (per Prop. 2. hujus) *ſed ut etiam Appetitus ſeu Cupiditates, quæ ex tali Affectu oriri ſolent, exceſſum habere nequeant* (per Prop. 62. p. 4.) Nos nolumus intercedere, quò minus affectum quemvis clarè & diſtinctè cognoſcamus, ſed an inde ſit ſecuturum, ut ipſum affectum à cogitatione cauſæ externæ ſeparemus, valdè dubitamus; vix enim dum præſens eſt cauſa externa, quæ illum affectum excitat, poterimus cogitare, eam non eſſe præſentem, quod tamen videtur ad iſtam ſeparationem eſſe neceſſarium, prout etiam ad Prop. 2. V. obſervavimus. Porrò de Cupiditatibus *apprimè* putat *notandum eſſe, unum eundemque eſſe appetitum, per quem homo tam agere quàm pati dicitur. Ex, gr. cum natura humana ita comparatum eſſe ſe oſtendiſſe, ut unuſquiſque appetat, ut reliqui vivant ex ipſius ingenio* (vid. Schol. Prop. 31. p. 3.) *qui quidem appetitus in homine, qui ratione non ducitur, Paſſio eſt, quæ Ambitio vocatur, nec multum à Superbia diſcrepat; & contra in homine, qui*

ex rationis dictamine vivit, actio, ſeu virtus eſt, quæ Pietas appellatur. (vide Schol. 1. Prop. 37. p. 4. & 2. Demonſtr. ejuſdem Prop.) Atque hinc generalem regulam format Spinoza, *hoc modo omnes Appetitus ſeu Cupiditates eatenus tantum paſſiones eſſe, quatenus ex ideis inadæquatis oriuntur; atque easdem virtuti accenſeri, quando ab ideis adæquatis excitantur vel generantur. Nam omnes Cupiditates, quibus ad aliquid agendum determinamur, tam oriri poſſe ab adæquatis, quàm ab inadæquatis ideis* (vide Prop. 59. p. 4.) Quæ omnia facile admittimus. Concludit tandem, *hoc affectuum remedio, quod ſcilicet in eorum vera cognitione conſiſtit, nullum præſtantius aliud, quod à noſtra poteſtate pendeat, excogitari poſſe, quandoquidem nulla alia mentis potentia detur, quàm cogitandi, & adæquatas ideas formandi, ut ſupra* (per Prop. 3. p. 3.) *oſtenſum*: Sed his non aſſentimur, uti patet ex ſupra dictis; melius vero remedium contra affectus non ſtatuimus aliud, quàm ſtudium virtutis, prout egregié à Carteſio fuit obſervatum.

PROP V. *Affectus erga rem, quam ſimpliciter, & non ut neceſſariam neque ut poſſibilem, neque ut contingentem imaginamur, cæteris paribus, omnium eſt maximus.*

OBſcura eſt aliquo modo iſta Propoſitio, clarior tamen aliquanto redditur per Demonſtrationem Spinozæ, quam propterea adjungimus.

Demonſtratio. *Affectus ergo rem, quam liberam eſſe imaginamur, major eſt, quàm erga neceſſariam* (per Prop. 49. p. 3.) *& conſequenter adhuc major, quàm erga illam, quam ut poſſibilem vel contingentem imaginamur* (per Prop. 11. p. 4.) *At rem aliquam ut liberam imaginari nihil aliud eſſe poteſt, quàm quod rem ſimpliciter imaginamur, dum cauſas, à quibus ipſa ad agendum determinata fuit, ignoramus* (per illa, quæ in Schol. Prop. 34. p. 2. oſtendimus;) *ergo affectus erga rem, quam ſimpliciter imaginamur, cæteris paribus, major eſt quàm erga neceſſariam, poſſibilem vel contingentem, & conſequenter maximus.* Sed hujus Demonſtrationis ultimum fundamentum nos planè rejicimus ad Schol. Prop. 35. II. At quamvis demonſtratio Spinozæ ſic vacillet, nolumus tamen propterea ipſam Propoſitionem rejicere.

PROP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop. VI. *Quâtenus Mens res omnes ut neceſſarias intelligit, eatenus majorem in affectus potentiam habet, ſeu minus ab iiſdem patitur.*

HAnc Propoſitionem quoque admittimus propter propriam, quâ radiat, lucem.

Demonſtratio nititur Prop. 29. & 28. I. quas falſas ſuperius annotavimus. Scholium ſervit ad explicationem Propoſitionis, unde illud adjungere non veremur. *Quò hæc cognitio, quod ſcilicet res neceſſariæ ſint, magis circa res ſingulares quas diſtinctius, & magis vivide imaginamur, verſatur, eò hæc Mentis in affectus potentia major eſt, quod ipſa etiam experientia teſtatur. Videmus enim Triſtitiam Boni alicujus, quod periit, mitigari, ſimulac homo, qui id perdidit, conſiderat, bonum illud ſervari nulla ratione potuiſſe. Sic etiam videmus, quod nemo miſeretur infantis, propterea quod neſcit loqui, ambulare, ratiocinari, & quod denique tot annos quaſi ſui inſcius vivat. At ſi plerique adulti & unus aut alter infans naſcerentur tum unumquemque miſereret infantum; quia tam ipſam infantiam, non ut rem naturalem & neceſſariam, ſed ut naturæ vitium ſeu peccatum conſideraret; & ad hunc modum plura alia notare poßemus*: Quæ facile concedo, modo inde non deducatur, quia omnes homines ſunt corrupti vel inclinati ad vitia, id eſſe ex natura, & per conſequens non eſſe objectum Triſtitiæ; cùm ejus contrarium ex Scriptura ſit manifeſtum.

Prop. VII. *Affectus, qui ex ratione oriuntur, vel excitantur; ſi ratio temporis habeatur, potentiores ſunt iis, qui ad res ſingulares referuntur, quas ut abſentes contemplamur.*

ADmittimus hanc Propoſitionem, demonſtrationemque Spinozæ, hîc adjungimus, quæ ſic ſe habet: *Rem aliquam abſentem non contemplamur ex affectu, quo eandem imaginamur; ſed ex eo, quod Corpus alio afficitur affectu, qui ejuſdem rei exiſtentiam ſecludit.* (per prop. 17. p. 2.) *Quare affectus, qui ad rem, quam ut abſentem contemplamur, refertur, ejus naturæ non eſt, ut reliquas hominis actiones & potentiam ſuperet*; (de quibus vide Prop. 6. p. 4.) *ſed contrà ejus naturæ*

eſt,

eſt, ut ab iis affectionibus, quæ exiſtentiam externæ ejus cauſæ ſecludunt, coërceri aliquo modo poſſit (per Prop 9. p. 4.) *At affectus, qui ex ratione oritur, refertur neceſſariò ad communes rerum proprietates* (vide rationis Defin. in 2. Schol, Prop. 40. p. 2.) *quas ſemper ut præſentes contemplamur (Nam nihil dari poteſt, quod earum præſentem exiſtentiam ſecludat) & quas ſemper eodem modo imaginamur:* (per Prop. 38. p. 2.) *Quare talis affectus idem ſemper manet, & conſequenter* (per ax. 1 hujus) *affectus, qui eidem ſunt contrarii, quique à ſuis cauſis externis non foventur, eidem magis magisque ſe accommodare debebunt, donec non amplius ſint contrarii, & eatenus affectus, qui ex ratione oritur, eſt potentior.* Sed Prop. 38. II. hæc verba non habet, quæ hîc laudantur, unde vitium in iſta demonſtratione deprehendimus.

PROP. VIII. *Quò affectus aliquis à pluribus cauſis ſimul concurrentibus excitatur, eò major eſt.*

COncedimus hanc quoque Propoſitionem, quæ exemplis poteſt elucidari melius, quàm demonſtratione. Sic v. gr. quò plures ſunt in objecto cauſæ Odii eò majus Odium poſſunt excitare, & ſic de aliis.

In Spinozæ demonſtratione non id dicitur Prop. 7. III. quod hîc adducitur, errorem igitur typographicum putamus commiſſum. Ipſam tamen demonſtrationem, prout jacet, non difficiles admittimus.

Ex Axiomate 2. V. non poteſt ſtabiliri hæc Propoſitio, cùm illud falſitatis ſupra arguerimus.

PROP. IX. *Affectus, qui ad plures & diverſas cauſas refertur, quas Mens cum ipſo Affectu ſimul contemplatur, minus noxius eſt, & minus per ipſum patimur, & erga unamquamque cauſam minus afficimur, quàm alius æquè magnus affectus, qui ad unam ſolam, vel pauciores cauſas refertur.*

OBſcuræ ſunt ferè omnes Propoſitiones Spinozæ, quod abſtractè admodum proponuntur, neque exemplis illuſtrantur. Quia tamen demonſtratione Spinozæ aliquo modo explicatur, nos eam hîc adjungimus, quæ ne obſcuritate nos involvat, loco illo-

rum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

rum verborum, *quò minus poſſit cogitare*, legendum erit, *quò minus poſſit intelligere*, quod etiam legitur Prop, 26. IV. quam hîc citat.

Demonſtratio. *Affectus eatenus tantum malus, ſeu noxius eſt, quatenus mens ab eo impeditur, quò minus poſſit cogitare* (per Prop. 26 & 27 p. 4.) *adeoque ille affectus, à quo mens ad plura ſimul objecta contemplandum determinatur, minùs noxius eſt, quàm alius æquè magnus affectus, qui Mentem vi ſola unius, aut pauciorum objectorum contemplatione ita detinet, ut de aliis cogitare nequeat, quod erat primum. Deinde, quia mentis eſſentia, hoc eſt,* (per Prop. 7. p. 3.) *potentia in ſola cogitatione conſiſtit* (per Prop. 11. p. 3.) *ergo mens per affectum, à quo ad plura ſimul contemplandum determinatur minus patitur, quam per æquè magnum affectum, qui mentem in ſola unius, aut pauciorum objectorum contemplatione occupatam tenet, quod erat ſecundum. Denique hic affectus* (per Prop. 48. p. 3.) *quatenus ad plures cauſas externas refertur, eſt etiam erga unamquamque minor.*

PROP. X. *Quamdiu affectibus, qui noſtræ naturæ ſunt contrarii, non conflictamur, tamdiu poteſtatem habemus ordinandi & concatenandi Corporis affectiones ſecundùm ordinem ad intellectum.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio, quæ ſupponit, nos non poſſe turbari per affectus, qui naturæ noſtræ non ſunt contrarii, quod & conſtat ex demonſtratione, quam propterea ſubjungimus.

Demonſtratio. *Affectus, qui noſtræ naturæ ſunt contrarii, hoc eſt* (per Prop. 30. p. 4.) *qui mali ſunt, eatenus mali ſunt, quatenus impediunt, quò minus mens intelligat* (per Prop. 37. p. 4.) *Quamdiu igitur affectibus, qui noſtræ naturæ contrarii ſunt, non conflictamur, tamdiu mentis potentia, quâ res intelligere conatur* (per Prop, 26. p. 4.) *non impeditur, atque adeo tamdiu poteſtatem habet claras & diſtinctas ideas formandi & alias ex aliis deducendi* (vide 2. Schol. Prop. 40. & Schol. Prop. 47. p. 2.) *& conſequenter* (per Prop. I. hujus) *tamdiu poteſtatem habemus ordinandi & concatenandi affectiones Corporis ſecundùm intellectum.* Manifeſte hîc apparet, non dici Prop. 37. p. 4. *quod affectus, qui mali ſunt, eatenus mali ſunt, quatenus impediunt, quò minus mens intelligat.* Sic habet Prop. 37. *Bonum, quod unusquisque, qui ſectatur virtutem, ſibi appetit, reliquis hominibus etiam cupiet, & eò magis, quò majorem Dei habuerit cognitionem;* unde quâ conſequentiâ illud poſſit elici equidem non vi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

deo. Sed quamvis etiam hi affectus eſſent mali, qui impediunt, quò minus mens intelligat, non tamen inde affectuum poſſet formari diſtinctio, quaſi aliqui ſint affectus, qui id non impediant, quando ſatis ſunt vehementes. Inter affectus bonos puto Spinozam referre Amorem & Lætitiam, at certè Amor ſi ſit vehemens admodum, ita poteſt affigere mentem rei amatæ, ut à cognitione diſtincta & hujus & aliorum quorumvis objectorum planè avertatur. Idem ſentiendum de Lætitia contracta ex voluptatum corporearum fruitione. Falſa ergo eſt id, quod dicit Propoſitio, quod *quamdiu affectibus, qui noſtræ naturæ ſunt contrarii, non conflictamur, habeamus poteſtatem ordinandi & concatenandi corporis affectiones ſecundùm ordinem ad intellectum.*

In Scholio docet, qua ratione poſſimus affectus gubernare & dirigere noſtros, etiam tunc, quando noſtrorum affectuum perfectam cognitionem non habemus, quæ non improbamus, poſſuntque legi apud Auctorem. Sed non cohæret cum his, quod dicit, *homines, ut reliqua, ex neceſſitate naturæ agere*, ſi enim iſtud fuerit verum, regulæ illæ ab hominibus non poſſunt adhiberi, ſiquidem dum affectus ſequuntur, ex neceſſitate naturæ agunt; non poſſunt igitur non affectus ſequi, nec poſſunt per rationem inde diverti, quia neceſſitate naturæ non poſſunt non illos ſequi. Quomodo, ſi iſtud ſit verum, *homines, ut reliqua, ex neceſſitate naturæ agere*, potuit in hunc modum ſuum Scholium concludere. *Atque hæc* (regulas ſcil. à Spinoza præſcriptas) *qui diligenter obſervabit (neque enim difficilia ſunt) & exercebit, næ ille brevi temporis ſpatio actiones ſuas ex rationis imperio plerumque dirigere poterit.*

PROP. XI *Quò imago aliqua ad plures res refertur, eò frequentior eſt, ſeu ſæpius viget, & mentem magis occupat.*

Eſt hæc Propoſitio iterum ex obſcuris, cujuſmodi plurimæ apud Spinozam occurrunt. Ex demonſtratione tamen ſequentis Propoſitionis cognoſco, per *Res* ipſum intelligere rerum communes proprietates, vel quæ ex iis deducuntur: Sic ergo rerum imagines erunt ideæ rerum proprietatum, atque adeo imago rerum communium proprietatum ad plures res referetur. Sic poteſt illa Propoſitio admitti etiam nomine demonſtrationis, quam adjungit.

Videamus Demonſtrationem. *Quò enim imago ſeu affectus*, inquit, *ad*

ad plures res refertur, eò plures dantur cauſæ, à quibus excitari & foveri poteſt, quas omnes mens (per hypotheſin) *ex ipſo affectu contemplatur; atque adeò affectus eò frequentior eſt, ſeu ſæpius vigetet* (per Prop. 8. hujus) *mentem magis occupat.* Nos illi non contradicimus.

PROP. XII. *Rerum imagines faciliùs imaginibus, quæ ad res referuntur, quas clare & diſtincte intelligimus, junguntur, quàm aliis.*

EX demonſtratione colligo, *per imagines rerum* intelligi imagines quarumvis rerum ſingularium, ſive confuſe, ſive clare & diſtincte intelligantur, quas ſic diſtinguit ab imaginibus communium proprietatum in rebus, quas clare & diſtinctè intelligimus.

Sic ſe habet Demonſtratio. *Res, quas clare & diſtincte intelligimus, vel rerum communes proprietates ſunt, vel quæ ex iis deducuntur* (vide rationis Defin. in 2. Schol. Prop. 40. p. 2.) *& conſequenter ſæpius* (per Prop. præced.) *in nobis excitantur; adeoque facilius fieri poteſt ut res alias ſimul cum his, quàm cum aliis contemplemur, & conſequenter* (per Prop. 18. p. 2.) *ut facilius cùm his, quàm cum aliis jungantur.*

In hac cùm nihil reperiamus, niſi de quo ex antecedentibus conſtet, non poſſumus illam rejicere, atque ita Propoſitionis veritatem agnoſcimus.

PROP. XIII. *Quò imago aliqua pluribus aliis juncta eſt, eò ſæpius viget.*

SUbintellige *pluribus aliis imaginibus*, uti patet ex demonſtratione, quæ rectè ſe habet, ut & hæc Propoſitio, quæ ei innititur, quam propterea adjungimus.

Demonſtratio. *Nam quò imago aliquis pluribus aliis juncta eſt, eò* (per Prop. 18. p. 2.) *plures cauſæ dantur, à quibus excitari poteſt.*

PROP. XIV. *Mens efficere poteſt, ut omnes Corporis affectiones, ſeu rerum imagines ad Dei ideam referantur.*

SEnſus hujus Propoſitionis videtur eſſe, Dei ideam, quam de Deo habemus, continere quidquid eſt verum, adeoque etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

corpus & corporis affectiones, ſicque poſſe rerum imagines conſiderari tanquam partes imaginis Dei, adeoque omnes res eſſe in Deo, uti modi ſunt in ſubſtantia; qui ſenſus procul dubio nihil niſi falſitatem & abſurditatem ſpirat.

Id manifeſtius apparet ex demonſtratione Spinozæ, quæ nititur Prop. 4. V. quæ ſaltem obſcura eſt, & Prop. 15. I. quæ abſurdiſſima eſt, & nihil niſi abſurdorum merum ſyrma poſt ſe trahit, uti ſuo vidimus loco.

PROP. XV. *Qui ſe, ſuosque affectus clarè & diſtincte intelligit, Deum amat, & eò magis, quò ſe ſuoſque affectus magìs intelligit.*

NOn minus falſa eſt hæc Propoſitio, quàm præcedens, quod ex demonſtratione clarum fit, quæ ei Prop. præcedentem pro fundamento ſubſternit, quod cum fragile fuerit oſtenſum, illud, quod ei innititur, corruere eſt dicendum.

PROP. XVI. *Hic erga Deum Amor mentem maximè occupare debet.*

LIbenter concedimus, idque urgendum putamus quavis occaſione, *Dei Amorem debere mentem maxime occupare*, ſed Spinoza loquitur de hoc NB. Amore Dei, qui fertur, in neſcio quod, Ens, quod habet attributa infinita & inter illa infinitam Cogitationem & Extenſionem, quod nos pro Deo, propter ea, quæ ſuo loco fuerunt dicta, non poſſumus agnoſcere, unde & hanc Propoſitionem unà cum prioribus inter falſas referendas eſſe cenſemus.

Demonſtratio nititur Propoſitionibus 14. & 15. V. quas antea falſitatis convicimus.

PROP. XVII. *Deus expers eſt paſsionum, nec ullo Lætitiæ aut Triſtitiæ affectu afficitur.*

VEra eſt hæc Propoſitio, & facile hoc modò Spinozæ demonſtratio poteſt reformari; quod Deus nullas poſſit habere confuſas ideas, quales in paſſionibus locum habent, quia id cum ejus ſumma ſcientia non poteſt convenire. Admiſſo vero, quod Deus ſit expers paſſio-

paſſionum non poteſt etiam paſſionibus Triſtitiæ vel Lætitiæ affici.

Demonſtratio verò Spinozæ nititur Defin. 4. II. quæ obſcura eſt, ut & 2 & 3 Defin. Affectuum, quas pro falſis agnoſco.

Corollarium quod hinc deducitur, ſequitur per ſe ex ipſâ Propoſitione: Si enim Deus ſit expers paſſionum, cùm Amor & Odium ſint paſſiones: *Ergo Deus propriè loquendo neminem amat, neque odio habet*, ut ambagibus illis Spinozæ queamus carere, qui Amorem conſiderat tanquam ſpeciem Lætitiæ & Odium tanquam ſpeciem Triſtitiæ, quod falſum eſſe, ſuo loco oſtendimus.

Prop. XVIII. *Nemo poteſt Deum odio habere.*

HAnc Propoſitionem non admittimus, quamvìs facile concedamus, hominem, qui Deum odio habet, non habere niſi confuſam ideam Dei, qualis confuſa cogitatio ad naturam affectuum adeoque etiam odii requiritur. Poteſt ſane peccator odio habere eum, quem novit improbare ſuam malitiam, eamque velle vindicare, & quantum in ipſo eſt velle, ut ipſe deſtrueretur, ut non ſit Deus, à quo non niſi pœnas exſpectat.

Demonſtratio Spinozæ nititur Prop. 46 & 47. II. Prop. 3. III. ut & 59. III. quæ omnes ſunt falſæ, ut & Defin. 7. Affect. quæ in ſubſidium aſſumitur, ut ita ne unicum quidem hujus Propoſitionis fundamentum ſit verum.

Corollarium: *Amor erga Deum in Odium verti nequit.* Contrarium patet ex primo homine, qui ex ſanctitate & rectitudine voluntatis, quâ ex creatione præditus erat, poſtquam decidit, odio Deum habere potuit.

In Scholio Spinoza ſibi objicit: *Quod dum Deum omnium rerum cauſam intelligimus, eo ipſo Deum Triſtitiæ cauſam conſideramus*, & ad id reſpondet, *quòd quâtenus Triſtitiæ cauſas intelligimus, eâtenus* (per Prop. 3. hujus) *ipſa deſinit eſſe pasſio, hoc eſt*, (per Prop. 59. p. 3.) *eatenus deſinit eſſe Triſtitia; atque adeò quatenus Deum Triſtitiæ cauſam eſſe intelligimus, eatenus lætamur.* At ſupponitur & in objectione & in reſponſione, quod odium ſit Triſtitia. Dein reſponſio nititur Prop. 59. III. quam inter falſas retulimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop XIX. *Qui Deum amat conari non poteſt, ut Deus ipſum contrà amet.*

HÆc propoſitio ſi intelligatur de amore Dei propriè dicto, qui, cùm ſit paſſio, non cadit in Deum, non poteſt non vera eſſe. Et hoc ad ejus demonſtrationem poteſt ſufficere, quod per ſe ſit nota, quamvìs Spinozæ demonſtrationem non improbemus, quam legere poterit, qui voluerit. Sed ſi per amorem Dei intelligamus Voluntatem benefaciendi, falſa eſt iſta propoſitio & contraria rationi. Qvis enim nollet in gratiâ eſſe apud Deum, quid eſt quod magis optari queat? Verum quidem eſt, Deum non poſſe mutari, neque poſſe de novo habere voluntatem homini benefaciendi, quam non habuerit ab æterno: Attamen & hoc ipſum verum eſt, Deum habere voluntatem benefaciendi iis,qui ipſum ſincere amaverint, adeoque ſi homo Deum amet eo ipſo poteſt dici conari, ut Deus ipſum contrà amet, & hic conatus non deſtituetur quoque ſuo effecto.

Prop. XX. *Hic erga Deum Amor neque Invidiæ, neque Zelotypiæ affectu inquinari poteſt; ſed eò magis fovetur, quò plures homines eodem Amoris vinculo cum Deo junctos imaginamur.*

HÆc Propoſitio ex naturâ amoris erga Deum ſatis videtur patere, ut difficiliori demonſtratione Spinozæ non videamur indigere; quam tamen non rejicimus, modò Prop. 28. IV. intelligatur de Amore erga Deum, qui verè ſit Deus, non qui merum ſit mentis noſtræ idolum, qualis eſt ille Deus, quem Spinoza nobis deſcribit; & ex definitionibus citatis aſſumatur tantùm, quod verum eſt, quod ſuo loco obſervavimus, rejectis falſitatibus admixtis, quæ tamen etiam ad demonſtrationem iſtam non requirantur. Legat eam apud Spinozam, qui voluerit; nos ad ejus Scholii examen nos accingimus.

In Scholio dicit, *poſſe hoc eodem modo oſtendi, nullum dari Affectum qui huic Amori directè ſit contrarius, à quo hic ipſe Amor poſſit deſtrui; atque adeo concludi poſſe, hunc erga Deum Amorem omnium affectuum eſſe conſtantiſſimum, nec, quatenus ad Corpus refertur, poſſe deſtrui, niſi cum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ipſo corpore; quæ omnia libenter fatemur. Hinc Mentis potentiam in affectus reducit ad V. partes ſive gradus, eamque conſtituit. I°. *in ipſa affectuum cognitione* citato *Schol. Prop.* 4. V. II°. *in eo, quòd affectus à cogitatione cauſæ externæ, quam confuſe imaginamur, ſeparat*, ubi nos ablegat ad Prop. 2. & ejuſdem Scholium, quod nullum habet, & ad Prop. 4. hujus. Sed nos ibidem loci obſervavimus dubium valdè eſſe, an poſſimus affectus à cogitatione cauſæ externæ ſeparare. III°. *in tempore, quo affectiones, quæ ad res, quas intelligimus, referuntur, illas ſuperant, quæ ad res referuntur, quas confuſe ſeu mutilate concipimus* (vide Prop. 7 hujus) ubi vocabulo *affectiones* utitur loco *affectus*. Mirum verò eſt, quomodo queat concipi, potentiam mentis conſiſtere in tempore, quod externa tantùm eſt rerum circumſtantia. Melius dixiſſet, mentis potentiam in eo conſiſtere, quod poſſit affectibus, qui ad res, quas intelligimus, referuntur, ſive, *qui ex ratione oriuntur*, prout clarius loquitur Prop. 7. hujus, ſuperare eos, qui ad res ſingulares referuntur, quas confuſè ſeu mutilatè concipimus, quod hoc modo propoſitum libenter approbamus. IV°. *in multitudine cauſarum; à quibus affectiones, quæ ad rerum communes proprietates, vel ad Deum referuntur, foventur.* (vide Prop. 9. & 11. hujus) Quibus verbis hoc forte voluit dicere, mentem poſſe Affectus referre ad plures & diverſas cauſas, eaſque ſimul cum affectu conſiderare, & inter illas rerum communes proprietates, ut & ipſum Deum; id enim volunt Prop. 9. & 11. hujus, & hoc modo claros magis & diſtinctos conceptus de affectibus formabimus, quod tunc à prima parte vix differet. V°. *Denique in ordine, quo Mens ſuos affectus ordinare & invicem concatenare poteſt* (vide Schol. Prop. 10. & inſuper Prop. 12. 13. & 14. hujus); Quæ ſi cum his conferantur, videtur mens eſſe Spinozæ, quòd debeamus ordinare & concatenare affectus noſtros cum intellectu, ſive, cum rebus, quas clarè & diſtinctè intelligimus; quá ratione iterum hæc pars ad priorem reducitur.

His ſic præmiſſis duas adjungit annotationes, quarum prima eſt: *quòd affectus à nobis magni appellantur, quando unius hominis affectum cum affectu alterius comparamus, & unum magis, quàm alium eodem affectu conflictari videmus, vel quando unius ejuſdemque hominis affectus ad invicem comparamus, eundemque uno affectu magis, quàm alio affici, ſive moveri comperimus.* Probat hanc obſervationem in hunc modum:

Nam

Nam (per Prop. 5. p. 4.) *vis cujuſcunque affectus definitur potentiâ cauſæ externæ cum noſtrâ comparatâ. At Mentis potentia ſola cognitione definitur; impotentia autem ſeu paſſio à ſolâ cognitionis privatione, hoc eſt, ab eo, per quod ideæ dicuntur inadæquatæ, æſtimatur; ex quo ſequitur, Mentem illam maximè pati, cujus maximam partem ideæ inadæquatæ conſtituunt, ita ut magis per id, quod patitur, quàm per id, quod agit, dignoſcatur; & illam contra maxime agere, cujus maximam partem ideæ adæquatæ conſtituunt, ita ut, quamvis huic tot inadæquatæ ideæ, quàm illi inſint, magis tamen per illas, quæ humanæ virtuti tribuuntur, quam per has, quæ humanam inpotentiam arguunt, dignoſcatur.* In quâ annotatione nihil reperimus, quod non poſſimus calculo noſtro probare, ſuppoſito, quod per adæquatas intelligat *diſtinctas* & per inadæquatas *confuſas*, ut ſupra vidimus. Hoc tantum videmur nobis hîc obſervare poſſe, quòd per *partem mentis*, quam dicit, intelligat certum quendam mentis modum, prout etiam ſupra vidimus, eum *partes* rei cum ejuſdem modis ſolere confundere. Secunda annotatio eſt, *animi ægritudines & infortunia potiſſimum originem trahere ex nimio Amore erga rem, quæ multis variationibus eſt obnoxia, & cujus nunquam compotes eſſe poſſumus.* Probat hanc obſervationem: *Nam nemo de re ulla, niſi quam amat, ſollicitus anxiuſve eſt, neque injuriæ, ſuſpiciones inimicitiæ &c. oriuntur, niſi ex amore erga res, quarum nemo revera poteſt eſſe compos.* Puto autem his poſterioribus verbis id illum deſignare velle, neminem reverâ poſſe eſſe compotem externorum bonorum corporis & fortunæ, qualia ſunt divitiæ, amici, potentia & dominium in alios, pulchritudo & forma corporis, ejuſdem robur & ſimilia, quatenus ea deſideret & amet tanquam conſtantia, dum in iis ſummum ſuum bonum collocat; qui ſi ſit verborum ſenſus, nos illis calculum noſtrum facile adjicimus.

Hinc quædam deducit conſectaria. *Ex his nos facile concipere, quid clara & diſtincta cognitio, & præcipuè tertium illud cognitionis genus* (de quo vide Schol. Prop. 47. p. 2.) *cujus fundamentum eſt ipſa Dei cognitio, in affectus poteſt, quos nempe, quatenus paſſiones ſunt, ſi non abſolutè tollit,* (vide Prop. 3. cum Scholio Prop. 4. hujus) *ſaltem efficit, ut minimam Mentis partem conſtituant.* (vide Prop. 14. hujus) Nos non negamus, quin multum poſſit hæc clara & diſtincta cognitio ad affectuum moderationem; ſed tertium cognitionis genus, quod ex mente Spinozæ eſt, ut à diſtincta cognitione eſſentiæ formalis quorundam

dam Dei attributorum deducamus cognitionem eſſentiæ rerum, illaſque eſſentias rerum conſideremus tanquam modos quoſdam divinorum attributorum ex Schol. Prop. 47. II. erroneum plane eſt; etiam Prop. 14. hujus vera non eſt; quamvis his non obſtantibus, ſi mentem noſtram ornemus cognitione rerum, & inprimis impleamus verâ cognitione Dei, fieri non poſſit, quin affectus noſtri per eam magis magiſque abſorbeantur.

Alterum conſectarium, quod hinc deducit, eſt, quòd tertium illud cognitionis genus *Amorem gignit erga rem immutabilem & æternam* (vide Prop. 15. hujus) *& cujus revera ſumus compotes* (vide Prop. 45. p. 2.) *& propterea nullis vitiis, quæ in communi Amore inſunt, inquinari; ſed qui ſemper major ac major eſſe poteſt* (per Prop. 15. hujus) *& Mentis maximam partem occupare* (per Prop. 16. hujus) *lateque afficere. Atque his omnia, quæ ad præſentem hanc vitam ſpectant, abſolvi.* Verum eſt, claram & diſtinctam cognitionem gignere Amorem erga Deum, idque patet ex natura iſtius cognitionis & Dei, nam Prop. 15. hujus falſa eſt declarata. Quid de tertio cognitionis genere ex mente Spinozæ ſit judicandum, paulo ante vidimus. Sed hîc interea obſervemus, Spinozam Deum conſiderare tanquam rem immutabilem, cùm tamen alias hoc attributum à Deo videatur removere. Quod autem iſtius rei *immutabilis & æternæ reverâ ſimus compotes*, non poteſt confici per Prop. 45. p. 2. in quâ dicitur, quòd *unaquæque cujuscunque corporis vel rei ſingularis, actu exiſtentis, idea Dei æternam & infinitam eſſentiam neceſſariò involvat*, quæ falſitatis ſuo loco eſt convicta. Nos poſſe fieri compotes Dei non negamus, ſed ad id Philoſophia nos nunquam adducet, quæ non poteſt tollere noſtram corruptionem, neque Deum nobiſcum reconciliare, adeoque non poteſt efficere noſtram cum Deo unionem, quæ ad Amorem Dei requiritur.

PROP. XXXI. *Mens nihil imaginari, neque rerum præteritarum recordari poteſt, niſi durante corpore.*

PRopoſitio hæc de imaginatione veriſſima eſt, ut & de memoriâ corporeâ, quamvis poſſit dari memoria quædam ſpiritualis, quæ in facilitate cogitandi eadem quæ antea fuerant cogitata, cum conſcientia, quòd prius fuerint cogitata, conſtitui poteſt. Spinoza dicit in Schol. Prop. 18. II. *dari aliquam concatenationem idearum, quæ*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſit ſecundum ordinem intellectus, quo res per primas ſuas cauſas Mens percipit, & qui in omnibus hominibus idem eſt. Objicit ille contra Memoriam intellectualem, ſive, quæ ſit puræ mentis, in Tractatu de *Intellectus Emendatione* p. 383. *Memoria corroboratur ab intellectu, & etiam ſine intellectu à vi, quâ imaginatio aut ſenſus, quem vocant communem, afficitur ab aliqua re ſingulari corporeâ,* atque inde concludit, *eam quid diverſum eſſe ab intellectu, & circa intellectum in ſe ſpectatum nullam dari memoriam neque oblivionem.* In margine dicit: *Quamvis ideæ ipſæ ſuam habeant durationem in mente, tamen cum aſſueti ſimus durationem determinare ope alicujus menſuræ motus, quod etiam ope imaginationis fit, ideo nullam adhuc memoriam obſervamus, quæ ſit puræ mentis.* Ex quibus tantum abeſt, ut memoria illa puræ mentis evertatur, ut non parum ex illis, collatis cum iis quæ citavimus p. 383. confirmetur. Si enim ex eo, quod *memoria corroboratur ab intellectu,* ſequeretur, nullam dari memoriam puræ mentis, ſimiliter ex eo, *quòd memoria corroboretur à vi, quâ imaginatio afficitur ab aliqua re corporea,* ſequetur nullam dari memoriam corpoream. Nobis ſufficit id, quod concedit, *memoriam corroborari ab intellectu,* item *quod ideæ ſuam habeant durationem in mente,* quæ conjungimus cum iis, quæ ex p. 383. citavimus, atque dicimus, *eſſe in mente concatenationem idearum ſecundum ordinem intellectus, quæ in Mente ſuam habuerunt durationem, unde fit ut intellectus per cauſas ſuas iterum percipiat certa quædam effecta quæ antea ita percepit, ut hujus perceptionis adhuc habeat durantem conſcientiam.* Ex. gr. Petrus habet in ſua mente ſecundum ordinem intellectus durationem & concatenationem idearum de ſuis parentibus, cognatis, familiaribus, quid erga ſe fecerint, quid ipſe erga illos, quales etiam de rebus ea occaſione in ſe fuerint excitatæ ideæ &c. atque iſtius concatenationis & durationis habet continuatam conſcientiam. Atqui hoc ipſum ego Memoriam intellectualem vel puræ mentis appello. Etſi autem homo nullam habeat determinationem iſtius durationis ope menſuræ motus, poteſt habere aliam, & forte nulla quoque determinatio requiritur. Quando enim agimus de memoria intellectuali, intelligimus eam, quæ propria eſt animæ ſeparatæ poſt hanc vitam; libenter enim fatemur, in hâc vitâ recordari nos ſolere rerum præteritarum non ſine interventu imaginum, quæ à corporibus ſingularibus vi imaginationis ſunt impreſſæ, at cùm iſtæ imagines ab intellectu fuerint perceptæ per ideas earum occaſione ab in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

intellectu excitatas, certaque ſic facta ſit idearum in intellectu concatenatio, neque anima ſeparata turbetur novis imaginibus corporeis, ſed ſibi ipſi relicta, ſe tantùm inſpiciat, omninò ſtatuimus ſic illam modo dicto inſpicere poſſe ideas concatenatas. An durationis iſtarum idearum habitura ſit aliquam menſuram, dico determinari non eſſe neceſſe, cùm ſine illâ determinatione iſtam memoriam intelligere queamus.

Demonſtratio Spinozæ nititur Coroll. Prop. 8. p. 2. quod falſum eſt.

Prop. XXII. *In Deo tamen datur neceſſariò idea, quæ hujus & illius corporis humani eſſentiam ſub æternitatis ſpecie exprimit.*

OBſcura eſt admodum hæc Propoſitio, neque quid eâ velit ſatis intelligi poteſt, niſi ex Demonſtratione quodammodo colligamus. In quâ cùm dicat *corporis humani eſſentiam per eſſentiam Dei debere concipi*, videtur hoc velle iſta Propoſitio, quòd corporis humani idea in Dei ideâ comprehendatur, & propterea ejus eſſentia debeat concipi æterna.

Examinemus demonſtrationem. *Deus non tantùm eſt cauſa hujus & illius corporis humani exiſtentiæ, ſed etiam eßentiæ, per Prop.* 25.*p.* 1. quam Propoſitionem cùm ſic procul dubio intelligat, quâtenus corpus humanum neceſſariò fluat ex Dei naturâ ſub ratione extenſionis conſideratâ, uti ſupra obſervavimus, procul dubio eſt falſa. Et ſic debere intelligi etiam docent quæ ſequuntur: *Quæ propterea per ipſam Dei eßentiam neceſſariò debet concipi*, per Axiom. 4. p. 1. non enim illud ex antecedentibus fluit, niſi hoc ſenſu acceptis; & ax. 4. I. hoc tantùm dicit: *Effectus cognitionem à cognitione cauſæ dependere & eandem involvere*, ſicque generatim ſumtum à nobis admiſſum fuit, malè verò nunc ita applicatur, quaſi corporis humani eſſentia in Dei eſſentiâ ſub ratione extenſionis conſiderata involvatur tanquam in cauſâ. Sequitur inter fulcra hujus demonſtrationis Prop. 16. I. quam ſuo loco refutavimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Prop. XXIII. *Mens humana non poteſt eum corpore abſolutè deſtrui; ſed ejus aliquid remanet, quod æternum eſt.*

SPecioſa videtur hæc Propoſitio, ſed ex demonſtratione ejuſdem & Scholio, quod eidem additur, ſub illâ verborum ſpecie videtur latere anguis. Scilicet ipſi Mens humana ab æterno fuit, & ſic in æternum quoque manebit; quid verò fuerit & quomodo fuerit ab æterno, ex ipſius explicatione intelligi non poteſt.

Videamus demonſtrationem. Nititur illa Propoſit. præcedente quæ & falſa & non intelligibilis eſt, item Prop. 13. II. quæ ſimili falſitate laborat, ut & Coroll. Prop. 8. II. quæ ejuſdem eſt valoris. Formemus jam ex illâ demonſtratione aliquem conceptum ejus, quod voluit dicere Spinoza: Mens humana conſtituitur per ſuam ideam, cujus objectum eſt corpus actu exiſtens & nihil aliud, dicit Spinoza Prop. 13. II. ſic igitur mens humana erit nihil aliud quàm idea corporis humani actu exiſtentis. Quod ſi iſta mens eſt æterna, æterna etiam eſt idea corporis humani actu exiſtentis, quæ cùm non ſit falſa ex illius mente: Ergo etiam corpus humanum actu ab æterno exſtitit, & per conſequens, ſi mens humana in æternum manet, etiam corpus humanum actu in æternum exiſtit; non ergo corpus humanum abſolutè deſtruitur per mortem, quod eſt contra hypotheſin. Huc tandem reducitur inſaniens illa Spinozæ ſapientia.

Scholium non magis illam rem elucidat, quàm demonſtratio. *Idea hæc*, inquit, *quæ corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis exprimit, eſt certus cogitandi modus, qui ad mentis eſſentiam pertinet, quique neceſſariò æternus eſt.* Verum eſt, mentem noſtram habere ideam corporis eſſentiæ; verum eſt, & apud omnes receptum, eſſentias rerum eſſe æternas, quod intelligitur de mente Dei, quâtenus Deus ab æterno rerum quarumvis eſſentias definivit, iiſque certas quaſdam proprietates conceſſit: At illæ ideæ non fuerunt ab æterno in humana mente, ſed à Deo ei ſunt inditæ, quando eam condidit. Hinc objectionem ſibi proponit, quòd *non recordemur nos ante corpus extitiſſe*, ad quam reſpondet, I°. hoc fieri non poſſe, *quandoquidem nec in corpore ulla ejus veſtigia dari, nec æternitas tempore definiri, nec ullam ad tempus relationem habere poſſit.* At hæc reſponſio mihi non ſatisfacit, cùm paulo ante aſſeruerim memoriam ſpiritualem, quâ ha-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bemus cogitationum priorum concatenationem cum conſcientia, quod illas habuerimus, quam ipſe Spinoza quoque non videtur in Schol. 18. II. planè abnegare. Quicquid tamen de ipſius ſit ſententia, impoſſibile eſt intelligere, quomodo mens mea fuerit ab æterno, ſi habeamus conſcientiam cogitationum, quas ante conjunctionem corporis habuerimus. Quid enim erit illud, propter quod *mea* mens humana dicetur, vel *tua* vel *alterius*, ſi nihil in eâ fuerit cujus nunc ſis conſcius, quod in ea fuerit: Si enim non hæc ipſa mens fuit, quæ nunc conjuncta eſt cum corpore, quomodo dicetur mea, quid illud erit propter quod mea appellabitur? Si pars Dei fuit, uti ipſe ſtatuere debet, non ergo fuit mens mea, ſed nunc demum facta eſt mea; & ſi nec mea, nec tua, nec alterius fuit, quomodo ergo fuit mens humana? Nec enim mens humana dici poteſt quæ nec fuit hujus, nec illius nec alterius cujuſvis hominis, niſi fingamus ideam aliquam Platonicam univerſalem, quæ extiterit absque ſingularibus. Sed ſecundam adducit reſponſionem ad objectionem ſibi propoſitam, & inquit: *Nos ſentire experirique nos æternos eſſe*. Rectè; modo id ſentiam & experiar in mente mea, nihil habebo, quod tibi contradicam. Ego verò hactenus nec ſenſi, nec expertus ſum, tu me doce viam & rationem, qua impoſterum id ſentire experirique poſſim. Dicis: *Mens non minus res illas ſentit, quas intelligendo concipit, quàm quas in memoria habet. Mentis enim oculi, quibus res videt obſervatque, ſunt ipſæ demonſtrationes.* Concedam iſta omnia, quid verò inde infers? *Quamvis itaque non recordemur, nos ante corpus extitiſſe, ſentimus tamen mentem noſtram, quatenus corporis eſſentiam ſub æternitatis ſpecie involvit, æternam eſſe.* Itane? Quærebam, quomodo nos ſentiamus experiamurque noſtram mentem æternam eſſe, vel potius, quomodo ego id, quod nunquam ſenſi, nunquam expertus ſum, poſtea queam ſentire & experiri? Hunc me docere debebas modum, tu verò rem doces; ſed nec doces, tantùm aſſeris, nos ſentire, mentem noſtram æternam eſſe. Hoc aſſeris de mente mea, tua, cujuſvis alterius. Aſſeris aliquid de mea & aliorum mente, quod ignoras, & vis perſuadere mihi, quod ſentiam, quòd experiar id, quod revera nunquam ſenſi, nunquam fui expertus; quin imo aſſeris de tua mente, quod non expertus es, quod non intelligis. Quid enim quæſo illud eſt, *mentem noſtram corporis eſſentiam ſub æternitatis ſpecie involvere?* Si hoc vis, noſtram mentem habere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ideam de eſſentia corporis, quæ in mente Dei ab æterno fuit, quid quæſo hoc facit ad æternitatem tuæ mentis? Non poteſt dici mens tua fuiſſe ab æterno, niſi ab æterno exſtiterit, adeoque niſi exſtiterit ante tuum corpus, de exiſtentia enim actuali hîc eſt quæſtio. Exiſtentia, quam dicitur habere mens mea, tua, alterius, ut & corpus & quævis res alia, eſt tantùm objectiva, non formalis, non actualis. Eſt tantùm in cogitatis, non in extantibus. Hîc autem quæritur de rebus extantibus. Quando dicis, *mentem noſtram corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis involvere*, non poſſunt hæc verba alium habere ſenſum, qui verus ſit, præter hunc, quòd mens mea habeat ideam corporis, ut & aliarum quarumvis rerum, qua omnes res concipit objectivè ab æterno in Dei mente fuiſſe. Hæc quæ ſubjungis concedo: Si mens noſtra eſt æterna, *hanc ejus exiſtentiam tempore definiri, ſive per durationem explicari non poſſe.* Quod ſequitur: *Mentem igitur noſtram tantum eatenus poſſe dici durare, ejusque exiſtentiam certo tempore definiri poſſe, quatenus actualem corporis exiſtentiam involvit, & eatenus tantum potentiam habere rerum exiſtentiam tempore determinandi, easque ſub duratione concipiendi*; nihil ad noſtrum faciunt negotium, quod erat ut oſtenderes, *mentem noſtram eſſe æternam*, & quomodo ejus quilibet poſſet eſſe certus, non verò quomodo mens noſtra ſit in tempore, de quo non dubitamus. Sic magno molimine nihil eſt effectum. Non enim ulla ratione ſic potuit intelligi, quomodo mens humana & ab æterno fuerit, & ejus pars aliqua in æternum maneat. Ut nunc nihil dicam de eo, quòd mens ei dicitur *actualem corporis exiſtentiam involvere*, quod falſum eſſe conſtat ex iis, quæ ad Prop. 11. II. diximus.

Videbar in antecedentibus ex Prop. 20. aliquid luminis deprehendiſſe, ex quo intelligerem, quomodo vellet Spinoza, partem aliquam mentis noſtræ in æternum manere; putabam igitur, hanc ipſius mentem eſſe, quod mens noſtra maneat in æternum, ſed non cum illo modo confuſè cogitandi, qui ab unione cum corpore noſtro dependet, verùm cum modo cogitandi, in quo ideæ & cogitationes tantum reperiantur diſtinctæ. Hoc ſi voluiſſet, conceſſiſſem id libentiſſimè, & laudaſſem hominem eo nomine, quòd immortalitatem animæ noſtræ revera agnoſceret: Verum enim verò, cùm hîc tollat omnem conſcientiam cogitationum, quæ antea fuerint, & non tantùm aſſerat, mentem noſtram in æternum eſſe fu-

tu-

turam, ſed etiam *ab æterno fuiſſe*, cujus tamen nullum habemus ſenſum, nullam conſcientiam, quodque abſurditate ſua ſe ipſum evertit, non eſt quod amplius quid ſpei de his cogitatis in bonum ſenſum tranferendis concipiam.

PROP. XXIV. *Quo magis res ſingulares intelligimus, eo magis Deum intelligimus.*

SUpponitur hîc Coroll. Prop. 25. I. *Res particulares nihil eſſe, niſi Dei attributorum affectiones, ſive modos, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimuntur*, ad id enim provocat in Demonſtratione; quod cum falſitatis in ſuperioribus ſit convictum, non eſt quod dubitemus hanc Propoſitionem, quæ tota ei innititur, in cenſum falſarum referre.

PROP. XXV. *Summus mentis conatus ſummaque Virtus eſt res intelligere tertio cognitionis genere.*

TErtium cognitionis genus ex mente Spinozæ, prout habetur in 2. Schol. Prop. 40. II. eſt, *quod procedit ex adæquatâ idea eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum*, quatenus nempe Spinoza res conſiderat *tanquam quoſdam modos attributorum Dei vel ejuſdem eſſentiæ*, quam ſententiam ſatis ſuperque refutavimus. Cum igitur tale genus cognitionis nullum detur, non eſt quod in eo collocetur Mentis ſummus conatus & ſumma Virtus.

Demonſtratio Spinozæ propriâ mole ruit, quia non aliis nititur niſi falſis fundamentis, nempe 2. Schol. Prop. 40. II. item Prop. 24. V. Defin. 8. IV. & tandem Prop. 7. III.

PROP. XXVI. *Quo mens aptior eſt ad res tertio cognitionis genere intelligendum, eo magis cupit res eodem hoc cognitionis genere intelligere.*

FAlſa eſt hæc Propoſitio tum ex eo, quod genus cognitionis ſupponat, quale nullum cadit in homines, tùm ex eo quòd nitatur prava Cupiditatis definitione, prout ſuo loco vidimus. Sic cadit quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

que demonſtratio Spinozæ, quæ definitione illa tanquam unico ſuo fundamento fuit nixa.

PROP. XXVII. *Ex hoc tertio cognitionis genere ſumma, quæ dari poteſt, mentis acquieſcentia oritur.*

FAlſa quoque eſt hæc Propoſitio, cum tale genus cognitionis nullum detur, atque adeò non entis nulla quoque ſint realia attributa. A Demonſtratione Spinozæ nullum ei accedit robur. Nititur illa variis falſis fundamentis, quale eſt Prop. 28. IV. 25. V. 24. V. & 2. Affect. Defin.

PROP. XXVIII. *Conatus, ſeu Cupiditas cognoſcendi res tertio cognitionis genere, oriri non poteſt ex primo; at quidem ex ſecundo cognitionis genere.*

SUpponitur in hâc Propoſitione, debere nos habere Cupiditatem res cognoſcendi tertio cognitionis genere, hoc eſt, nos debere ex attributis Dei deducere rerum eſſentias, tanquam modos quoſdam divinorum attributorum, quod tantum abeſt, ut nomine cognitionis debeat venire, ut potius pro errore id ſit habendum. Hoc tamen ſuppoſito vera eſt pars Propoſitionis prior, ſed falſa planè poſterior. Secundum cognitionis genus juxta Spinozam in Scholio 2. Prop. 40. II. eſt, *quod notiones communes rerumque proprietatum ideas adæquatas*, id eſt, diſtinctas *habeamus*: at inde non poteſt oriri cognitio rerum eſſentiæ, tanquam modorum attributorum Dei vel ejuſdem eſſentiæ, quod ſatis ex ſupra dictis patere poteſt.

In Demonſtratione Spinoza probat ideas claras & diſtinctas, quas referri dicit ad tertium cognitionis genus, non poſſe ſequi ex ideis confuſis, ſive ex primo cognitionis genere, quod fateor: Concludit, debere igitur illas ſequi ex ſecundo, quod ipſum quoque admitto. Tertium verò cognitionis genus, ut à diſtincta cognitione eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum deducamus cognitionem eſſentiæ rerum, illaſque eſſentias rerum conſideremus tanquam modos quoſdam divinorum attributorum, nunquam deducetur ex claris & diſtinctis ideis, quas habemus vel Dei vel rerum aliarum, cùm ſi res illas conſideremus tanquam modos Dei attributorum, non

ſimus

ſimus habituri ideas diſtinctas, ſed planè confuſas, quod ſatis ex antea dictis eſt manifeſtum.

Prop XXIX. *Quicquid mens ſub ſpecie æternitatis intelligit, id ex eo non intelligit, quod Corporis præſentem actualem exiſtentiam concipit, ſed ex eo, quod corporis eſſentiam concipit ſub ſpecie æternitatis.*

PRopoſitionem hanc obſcuram antequam examinemus, videamus, an ex Scholio adjecto aliquanto melius poſſimus intelligere. Scholium ſic habet: *Res duobus modis à nobis ut actuales concipiuntur, vel quatenus easdem cum relatione ad certum tempus & locum exiſtere, vel quatenus ipſas in Deo contineri, & ex Naturæ Divinæ neceſſitate conſequi concipimus. Quæ autem hoc ſecundo modo ut veræ ſeu reales concipiuntur, eas ſub æternitatis ſpecie concipimus, & earum ideæ æternam & infinitam Dei eſſentiam involvunt, ut Prop. 45. partis II. oſtendimus, cujus etiam Scholium vide.* At nos ſuperius oſtendimus, & Propoſ. 45. & ejuſdem Scholium falſa eſſe. Atque impoſſibile eſt concipere aliam actualem rerum exiſtentiam, quàm eam, quæ eſt cum relatione ad certum tempus & locum, & quam habent res in ſe ipſis. Ea enim, quæ dicitur eſſe in Deo, non eſt rerum ſed Dei propria exiſtentia; Niſi exiſtentia Dei & rerum ſit eadem, adeoque eadem ſit etiam Dei & aliarum quarumvis rerum eſſentia, quo reverâ nos ducunt hypotheſes Spinozæ. Quis verò ſanæ mentis concipiet, quomodo res adeò diſtinctæ hoc eſt, quæ non ſunt eædem, tamen ſint eædem! Deus nempe & res à Deo conditæ: Quis res totâ ſuâ naturâ differentes concipiet ut modos divinæ ſubſtantiæ, quæ in ſuâ naturâ non Dei ſummam & infinitiam perfectionem exprimunt, ſed ſuam finitam. Si dixiſſet, res in Deo fuiſſe ab æterno, quâtenus Deus ab æterno formarit in ſuâ mente ſive in ſuâ cogitatione infinitâ quarumvis rerum ideas, verum dixiſſet, ſed tum non debuiſſet diſtinguere duplicem rerum actualem exiſtentiam, cùm ſic conſideratæ nullam talem habeant in Deo. Ita verò jam liquet, in Propoſitione ſupponi, mentem ſub ſpecie æternitatis alias res concipere, quàm Deum, quæ falſa eſt hypotheſis, cùm ex eo, quod Deus ab æterno habet omnium rerum ideas, tantùm ſequatur, non ipſas res æternas eſſe, niſi valdè improprie, quâtenus objecto actûs aſſignatur id, quod

propriè competit actui circa illud verſanti, ſed res illas à Deo poſſe produci, vel etiam eſſe producendas: Perperam ergo mens dicitur concipere corporis eſſentiam ſub ſpecie æternitatis, & tota iſta Propoſitio meram involvit repugnantiam.

Eam tamen conatur demonſtrare, ſed demonſtrandi methodo ſibi conſuetâ, in qua aſſertiones falſæ ſolent miſceri veris, qualis eſt hîc 2. Coroll. Prop. 44. II. & Prop. 23. V. & Prop. 13. II. Cadit ergo ſic Propoſitio tàm infirmis fundamentis nixa.

PROP. XXX. *Mens noſtra, quâtenus ſe & corpus ſub æternitatis ſpecie cognoſcit, eâtenus Dei cognitionem neceſſariò habet, ſcitque, ſe in Deo eſſe & per Deum concipi.*

STulta & inepta plane eſt hæc Propoſitio, & qui eam profert, non ſecus facit, quàm ſi diceret: (Qui ſe concipit ut partem Dei, & corpus ſuum ſimiliter ut partem Dei, eo ipſo habet cognitionem aliquam Dei,) cùm ſic rem finitam cùm re infinitâ planè confundit.

Oſtendit ubivis homo, quòd evanuerit planè in ſuis ratiociniis, dum ſibi viſus eſt valdè ſapiens.

Eâdem ſtultitia laborat Demonſtratio, in quâ ſupponitur, debere nos res creatas ſub ſpecie æternitatis concipere, adeoque debere ea, quæ tantoperè inter ſe differunt, rem finitam & infinitam inter ſe invicem confundere.

PROP. XXXI. *Tertium cognitionis genus pendet à Mente, tanquam à formali cauſâ, quâtenus mens ipſa æterna eſt.*

UNo abſurdo dato, non mirum eſt, infinita alia ſequi. Supponit ille homo tertium aliquod cognitionis genus, quo res conſiderantur tanquam quidam modi attributorum Dei vel divinæ eſſentiæ. Mens ipſi æterna eſt, quâtenus eſt pars aliqua Dei, vel modus eſſentiæ divinæ, hoc ipſum autem dum mens cognoſcit, dicitur habere tertium cognitionis genus. At ſic res non poſſunt, non debent conſiderari, ſic non ſunt æternæ, nec ſic æternæ ulla ratione eſt queunt.

Demonſtratio non magis eſt intelligibilis, quàm fuit Propoſitio, & falſis planè nititur fundamentis, cujuſmodi ſunt Prop. 29. V. Prop. 23. V. Prop. 30. V. Prop. 46. II. Schol. 2. Prop. 40. II. unde eam nihil habere roboris ſatis videtur conſtare. An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Annectit Scholium, in quo dicit, quòd *quò unusquisque hoc cognitionis genere plus pollet, eò melius ſui & Dei conſcius ſit, hoc eſt, eò ſit beatior & perfectior*; quæ omnia concidunt, quando intelligitur, hoc tertium cognitionis genus plane eſſe fictitium, neque dari in rerum natura poſſe. *Notandum hîc* dicit, *quòd tametſi jam certi ſimus, mentem æternam eſſe, quâtenus res ſub æternitatis ſpecie concipit, nos tamen, ut ea, quæ oſtendere voluimus, facilius explicentur, & melius intelligantur, ipſam, tanquam jam inciperet eſſe, & res ſub æternitatis ſpecie intelligere jam inciperet, conſiderabimus, ut huc uſque fecimus; quod nobis abſque ullo erroris periculo facere licet, modo nobis cautio ſit nihil concludere, niſi ex perſpicuis præmiſſis.* Utinam verò Spinozæ iſta cautio ſemper fuiſſet, ſic caruiſſemus tot obſcuris præmiſſis, quas nec ipſe intellexit, nec ullus hominum intelligere poteſt! Quale inter alia plurima illud eſt de æternitate mentis humanæ, quam Deo coæternam conſiderat, tanquam ejus attributi vel eſſentiæ modum. Quod verò mentem velit conſiderare tanquam ſi inciperet eſſe, id planè neceſſarium cenſemus, quin imò dicimus, aliter fieri non poſſe, & propterea omnes præcedentes conſiderationes mentis plane inutiles eſſe & ſupervacuas.

PROP. XXXII. *Quicquid intelligimus tertio cognitionis genere, eo delectamur, & quidem concomitante ideâ Dei, tanquam causâ.*

HÆc Propoſitio iterum ſupponit illud tertium cognitionis genus quod erroneum planè eſſe oſtendimus. Non ergo aliter eo quis poteſt delectari genere, quàm eo modo, quo quis delectatur erroribus. Quid verò opus erat, ut adderet Spinoza *concomitante ideâ Dei, tanquam cauſa*? Si enim tertium cognitionis genus, prout vult Spinoza, in eo conſiſtat, *quòd procedat ex adæquata idea eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum, quatenus hæ conſiderantur tanquam quidam modi attributorum Dei vel ejusdem eſſentiæ*, eo ipſo jam concomitatur idea Dei tanquam cauſa, quum ſubſtantiam conſideret tanquam cauſam ſuorum modorum, & ex idea Dei, quam ipſe de Deo format, hoc deducat.

Sed hoc miſſo videamus demonſtrationem, quæ, cùm nitatur Prop. 27. & 30. V. falſis planè fundamentis, non poteſt non concidere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Corollarium non eſt verius, quàm ipſa Propoſitio: *Ex tertio cognitionis genere oritur neceſſariò Amor Dei intellectualis.* Et nititur Prop. præcedente, ut & 29. hujus, quæ ambæ ſunt falſæ.

Prop. XXXIII. *Amor Dei intellectualis, qui ex tertio cognitionis genere oritur, eſt æternus.*

NOn mirum nobis eſt, quòd, cùm fingat mentem humanam æternam, ei etiam tribuat amorem æternum.

Sed cùm demonſtratio nitatur Prop. XXXI. V. ea ſubruta ipſam quoque concidere neceſſe eſt, & magis patefieri hujus Propoſitionis falſitatem.

Scholium explicat, quomodo iſte amor, etſi principium non habuerit, habeat tamen omnes Amoris perfectiones, de quo ſolicitos nos eſſe non oportet, qui ejuſmodi Amorem nullum agnoſcimus.

Prop. XXXIV. *Mens non niſi durante copore obnoxia eſt affectibus, qui ad paſſiones referuntur.*

PRopoſitionem hanc libenter admittimus, cum paſſiones animi, quæ non ſunt planè ſpirituales, non tantùm ab anima ſed etiam à corpore pendeant.

Demonſtrationem quoque Spinozæ, cùm bene ſatis procedat, prout patebit legere volenti, non reprobamus.

Corollarium. *Hinc ſequitur, nullum Amorem præter Amorem intellectualem eſſe æternum*: conceditur, modo addatur, illum Amorem intellectualem eſſe ſolius Dei non mentium humanarum, quas ab æterno extitiſſe ſomniat Spinoza.

Scholium mirum eſt. *Si ad hominum communem opinionem attendamus, videbimus, eos ſuæ Mentis æternitatis eſſe quidem conſcios; ſed ipſos eandem cum duratione confundere, eamque imaginationi ſeu memoriæ tribuere, quam poſt mortem remanere credunt.* Hæc vera ſunt de æternitate, prout conſideratur ea nullum habere finem, quam rectè probat ex eo, quod homines ſuæ æternitatis ſibi ſint conſcii, quod pertinet ad teſtimonium conſcientiæ; Hinc verò debuiſſet colligere è contrario, mentem humanam noſtram non eſſe æternam ea æternitate, quæ nullum habet initium, cùm nemo hominum iſtius ſuæ æter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ternitatis ſibi ſit conſcius, quod ſatis ex antecedentibus patere poteſt. Male verò reprehendit homines, quod *iſtam æternitatem cum duratione confundant*, cùm revera illa æternitas mentis ſit quædam ſpecies durationis, utpote ſucceſſione non carens. Neque poteſt intelligi, quomodo mens humana cujuſvis hominis poſſit adhuc dici ejuſdem hominis mens, ſi nulla remaneat memoria poſt mortem, quam facile concedimus, non poſſe eſſe corpoream, quamvìs propterea non ſit ei deneganda memoria intellectualis, de quâ ſupra jam fuit actum.

PROP. XXXV. *Deus ſe ipſum amore intellectuali infinito amat.*

HAnc Propoſitionem facile admittimus, modo per Deum intelligatur talis ſumma perfectio, quæ à mundo ſit planè diſtincta. Sed Spinoza per Deum iſtum intelligit hoc mentis ſuæ idolum, quod habet attributa infinita, & inter ea Cogitationem & Extenſionem, & cujus intellectus conflatus eſt ex mentibus finitis. Huic ſic tribuit amorem, quatenus mens quælibet ſe ipſam & alias mentes amat: At hic amor ex finitis conſtans, non poteſt intelligi eſſe infinitus.

Demonſtratio nititur Defin. 6. I. quæ erronea eſt ex mente Spinozæ accepta, & Prop. 11, I. quæ falſitatis quoque nomine eſt rejecta.

PROP. XXXVI. *Mentis amor intellectualis erga Deum eſt ipſe Dei amor, quo Deus ſe ipſum amat, non quatenus infinitus eſt; ſed quatenus per eſſentiam humanæ mentis, ſub ſpecie æternitatis conſideratam, explicari poteſt, hoc eſt, mentis erga Deum amor intellectualis pars eſt infiniti amoris, quo Deus ſe ipſum amat.*

PErgit hic Auctor eodem modo abſurda abſurdis tegere. Et ſanè ſi mens noſtra eſt pars infinitæ Dei mentis, quod in ſuperioribus conſtanter docuit, non mirum eſt, ſi mentis amor ſit pars infiniti amoris, quo Deus ſe ipſum amat: At prius illud abſurdiſſimum, uti ex antea dictis apparuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Demonſtrationis omnia fundamenta ſunt falſa; nempe Prop. 32. V. Prop. 3. III. Coroll. Prop. 32. V. Coroll. Prop. 25. I. unde Propoſitionem iſtam non potuit firmare.

Corollarium eſt ejuſdem furfuris cum Propoſitione. *Hinc ſequitur*, inquit *quod Deus, quâtenus ſeipſum amat, homines amat, & conſequenter, quòd Amor Dei erga homines, & mentis erga Deum Amor intellectualis, unum & idem ſit.*

Scholium nunc examinemus, in quo ſub ſpecioſis verbis abſurdiſſima occultantur dogmata. Vult cum Scripturis conciliare ineptiſſima ſua inventa. Dicit, *ex his clarè nos intelligere, qua in re noſtra ſalus, ſeu beatitudo, ſeu libertas conſiſtat, nempe in conſtanti & æterno erga Deum Amore*, quod ſano ſenſu poſſumus admittere, nullo modo ſenſu Spinozæ, apud quem idem eſt *Amor hominis æternus erga Deum*, & *Amor Dei erga homines*. Eodem jure, imò majori etiam poſſet dicere, lapidem eſſe panem, venenum eſſe medicamentnm, oculos eſſe aures, & quæ ſunt infinita alia. Addit, *hunc Amorem ſeu Beatitudinem in ſacris codicibus Gloriam appellari*, quod verum non eſt, ſed Scriptura dicit, omnia ad Dei gloriam ordinari, adeoque etiam ſalutem noſtram eò ordinari tanquam ad finem: Non ergo beatitudo eſt ipſa Dei gloria, ſed ab eâ diſtinguitur tanquam medium à fine. Non opus ergo erat, ut explicaret, quomodo hic amor ſit Gloria Dei, cùm Amor ille Gloria Dei non appelletur. His addit: *Deinde*, inquit, *quia noſtræ mentis eſſentia in ſolâ cognitione conſiſtit, cujus principium & fundamentum Deus eſt, (per Prop. 15. p. 1. & Schol. Prop. 47. p. 2.) hinc perſpicuum nobis fit, quomodo & quâ ratione mens noſtra ſecundum eſſentiam & exiſtentiam ex natura divina ſequatur, & continuò à Deo dependeat.* At eo ſenſu, quo hoc ex Prop. 15. I. & Schol. Prop. 47. II. elicitur, falſiſſimum eſt, *Deum eſſe principium & fundamentum noſtræ mentis*; juxta iſtas enim Propoſitiones mens noſtra eſt Modus divinæ eſſentiæ, quod eſt abſurdum, uti ſuo loco fuit oſtenſum. *Hoc autem hîc notare operæ pretium ſe duxiſſe* dicit, *ut hoc exemplo oſtenderet, quantum rerum ſingularium cognitio, quam intuitivam ſive Tertii generis appellaverit 2. Schol. Prop. 40. p. II. polleat, potiorque ſit cognitione univerſali, quam ſecundi generis eſſe dixerit.* Sed rejectis prioribus hæc quoque annotatio collabitur; nec tamen 2. Schol. Prop. 40. II. dixit hoc ipſum expreſſè, quòd nempe tertii generis cognitio ſit cognitio intuitiva rerum ſingularium. Dixit ibi, *tertium cognitionis ge-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

genus procedere ab adæquata idea eſſentiæ formalis quorundam Dei attributorum ad adæquatam cognitionem eſſentiæ rerum; ſi igitur id debeamus ex illis verbis elicere, oportet, ut per eſſentias rerum intelligamus res ſingulares omnes & ſingulas, quæ ſunt, fuerunt & erunt. Senſus ergo verborum iſtorum erit, *ab adæquata idea eßentiæ formalis quorundam Dei attributorum*, qualia ſunt cogitatio & extenſio ex mente Spinozæ, nos *procedere poſſe ad adæquatam cognitionem eßentiæ Petri, Pauli, Johannis, hujus ſapphiri, hujus adamantis, illius vermis &c.* Quis verò dixerit, hæc inde poſſe cognoſci omnia, & quomodo deducet Spinoza iſta omnia ex attributis Dei? Tantum abeſt, ut hæc cognitio ſit dicenda cognitio intuitiva. An ergo in Dei eſſentia poſſumus intueri cogitationes ſingulares & machinationes Titi, Mævii, Johannis &c. Apage cum iſtiuſmodi ineptiis. Quod ſi forte voluit dicere, *dum cognoſcimus res quasvis ſingulares, nos eodem actu cognoſcere aliquid Dei, cum Deus ſit omnia iſta*, & ſic nos habere intuitivam cognitionem Dei, ſupponit id, quod nunquam eſt conceſſum, *Deum eſſe omnia iſta*; ſupponit etiam, nos iſtas res ſingulares quaſvis poſſe intuitivè cognoſcere, & contradicit prioribus; ſic enim ex cognitione rerum iſtarum ſingularium deducemur ad cognitionem Dei, non verò, quod vult, *ab adæquata idea eßentiæ formalis quorundam Dei attributorum procedemus ad adæquatam cognitionem rerum eſſentiæ*; &, ſi procedimus ab una cognitione ad alteram, non erit cognitio iſta, ad quam procedemus, intuitiva, ſed diſcurſiva planè. Probat tandem, *iſtam cognitionem intuitivam potiorem eße cognitione univerſali, quæ eſt ſecundi generis*, hoc argumento: *Nam quamvis*, inquit, *in primâ Parte generaliter oſtenderim, omnia (& conſequenter mentem etiam humanam) à Deo ſecundum eßentiam & exiſtentiam pendere; illa tamen demonſtratio tametſi legitima ſit & extra dubitationis aleam poſita, non ita tamen mentem noſtram afficit, quàm quando id ipſum ex ipſa eſſentiâ rei cujuſcunque ſingularis, quam à Deo pendere dicimus, concluditur.* Sed miror, hominem iſtum quid dicat ſuſque deque habere. In prima parte voluit deducere ex Dei eſſentia cognitionem omnium rerum, hanc deductionem poſtponit ei cognitioni, quâ ex eſſentiâ rei cujuſcunque ſingularis deducitur, eam à Deo pendere, quia illa mentem noſtram non ita afficiat: Sed hoc ipſum ſupponit, non probat; Mentem noſtram magis afficit intuitiva cognitio, quàm diſcurſiva, ſed de qua hic agit Spinoza utraque eſt diſcurſiva neutra, intuitiva;

&,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

&, ſi ex his duabus alterutra ſit præferenda (ſupponamus nunc, quòd utraque deductio rectè ſit facta à Spinoza, quod falſiſſimum eſſe ex antea à nobis obſervatis quàm clariſſimè liquet) potius præferemus priorem, quâ ex Dei cognitione procedimus ad cognitionem rerum, quia cum illa poſſit eſſe clariſſima, poterit ſuam claritatem transfundere ad hanc, non vice verſa.

PROP. XXXVII. *Nihil in natura datur, quod huic Amori intellectuali ſit contrarium, ſive quod ipſum poſſit tollere.*

SUpponitur in hac Propoſitione talem amorem ex natura mentis neceſſariò fluere, quo nihil eſt falſius, ſic enim omnis mens humana eum haberet, cùm ejus contrarium tantùm non clamet experientia. Propoſitionem ergo iſtam tanquam manifeſtè cum experientia pugnantem rejicimus. Videamus tamen Spinozæ demonſtrationem.

Ea nititur Prop. 53. & 29. hujus, quæ ambæ pro falſis fuerunt rejectæ, unde his fulcris ſubtractis & demonſtratio & propoſitio concidit.

Scholium adjectum explicat mentem axiomatis Partis Quartæ, quod dicit *reſpicere res ſingulares, quatenus cum relatione ad certum tempus & locum conſiderantur, de quo neminem dubitare credat.* Axioma iſtud IV. Partis ſic habet: *Nulla res ſingularis in rerum natura datur, qua potentior & fortior non detur alia. Sed quâcunque datâ datur alia potentior, à qua illa data poteſt deſtrui.* Vult ergo in hoc Scholio conciliare Prop. 37. hujus Partis cum illo axiomate IV. Partis, conſiſtetque in hoc illa conciliatio, quòd mentis humanæ amori, prout & mens & amor iſte eſt æternus, nihil ſit contrarium, quamvis ei multa ſint contraria, prout mens humana & ille amor conſiderantur cum relatione ad certum tempus & locum. Sed nos iſtam diſtinctionem non admittimus. Reprobavimus axioma iſtud IV. Partis, & negamus, mentem & amorem mentis poſſe conſiderari ut æternum, quaſi nullum habuiſſet initium; non ergo eſt, quod laboremus de conciliatione eorum, quæ omnia ſunt falſiſſima & abſurdiſſima.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

PROP. XXXVIII. *Quò plures res ſecundo & tertio cognitionis genere mens intelligit, eò minus ipſa ab affectibus, qui mali ſunt, patitur, & mortem minus timet.*

HAnc Propoſitionem cum quadam reformatione poſſumus admittere, ſi ſcilicet tertium cognitionis genus, quod revera fictitium eſt, rejiciatur, & hoc modo proponatur: *Quò majori & quò plurium rerum cognitione inſtructa eſt Mens noſtra, eò minus ab affectibus, qui mali ſunt, patitur, & mortem minus timet*; ſed abſque iſta reformatione Propoſitionem illam rejicimus.

Demonſtratio ita inſtituitur, ac ſi tenderet ad confirmandam Propoſitionem, prout à nobis eſt reformata, & quamvìs ſit deducta ex Propoſitionibus, quas in ſuperioribus reprobavimus, tamen ex parte hic tantùm adducuntur, quatenus aliquid veri in ſe continent. *Mentis eſſentia*, inquit, *in cognitione conſiſtit per Prop.* 11.*p.* II. quod verum eſt, etſi tota illa Prop. 11. II. ſit falſa. Sic verum eſt quod ſequitur: *quò igitur mens plures res cognovit ſecundo & tertio cognitionis genere, eò major ejus pars remanet* per Prop. 39. & 23. hujus; dele illud *& tertio*, & intellige per majorem mentis partem modum mentis cogitandi purum & non maculatum, vel perturbatum confuſis conceptibus & animi perturbationibus & ſic verum hoc erit, quamvìs Prop. 29. V. hoc non dicatur, & Prop. 23. V. hoc quidem videatur dici, ſed verbis admodum ambiguis. Similiter id quod conſequitur in Demonſtratione ſano ſenſu poteſt admitti: *& conſequenter, per Propoſ. præcedentem eò major ejus pars non tangitur ab affectibus, qui naturæ noſtræ ſunt contrarii*, ſed non ſi intelligatur juxta Propoſ. præcedentem quæ tota eſt erronea. *Malos* autem *eſſe* illos affectus, qui naturæ noſtræ contrarii ſunt, non tantùm ex Prop. 30. p. IV. quæ hîc laudatur, ſed etiam ex natura rei eſt verum.

In Scholio dicit: *Hinc intelligimus id, quod in Schol. Prop.* 39.*p.* IV. *attigi; nempe, quòd mors eò minus eſt noxia, quò Mentis clara & diſtincta cognitio major eſt, & conſequenter, quò mens magis Deum amat.* Quod concedimus, ſi eo ſenſu id ſumatur, quo dictum eſt ad demonſtrationem Propoſitionis, ut ſcilicet intelligatur, poſt mortem manere eum mentis cogitandi modum, qui à confuſis & perturbatis conceptibus ſit liber. Sed ſi poſt mortem mens revera ceſſet, & nihil ejus remaneat, propter quod *mea*, *tua*, dici poſſit, quod ipſum ſtatuere in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

antecedentibus vidimus, inanis horum verborum eſt ſonus, quibus glaucoma nobis voluit obducere.

Addit in Scholio: *Deinde, quia per Prop. 27. hujus ex tertio cognitionis genere ſumma, quæ dari poteſt, oritur acquieſcentia, hinc ſequitur, mentem humanam poſſe ejus naturæ eſſe, ut id, quod ejus cum corpore perire oſtendimus, vide Prop. 21. hujus, in reſpectu ad id, quod ipſius remanet, nullius ſit momenti.* Quæ omnia etiam ad ſanum ſenſum facile poſſumus reducere, ſi loco tertii cognitionis generis ſcribatur, *quia ex cognitione ſummè clara entis perfectiſſimi, ſumma, quæ dari poteſt, oritur acquieſcentia,* & tum reliqua intelligamus juxta ea, quæ in præcedentibus fuerunt dicta; At Spinozam nullum ſanum, dum hæc ſcriberet, habuiſſe ſenſum in mente, facile licet ex dictis cognoſcere.

PROP. XXXIX. *Qui Corpus ad plurima aptum habet, is mentem habet, cujus maxima pars eſt æterna.*

PEr æternitatem mentis intelligit Spinoza eam, quâ fingit, mentem eſſe partem Dei & ſic ab æterno fuiſſe in Deo; unde hanc Propoſitionem pro falſa nos habere oportet. Nec demonſtratio Spinozæ procedit; quamvìs enim veras quaſdam Propoſitiones adducat, nititur tamen etiam quibuſdam falſis, quales ſunt Prop. 14. 15. 16. & 33. V.

In Scholio hoc generale præmittit: *Quia corpora humana ad plurima apta ſunt, non dubium eſt, quin ejus naturæ poſſint eſſe, ut ad mentes referantur, quæ magnam ſui & Dei habeant cognitionem, & quarum maxima, ſeu præcipua pars eſt æterna, atque adeo ut mortem vix timeant;* quod potuiſſemus admittere, ſi non adjeciſſet *de æternitate mentis,* per quam eum intelligere æternitatem abſque initio, ex præcedentibus eſt manifeſtum, quod dogma tanquam abſurdiſſimum in antecedentibus rejecimus. His ſubjungit: *Sed ut hæc clarius intelligantur, animadvertendum hic eſt, quòd nos in continua vivimus variatione, & prout in melius, ſive in pejus mutamur, eò felices aut infelices dicimur. Qui enim ex infante vel puero in cadaver tranſiit, infelix dicitur, & contra id felicitati tribuitur, quod totum vitæ ſpatium mente ſana in corpore ſano percurrere potuerimus. Et revera qui corpus habet ut infans vel puer ad pauciſſima aptum & maximè pendens à cauſis externis mentem habet, quæ in ſe ſola conſiderata nihil ferè ſui, nec Dei, nec rerum ſit conſcia; & contrà, qui* Cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

corpus habet ad plurima aptum, mentem habet, quæ in ſe ſola conſiderata multum ſui, & Dei, & rerum ſit conſcia. In hac vita igitur apprime conamur, ut corpus infantiæ in aliud, quantum ejus natura patitur, eique conducit, mutetur, quod ad plurima aptum ſit, quodque ad mentem referatur, quæ ſui, & Dei, & rerum plurimarum ſit conſcia, atque ita ut id omne, quod ad ipſius memoriam vel imaginationem refertur, in reſpectu ad intellectum vix alicujus ſit momenti, ut in Schol. Prop. præcedentis jam dixi. Quæ de variatione continua, cui ſumus obnoxii, dicit, libenter admittimus. Quod autem is, *qui corpus habet ad plurima aptum mentem habeat, quæ in ſe ſola conſiderata multum ſui, & Dei, & rerum ſit conſcia*, id probatum dare oportebat. Saltem explicare clarius debuiſſet, quid per iſtam *aptitudinem Corporis ad plura* intelligat. Nam ſi ita ſimpliciter verba ſumantur, videtur id repugnare experientiæ, quæ ſæpe oſtendit homines corpore admodum robuſto vel etiam maximè agili præditos, qui tamen mente ſunt bardi & inſipientes. Sed ſi laborandum nobis ſit, ut mens perficiatur, idque ita, ut ea, quæ ad memoriam vel imaginationem noſtram referuntur, vix alicujus ſint momenti, mens utique ſic perfecta non deſinet cum corpore, nec tam retinebit id, quod ex ea æternum eſt, ſicut loquitur Prop. 29. (h. e. quod ab æterno habuit per fictitiam iſtam Spinozæ æternitatem, quâ mens concipitur caruiſſe initio,) quàm id, quo à corpore quàm minimum dependet, quod eſt purus intellectus, ſed ſic retinebit, ut ſui ſit conſcia tanquam rei ſingularis ab alia diverſæ, hoc eſt, mens mea erit ſibi conſcia, quod ſit mens mea, tua quod ſit mens tua &c. prout ſuperius oſtendimus, adeoque mens non eſt mortalis, quo tamen principia Spinozæ tendere in prioribus vidimus.

PROP. XL. *Quò unaquæque res plus perfectionis habet, eò magis agit, & minus patitur; & contra, quò magis agit, eò perfectior eſt.*

EX Propoſitione 1. III. apparet, quòd Spinozæ mens dicatur *agere, quatenus habet ideas adæquatas*, hoc eſt, claras & diſtinctas; pati verò dicatur, *quatenus habet ideas inadæquatas.* Atque hoc ſenſu ſi intelligamus præſentem Propoſitionem, poſſumus eam admittere.

Sed demonſtratio Spinozæ adducit axioma 6. p. II. quod nullum eſt,

& Prop. 3. p. III. tanquam fundamentum, quod falſum declaravimus.

Corollarium. *Hinc ſequitur, partem mentis, quæ remanet, quantacunque ea ſit, perfectiorem eſſe reliqua.* Mentis pars propriè loquendo nulla dari poteſt, ſed ſi per partem Mentis intelligatur modus ille mentis, quo pure intelligit, & nihil niſi claras & diſtinctas habet ideas, poſſumus iſtud Corollarium admittere.

Demonſtratio tamen Spinozæ nititur fragilibus fundamentis, qualia ſunt, Prop. 29. V. Prop. 3. III.

In Scholio dicit: *Ex his & ſimul ex Prop. 21. p. I. & aliis apparere, quòd mens noſtra, quatenus intelligit, æternus cogitandi modus ſit, qui ab alio æterno cogitandi modo determinatur, & hic iterum ab alio, & ſic in infinitum; ita ut omnes ſimul Dei æternum & infinitum intellectum conſtituant.* Verum enim verò & Prop. 21. I. & multa alia, quæ antea à Spinoza dicta ſunt, falſa fuerunt deprehenſa, unde quale ſit præſens Scholium facile poteſt agnoſci. Quòd *mens noſtra ſit æternus cogitandi modus* falſiſſimum eſt; & illa determinatio unius ab alio in infinitum nihil ſonat, quod intelligi queat; & infinitus atque æternus Dei intellectus non poteſt intelligi ſic eſſe compoſitus ex infinitis cogitandi modis, unde hæc pro ſomniis haberi debent.

PROP. XLI. *Quamvis neſciremus, mentem noſtram æternam eſſe, Pietatem tamen, & Religionem, & abſolutè omnia, quæ ad Animoſitatem & Generoſitatem referri oſtendimus in quartâ parte, prima haberemus.*

HAnc Propoſitionem non poſſumus pro verâ admittere; nec enim poteſt intelligi, quomodo homo, qui neſcit, mentem ſuam eſſe immortalem, non poſſit à Pietate & Religione amoveri per minas & cruciatus tyrannorum, & quomodo, ſi ſuum utile quærat, & mentem cum corpore perire exiſtimet, non, ſit exiſtimaturus commodis hujus vitæ omnia alia eſſe poſtponenda. Quin imò ſtatuimus, qui non alio modo credit, mentem ſuam eſſe æternam ſive immortalem, quàm id à Spinozâ fuit explicatum, in quâ nihil remanet propter quod amplius *ſua* queat appellari, ſicut id à Spinozâ intelligitur, omnia, adeoque Pietatem & Religionem, ſi ea coli nequeat, retentis hujus vitæ commodis, ſit poſtpoſiturus iſtis vitæ commodis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Demonſtratio verò Spinozæ prodit hujus Propoſitionis falſitatem. Nititur enim tota hoc axiomate : *Primum & unicum Virtutis ſeu rectè vivendi rationis fundamentum eſt ſuum utile quærere*, quod ad Coroll. Prop. 24. IV. ad quæ provocat, evertimus. Quod autem adjungit : *Quamvis* in IV. Parte *ignoraverimus, mentem eſſe æternam, illa tamen, quæ ad Animoſitatem & Generoſitatem referri oſtendimus, prima habuiſſe; atque adeo, quamvis etiam nunc hoc ipſum ignoraremus, eadem tamen rationis præſcripta prima eſſe habituros*, id non prorſus ſic ſe habere, ſi repetamus illa priora, facilè intelligemus. Vidimus, quòd in Scholio II. Prop. XXXVII. nullum agnoſcat peccatum, nullum injuſtum, niſi cum legibus civilibus pugnet. Sic ergo, ſi tyrannus lege civili jubeat veram Religionem & Pietatem abnegare, illa erit abneganda, quin imò ſi eam non abnegaremus juxta iſta egregia Philoſophemata peccatum & injuſtitiam committeremus. Quid verò, ſi quis didicerit ex Spinozæ Coroll. Prop. 65. IV. *Malum minus pro majore bono ex rationis ductu ſequendum, & bonum minus, quod cauſa eſt minoris mali, eſſe negligendum*, an non is colliget, abnegare religionem & pietatem, ſi quis à tyranno adigatur, eſſe malum minus, majus verò bonum eſſe præſentem vitam cum ſuis commodis, adeoque an non abnegabit Religionem & Pietatem, ut vitam & ejus commoda conſervet? Quo tandem tendunt illa, quæ Spinoza tradit in Scholio Prop. 73. IV. *quod* nimirum *Vir fortis quicquid moleſtum & malum eſſe cogitat, & quicquid præterea impium, horrendum, injuſtum & turpe videtur, ex eo oriatur, quòd res ipſas perturbatè mutilatè & confuſè concipit*, quàm ut, ſi illi videatur, impium, horrendum, injuſtum & turpe eſſe, abnegare veram Religionem & Pietatem, id ortum inde eſſe cenſeat, quod res iſtas perturbatè, mutilatè & confuſè conceperit, atque adeò non detrectet hîc religionem inflectere & accommodare ad vitæ ſuæ commoda?

Pergamus ad Scholium. In eo taxat vulgum, quòd *plerique videntur credere, ſe eâtemus liberos eſſe, quatenus libidini parere licet, & eatenus de ſuo jure cedere, quatenus ex legis divinæ præſcripto vivere tenetur. Quod propterea Pietatem & Religionem & abſolutè omnia, quæ ad animi fortitudinem referuntur, onera eſſe credant, quæ poſt mortem deponere & pretium ſervitutis, nempe Pietatis & Religionis, accipere ſperent; nec hac ſpe ſola, ſed etiam, & præcipuè metu ne diris ſcilicet ſuppliciis, poſt mortem puniantur, inducantur, ut ex legis divinæ præſcripto, quantum eorum*

fert tenuitas & impotens animus, vivant; & niſi hæc ſpes & metus hominibus ineſſent; at contra ſi crederent, mentes cum corpore interire, nec reſtare miſeris Pietatis onere confectis, vivere longius, ad ingenium redirent, & ex libidine omnia moderari, & fortunæ potius, quàm ſibi parere vellent. Hujus cenſuræ ſuæ rationem affert: *Quæ mihi*, inquit, *non minus abſurda videntur, quàm ſi quis propterea, quod non credit, ſe poſſe bonis alimentis corpus in æternum nutrire, venenis potius & lethiferis ſe exſaturare vellet; vel quia videt, mentem non eſſe æternam, ſeu immortalem, ideo amens vult eſſe, & ſine ratione vivere: Quæ adeo abſurda ſunt, ut vix recenſeri mereantur.* At nos equidem non negamus, hanc mentem eſſe multorum hominum, atque multos tales dari mercenarios, qui non tam Deum, quàm ſe quærunt, dum Pietati & Religioni vacare ſtudent. Sic olim tempore Phariſæorum maximam partem hominum Judæorum fuiſſe non negamus, quorum ſtudium erat propriam Juſtitiam erigere, & ſic eo nomine à Deo tanquam debitore ſuo mercedem vitæ æternæ poſtulare. Sed tamen propterea non jus erat Sadducæis in omnia alia abire, & vitam meliorem poſt hanc vitam negare, ſicut nec hodie propterea jus datum fuit Spinozæ, ſimilia dogmata introducere, quale eſt de, neſcio qua, æternitate mentis humanæ, quæ & initio & fine careat, quæ tamen mens nihil habeat eorum, quare mea, tua, alterius dici poſſit, ſed ſit inane cerebri humani figmentum. Scriptura & Ratio hæc duo conjungit, non ſeparat, ut nimirum Deum quæramus propter ipſum, non propter noſtra commoda, & tamen, dum ſic quærimus Deum, in ipſo reperiamus noſtrum ſummum bonum, cùm Deus velit in nobis tanquam Miſeriors & Gratioſus glorificari. An tamen hæc reprehenſio vulgi quadret homini talia docenti, ex cujus principiis ſimiles vulgi ſequuntur ſententiæ, prout paulo ante oſtendimus, id æquis rerum judicibus relinquimus æſtimandum.

PROP. XLII. *Beatitudo non eſt virtutis præmium, ſed ipſa virtus; nec eâdem gaudemus, quia libidines coërcemus, ſed contrà, quia eâdem gaudemus, ideo libidines coërcere poſſumus.*

Fit hîc oppoſitio inter ea, quæ revera non ſunt oppoſita, ſed potius coordinata & conjuncta inter ſe invicem. Virtus equidem ſibi ipſa eſt præmium, ſed tamen virtus etiam eſſe non poteſt, ſi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

non habeat conjunctam acquieſcentiam animi, in qua Beatitudo conſiſtit. Quoniam autem in hac vita virtus non eſt perfecta, ideo etiam acquieſcentia animi in hac vita perfecta eſſe non poteſt. Sic quoque quia gaudemus virtute & beatitudine, ideo libidines coërcere poſſumus, & tamen vice verſa, quia libidines coërcere poſſumus, gaudumes beatitudine & virtute. Non enim poſſumus libidines aliter coërcere, quàm per virtutem, hoc eſt, per conſtantem voluntatem faciendi ea, quæ ratio ſuaſerit.

Demonſtratio Spinozæ ſimilis eſt pluribus aliis, quas paſſim ſolet adducere hic homo. Prima pars nititur Prop. 36. hujus & ejus Schol. Coroll. Prop. 32. hujus, item Prop. 59. & 3. III. ut & Defin. 8. IV. quæ omnia principia falſa eſſe ex antea dictis ſatis ſuperque poteſt patere.

Altera pars unum tantum continet principium verum, nempe Coroll. Prop. 3. V. reliqua, Prop. nempe 32. & 38. V. falſa ſunt; unde totam hanc demonſtrationem collabi eſt neceſſe.

Concludit totum hunc ſuum Tractatum Scholio, quod huic propoſitioni annectit. Dicit, *ex his apparere, quantum Sapiens polleat, potiorque ſit ignaro, qui ſola libidine agitur. Ignarum enim, præterquam à cauſis externis multis modis agitari, nec unquam vera animi acquieſcentia potiri, vivere præterea ſui, & Dei, & rerum quaſi inſcium*, (quæ ſic generatim prolata pro veris poſſumus agnoſcere, non tamen illud quod ſubjungit) *& ſimulac pati deſinit, ſimul etiam eſſe deſinere.* Nam per illud pati hîc intelligit eſſe obnoxium affectibus, ſive animi paſſionibus. Falſum autem eſt mentem eſſe deſinere, quando deſinit affectibus agitari: ſecus enim homo, quando per rationis ductum eò deducitur, ut deſinat affectibus agitari, hoc eſt, quando ſapiens fit, eſſe deſineret. Dum enim deſinit affectibus agitari, eo ipſo virtutis actiones edit, etiam ex mente Spinozæ, quia virtutem ſequi vel, prout ipſe loquitur, ratione duci eſt optimum contra paſſiones remedium. Videtur autem iſtud Spinozæ ratiocinium in eo fundari, quòd mens, quatenus paſſione ducitur, patiatur, quatenus autem habet adæquatas, ut ipſe loquitur, ideas, eatenus agat; hominem autem inſipientem negat habere ideas adæquatas, hoc eſt, claras & diſtinctas, unde putat, ubi deſierint ideæ inadæquatæ, quas derivat à paſſionibus animi, & à conjunctione cum corpore eatenus ipſum deſinere eſſe. Sic ſolatium magnum habebit inſipiens, quod, ubi

ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſe voluptatibus hujus mundi exſatiaverit, deſinat eſſe, nihilque ſui amplius ſuperſit, ubi vinculum inter animam & corpus per mortem fuerit ſolutum. Quidni ergo dicat: Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas? Verùm enim verò falſum eſt, hominem inſipientem nullas planè habere ideas claras & diſtinctas; habet enim ideam ſuæ mentis, habet ideam Dei, habet ideam corporis, habet ideas multas rerum aliarum, Mathematicarum v. gr., habet ideam vel conſcientiam ſuarum cogitationum & quæ ſunt aliæ. Dum ergo vinculum inter animam & corpus ſolvitur, & deſinunt ideæ illæ confuſæ, quæ ex illa conjunctione animæ cum corpore habent ortum, quæ ideis illis aliis quaſi glaucoma quoddam obduxerant, evigilat conſcientia, quæ facta in hâc vitâ commemorat, idea Dei clareſcit, quæ Deum ut Omniſcium, Omnipotentem & malorum Vindicem repræſentat, ſicque morſu conſcientiæ talis anima perpetuò agitatur. De Sapiente porrò dicit Spinoza: *Cùm contra Sapiens, quatenus ut talis conſideratur, vix animo movetur; ſed ſui, & Dei, & rerum æterna quadam neceſſitate conſcius nunquam eſſe deſinit; ſed ſemper vera animi acquieſcentia potitur.* Quâ de re quid cenſeamus ex ſupra dictis abunde patere poteſt. Nempe Sapiens Spinozæ poſt mortem quaſi evaneſcit, nihil ſui retinet, manet mens, ſed quæ etiam ante conjunctionem cum corpore ab æterno fuit, modus neſcio quis divinæ & infinitæ eſſentiæ, quæ nullam habet conſcientiam eorum, quæ in ſe fuerunt ante conjunctionem cum corpore, nec ullam eorum retinet, quæ in ſe fuerunt, dum conjuncta fuit cum corpore, adeoque nihil habet, quare mea, tua, alterius mens dici poſſit; unde non patet, quare non debeat dici æquè deſinere eſſe, ac deſinit eſſe mens hominis inſipientis. Tandem *viam Virtutis perarduam eſſe* fatemur cum Spinoza, ſed ab eo illam inventam negamus, cujus rei rationes peti poſſunt ex dictis.

COM-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

COMMENTARIUS
DE
DEO,
Ejuſque Natura & Eſſentia.

Adſis ò Deus, ut digna te mediter!

§. I. DEi naturam & eſſentiam indagaturis cogitandum non eſt de methodo aliqua artificioſa, qualem eſſe ſyntheticam priori parte obſervavimus, conſtantem quibuſdam definitionibus axiomatibus & poſtulatis gratis aliquando aſſumtis, quâ infeliciter uſum Spinozam fuiſſe priori vidimus hujus Commentarii parte; ſed inchoandum à principiis ſimpliciſſimis naturâ notis, iiſque conclusiones aliæ poſt alias ſuperſtruendæ, ut nihil interveniat, quod non ſatis evidenter ſit cognitum, ſicque nulla intercedat lacuna eorum quæ diſtinctè non intellecta, nec ædificium totum aliquando commoveatur & collabaſcat. Reſumamus ergo ea, quæ feliciter jacta ſunt à Carteſio in Meditationibus humanæ cognitionis fundamenta, hiſque ſuperſtruentes videamus, quouſque poſſimus mentem noſtram clara & diſtincta Dei cognitione implere. Scilicet dum deprehendi me cogitantem exiſtere, deprehendi me dubitantem, pauca ſcientem, impotentem ad obtinendum ea, quæ deſidero, ac propterea imperfectum & aliunde dependentem. Quæ dum cogito obverſatur mihi idea entis omniſcii, omnipotentis, ſummè perfecti & independentis, ad quam iſtas meas imperfectiones examino,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſicque illas ut imperfectiones in me deprehendo. Atque dum independens illud ens dico & agnoſco, non tantùm nego, illud ens aliunde dependere, ſed ſimul affirmo, me ab illo, & ſi quid aliud eſt extra ipſum reale, dependere, atque adeo omnia, quæ habeo, me ab ipſo habere & porro habiturum, ſi quid ſim habiturus; ipſum verò & ſibi ipſi & omnibus aliis abunde ſufficere. Non enim hæc, quæ à mea voluntate & notitiâ non dependere ſatis mihi conſcius ſum, (majora aliàs mihi daturus, cùm majora cognoſcam) aliunde, quàm ab illo ente, habere me poſſe, res ipſa loquitur.

§. II. Sic negando de me quædam, quæ non habeo, quorum tamen eo ipſo, dum à me removeo, me habere ideam experior, alia verò quæ in me reverâ deprehendo, referendo ad alium tanquam Originis meæ auctorem, in quo omne, quod reale eſt, manifeſtè deprehendo & longè plura, quàm ego unquam cogitando aſſequi poſſum, me decantatâ illâ triplici viâ, Negationis, Cauſalitatis & Eminentiæ, ſentio uſum, dum initium feci in illius ſummi & perfectiſſimi entis cognitione; quæ tamen omnis via ſemper ſupponit & involvit, me hujus entis habere aliquam ideam, quæ mihi tanquam dux in iſtâ triplici viâ emetiendâ inſervit. Dum autem viâ negationis ſum uſus, non tàm negavi de Deo imperfectiones, quas ego in me deprehendo, quàm de me negavi perfectiones, quas mihi deeſſe animadverti, ſecus quàm vulgo à Scholaſticis fieri ſolet, qui etiam fatentur, ſe ſuâ via procedendo non tam intelligere, quid Deus ſit, quàm, quid Deus non ſit, ſic explicare; quod parum ad rei iſtius, quam inquiro, notitiam facere, res ipſa videtur loqui. Et ſic ſimul, dum limites certos & determinatos in me inveni, obſervavi cauſam iſtorum limitum, adeoque & realitatis limitatæ, quam in me deprehendo, eſſe ens aliquod illimitatum & infinitum, cùm fines meæ perfectionis, hoc eſt, negationem ſummæ & infinitæ perfectionis, non poſſem concipere vel cogitare, ſi non idea entis alicujus infiniti mihi obverſaretur. Tollo ſic intellectu negationem, tollo limites, quos in me deprehendo, eo ipſo, quo, dum de me nego, affirmativum conceptum & poſitivum de ente illimitato, hoc eſt, ſummè perfecto, formo.

§. III. Atque ita viâ Cauſalitatis, quæ viæ negationis fuit implicata, deprehendi, illud ens illimitatum, & infinitum mihi dediſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

omnes illas perfectiones, quas habeo, cùm ab ipſo illi limites, quos deprehendi, meis perfectionibus ſint præfixi. Sed via Eminentiæ me detinet, quòd in bivium abire & diffindi illa videatur. Hæreo hîc & conſiſto anceps animi, neſcius quo tendam; an ſtatuere debeam, nihil eorum, quæ in me deprehendo, in Deo eſſe, nihil ſimilitudinis inter me & ipſum intercedere; an verò debeam aſſerere, illam ejus ſupereminentem & omnes limites excedentem perfectionem tenuem tamen aliquam inter me & ipſum relinquere ſimilitudinem & convenientiam. Ad prius me movet metus, ne Deo aliquid ſimile mei tribuendo ideam illam, quam habeo de Deo, in idolum aliquod mei cerebri convertam, ſicque cogitationes meæ antecedentes non in Deo infinito, ſed in merè nihilo ſeu figmento meæ mentis terminentur. Nulla enim proportio aut analogia inter finitum & infinitum ſine extremâ contradictione videtur poni poſſe; &, ſi aliquam inter me & Deum convenientiam & ſimilitudinem, quamvìs tenuiſſimam agnoſcam, non videbor Deum concipere tanquam infinitum, ſuperantem & excedentem omne id, quod eſt finitum, quodque finiri poteſt; cùm in eo, in quo cùm finito convenit, illud non ſuperet & excedat. Quem verò ſic formabo poſitivum & realem de Deo, ente illo infinito & ſummo, conceptum? An dicam, me ejuſmodi poſitivo conceptu non indigere & ſufficere, ut dicam, quid Deus non ſit, neque neceſſe eſſe, ut etiam quid ſit ille determinem? At jam in antecedentibus non tantùm aliquid, ſed revera omne poſitivum illi aſſignavi, hoc eſt, omnes perfectiones, quando obſervavi, non *infinitatem* inferre negationem, ſed *fines* negationem implicare, infinitatem verò conceptum planè affirmativum & poſitivum deſignare.

§. IV. Sed duo in rebus creatis deprehendo poſitiva, rem extenſam in longum, latum & profundum, aliam verò rem cogitantem variis diverſis modis ſibi invicem ſuccedentibus, eamque rem ſic perpetuo variantibus; an Deum forte dicam intermedium inter rem extenſam & cogitantem, qui cauſa quidem ſit omnis extenſionis & cogitationis, nec tamen ipſe vel extenſionem habeat vel cogitationem. Sed non datur hujus fictitii intermedii ullus clarus & diſtinctus conceptus; quomodo ergo aſſeram, Deum tale quid eſſe, quod ipſe quid ſit planè ignoro? Quid verò metuo, ne indignum quid cogitem Dei infinitate, ſi communem aliquam ſimilitudinem inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

rem finitam & infinitam agnoſcam? An non eo ipſo, dum infinitum dico & me infinita ratione ſuperantem aſſero, ſuppono, aliquam inter me finitum & ipſum infinitum eſſe convenientiam? Qui gigantem nano majorem dicit, ſupponit magnitudinem communem utrique, & præter eam, ulteriorem quandam in gigante, in qua nanum excedit. Sic qui extenſionem infinitam cum finita comparat, utrique extenſionem tribuit communem, in qua adæquantur, & præter hanc aliam quandam extenſo infinito attribuit, qua undique extenſum finitum ſuperat & excedit. Ita & dum meum *eſſe*, ſive meam perfectionem, meam voluntatem, meum intellectum in aliquo terminari deprehendi, ſicque formavi ideam finiti *eſſe*, ſive finitæ perfectionis, limitatæ voluntatis, limitati intellectus, ultraque ea, *eſſe* infinitum, perfectionem infinitam, voluntatem infinitam & intellectum infinitum cogitavi, eo ipſo & *eſſe*, & perfectionem & *voluntatem* & *intellectum* in me & in illo infinito ente deprehendi. Sic verò ſimul deprehendo, me, dum hæc omnia Deo aſſigno, non idolum aliquod mentis meæ fingere, ſed revera Deo tribuere id, quod ei nullo jure poteſt denegari. Neque tamen propterea ponetur aliqua inter finitum & infinitum proportio vel analogia, niſi per analogiam iſtam intelligas ſimplicem convenientiam & ſimilitudinem, de quâ jam fuit dictum, quamque non eſſe abſurdam, mox fuit demonſtratum. Proportio inter ea intercedit, quæ communi aliquâ menſurâ queunt menſurari; ita inter nanum & gigantem proportio quædam invenitur: At nulla inter extenſionem finitam & infinitam, quia quotieſcunque extenſionem illi finitæ æqualem applicueris infinitæ, ſemper infinitum reſtabit de eâ ſumendum. Ita quoque, quamvis Deus nobiſcum conveniat in τῷ *eſſe*, *velle & intelligere*, nulla tamen inter nos & Deum propterea erit proportio, quia etſi illud *eſſe* meum, ſive meas perfectiones ſupponam augeri, voluntatem item meam plura efficere atque antea, intellectum meum ad plura objecta ſe extendere, nunquam tamen hâc ratione aſſequar *eſſe* infinitum, voluntatem & intellectum planè infinitum, nullamque ſic experior eſſe communem meæ eſſentiæ, intellectui & voluntati, atque Dei eſſentiæ, intellectui & voluntati menſuram; &, ſi quoddam ens me majus concipiam, majores habens perfectiones, majorem efficaciam voluntatis, & ad plura ſe extendentem intellectum, quamdiu illud finitum ſuppono, nunquam poterit appli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

plicari tanquam menſura quædam, quâ Deus infinitus & ego finitus unquam adæquemur.

§. V. Sed nondum me video expeditum ex illis difficultatibus, in quas me antea deprehendi conjectum. Duo genera rerum creatarum deprehendi, res nimirum cogitantes, hoc eſt, intelligentes & volentes, & res extenſas. Obſervavi, ipſius infinitatem non obſtare, quò minus mecum quodammodo conveniat in intellectu & voluntate, quidni dicamus, eandem infinitatem non impedire, quò minus cum rebus extenſis, in extenſione conveniat & commenſuretur, atque ita eum ut rem infinite extenſam concipiamus? Revoco tamen mihi in memoriam, ex iis, quæ de Deo mecum comparato cognovi, commune quidem ſupponi Eſſe, Intelligere & Velle, non verò *extenſum eſſe*. Dum enim me ſpectavi tantùm ut rem cogitantem, illud omne, eſſe nempe, intelligere & velle in me & in Deo deprehendi, ſed non idem dici poteſt de extenſione; non enim deprehendi, me eſſe extenſum, ſed tantùm cogitantem; & ſi quædam extenſio, ſive, corpus aliquod ſit mihi arctè admodum conjunctum, non tamen illud ipſum ad me pertinet, quâtenus ſum res cogitans, neque ad illud mei, quod me jam eſſe deprehendi. Non ergo id, quod eſt cogitans, poteſt ſimul eſſe extenſum: diſtinguuntur enim planè *naturâ*, adeò ut, ſi quis dicere velit, *cogitare*, & *extenſum eſſe*, unum eſſe naturâ & eſſentiâ, dicat, eundem conceptum nos formare de cogitatione ac de extenſione, atque ita res cogitans erit res extenſa & vice verſâ, cùm tamen eo ipſo, quo præter illud *cogitare* etiam *extenſum* velit Deum, hæc duo inter ſe invicem apertè diſtinxerit. Non ergo poteſt res cogitans eſſe extenſa, ſicut lignum non poteſt eſſe ferrum, imò multò minus, cùm lignum & ferrum in communi materia, h. e. in extenſione inter ſe invicem conveniant.

§. VI. Sic igitur Deum cognovimus tanquam Eſſe, Intelligere & Velle, quod quomodo à noſtro *eſſe* intelligere & velle diſcernatur, nunc nobis eſt videndum. *Eſſe* illud deprehendimus in nobis quidem ex eo, quòd cogitamus, ſed cùm in ipſâ illâ cogitatione noſtrâ limites invenerimus multos, *eſſe* illud planè finitum & reſtrictum animadvertimus. Simul obſervavimus, illud eſſe noſtrum continuò aliunde dependere, neque ex eo, quod nunc ſumus, ſequi, etiam nos poſtea futuros; unde colligimus, nos quovis momento fieri

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quaſi de novo ab illo ente, à quo ſemel ſumus facti. Ita verò *eſſe* noſtrum ſemper eſt in fieri, noſque oppoſitè ad Deum poſſumus potius dici *ſemper fieri*, Deum verò *ſemper eſſe* & *ſimpliciter eſſe* dicemus. Sic in Deo nihil concipiemus niſi *eſſe*, ſic omne *non eſſe* ab ipſo excludemus, omnem imperfectionem removebimus, nihil ipſi aſſignabimus niſi id, quod ſit ſimpliciter eſſe, & quod ſit mera realitas, mera perfectio, nihil quod quamcunque imperfectionem habeat implicitam aut intermixtam. Sic Deo competit ex ſe τὸ eſſe, eſt Deus reale quid planè, eſt ipſa realitas; creatura verò non ex ſe habens eſſe, ſed aliunde illud perpetuo accipiens, ſemper eſt in fieri, quandocunque illa *eſt*.

§. VII. Verum enim verò, quando tantùm in Deo cognoſcimus τὸ eſſe ſimpliciter, nondum plenum ſatis & diſtinctum habemus de ipſo conceptum; Sic cognoſcimus Deum eſſe ſubſtantiam ſummam, quæ nullâ aliâ re abſolutè loquendo ad ſubſiſtendum indiget, nec tanquam ſubjecto cui inſit, nec tanquam cauſâ, à quâ efficiatur. Sed hoc ſolum, quòd cognoſcamus, Deum eſſe ſubſtantiam, nos non afficit, debeo enim ſubſtantiam cognoſcere ex aliquo ejus attributo. Vidimus autem ſuperius, Deo non minus competere Intelligere & Velle ac Eſſe; illud igitur Eſſe in velle & intelligere ſitum eſſe ponere debemus; cùm enim in Deo nihil aliud ſit quàm Eſſe ſimpliciter, illud ergo Intelligere & Velle, quod eſt in Deo, ad Eſſe iſtud pertinet. Tale idcirco erit iſtud Intelligere & Velle, ut nihil in eo concipere debeamus, quod vel minimum non eſſe, vel minimum imperfectionis in ſe involvat. Erit igitur Deus, Intellectus Infinitus, erit voluntas Infinita; erit Intellectus ſummè perfectus, erit Voluntas ſummè perfecta. Intelligere igitur iſtud & Velle, eſt planè infinitum intelligere, & eſt Velle omne, ſicut etiam Eſſe omne & Eſſe ſimpliciter in ipſo antea deprehendimus. Videbo quid in me ſit Intelligere & velle ut id, in quo nulla eſt imperfectio, etiam in Deo obſervem. Nos volumus noſmet ipſos, h. e. amamus nos, delectamur nobis ipſis, nullam habemus ideam de nobis aliunde communicatam, ſed quam habemus, habemus ex nobis ipſis, dum cogitamus, quia non poſſumus non cogitationis noſtræ eſſe conſcii; De aliis rebus, quam habemus ideam, non habemus ex nobis ipſis; ſed aliunde conceſſam & certo modo determinatam. Quidni quoque Deus habeat infinitam talem ſui ipſius ideam, eo ipſo, quo eſt res cogitans infinita? Quidni quoque Deus velit ſemetipſum?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

§. VIII. Sic ſatis convenit inter Deum & hominem hâc in parte. Sed quomodo Deus ideas habeat de aliis rebus quæri poteſt? Non enim poteſt habere aliunde, ſicut nos, cùm non Deus à rebus, ſed res dependeant à Deo. Nos aliunde accepimus ideas, neque habere poſſumus alias ideas, quàm dependentes à rebus, ac propterea iis convenientes. At Deus debet habere ideas rerum ex ſemetipſo. Quæritur, an eas habeat ex intellectu ſuo, an ex voluntate? Per Voluntatem intelligimus id quo judicat, i. e. quo affirmat vel negat; Dein etiam id, quo probat vel averſatur. Non poteſt Deus judicare, non poteſt affirmare, corpus eſſe extenſum, mentem eſſe cogitantem, triangulum eſſe figuram tribus lateribus comprehenſam, niſi hoc intelligat: Ergo prius concipiendus eſt à nobis divinus intellectus, quo intelligit corpus, mentem, triangulum, non poteſt Deus etiam probare vel improbare id, quod non cognoſcit, non intelligit. Ergo etiam hujus volitionis reſpectu præcedit intellectus. At quomodo intelligit res iſtas? Dubitari non poteſt, quin eas intelligat per ideas, quas non habet aliunde, uti ſe res habet ratione idearum humanarum, ſed ipſemet format ſuo intellectu & ſimul conſtituit omnium rerum eſſentias. Sed unde format intellectus iſtas ideas de rebus aliis? Non poteſt dici aliunde formare, quàm ex ſemetipſo, quia aliunde ſumere eas nequit. Et quamvìs intelligi non poſſit, *quomodo* idea trianguli, extenſionis, mentis &c. cohæreat cum intellectu divino, non tamen hæc ſufficiens eſt cauſa negandi, *quòd* ex intellectu divino non habeant ortum, non trahant originem, cùm ſatis ex dictis liqueat & demonſtratum ſit, ab intellectu divino eas dependere & ab illo formari. Nec verò magis intelliges iſtum nexum, ſi dicas, Deum formare ideas rerum per voluntatem ſuam; Debet enim nihilominus illas formare ex ſemet ipſo, nec illa formatio idearum ex ſemetipſo majorem habet connexionem cum voluntate divinâ, quàm cum divino intellectu, cùm è contrario ideæ magis videantur convenire cum intellectu, cujus ſunt proprium objectum, quàm cum voluntate, cujus objectum ſunt rerum veritas & bonitas. Intellectûs eſt percipere, an verò percipiendo paſſivè an activè ſe habeat, id ex ejus infinitate vel finitudine eſt derivandum. Humanus Intellectus, quia finitus eſt, paſſivè tantùm ſe habet, dum res percipit; At Intellectus divinus quia eſt Infinitus & Independens activè ut ſe habeat, oportet, dum ideas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

format. Quòd ſi putes, nullam connexionem eſſe inter Dei intellectum infinitum & ideam trianguli, vermis &c. quia nulla intercedit ſimilitudo, dicam ſimiliter, nec connexionem eſſe inter Dei voluntatem infinitam & iſtam ideam propter eandem rationem. Falleris verò, ſi putes connexionem tantùm intercedere inter ſimilia, non inter diſſimilia; Inde enim ſequeretur, nullam quoque connexionem intercedere inter Dei voluntatem & ideas, quod tu tamen ſupponis. Sic etiam ſequeretur, nullam planè intercedere connexionem inter Deum & creaturas, quia diſſimiles ſunt Deo, qua ratione ne quidem à Deo dependerent, atque adeò creaturæ non eſſent. Deus facit illam connexionem, quæ ſine Deo nulla foret, neque major eſt ratio, quare potius illam formet per voluntatem, quàm per intellectum. Deum intelligendo ſemet ipſum infinita & ſummè perfecta intellectione, intelligit etiam in ſemetipſo omnes res alias à ſe diverſas, quæcunque ſunt aut eſſe poſſunt. Sic objectum illud, dum ſic eſt in Deo à ſemetipſo intellecto, prius concipitur Dei illa intellectione, quâ iſtud objectum intelligitur, quod ad intellectionis naturam videtur requiri, ut objectum iſta intellectione ſit prius. Ita verò ubi concepimus, Deum intellexiſſe ſemetipſum, concipere quoque debemus in Deo, ſic infinita intellectione intellecto, reperiri res omnes, atque Deum ſic ex ſemetipſo omnium aliarum rerum ideas formare, quæ eatenus dependent ab ipſius intellectu, quatenus dependent à ſemet intellecto; quod non poſſumus aliter intelligere, quàm quòd Deus æquivaleat ſua infinita perfectione omnibus rebus, quæcunque ſunt aut eſſe poſſunt, imò ſic omnes res infinito ſuperet intervallo. Ita autem à poſteriori id tantùm colligimus, nec puto ultra hîc nos progredi poſſe. Ut enim dicatur, Deum propterea intelligere res in ſemetipſo, quòd intelligat, quomodo ipſe ſit imitabilis creaturis, id abſurdum admodum videtur: An ergo Deus eſt imitabilis à verme, à ſerpente, à re extenſa, à lapide, à triangulo, à circulo &c. quorum omnium ideas Deus format. Eſt hæc ſententia valdè confuſa, eaque Deum proponit ad modum excellentiſſimæ alicujus imaginis ſummi artificis, cujus quidem varias partes poſſint imitari aliæ imagines, non tamen omnes ſimul & ſemel. Non enim poteſt intelligi, quomodo Deum infinitum, qui nihil eſt aliud, quàm Eſſe ſimpliciter & infinitum Intelligere & Velle,

poſ-

poſſint imitari creaturæ finitæ etiam illæ, inter quas & Deum vix ulla intercedit ſimilitudo. Nullam nos intelligimus connexionem inter Deum & res alias, niſi quam ipſe faciat Deus; &, cùm nos infinitum Deum non capiamus, mirum etiam videri non debet, quòd non capiamus, quomodo ſic omnes res ſint in Deo, adeoque, quomodo Deus intelligendo ſemetipſum perfectiſſimo & infinito modo, etiam ſic omnia intelligat in ſemetipſo.

§. IX. Tentemus tamen, num non aliquanto propius poſſimus accedere. Deus intelligendo ſemetipſum ſe intelligit ut infinitum perfectione, juxta dicta. Dum verò ego me ipſum ut finitum intellexi, non potui formare ideam mei ut finiti, niſi comparatione inſtituta cum ente ſummè perfecto, cum ente perfectionis infinitæ. Quidni dicam, dum Deus ſemetipſum ut infinitum *Eſſe*, *Intelligere & Velle* intelligit, Deum eo ipſo formare ideam finiti eſſe, intelligere & velle. Dum Deus format ideam Summi *Eſſe*, *Intelligere* & *Velle*, non poteſt id à nobis concipi, quin cogitemus, eo ipſo formare ideam *eſſe*, quod ſit minus, *finiti eſſe*, *intellectus & voluntatis*, eamque planè diſtinctam, adeoque ideam ejus quod *tantùm eſt*, quod non intelligit & vult; & quia illud eſſe, quod non intelligit & vult, non poteſt concipi generatim & confuſe à Deo, in quem idea confuſa non cadit, debet aliquid habere reale, quo diſtinguatur ab intellectu & voluntate, Deus autem, dum ſemetipſum intelligit, format ideam ſui ipſius tanquam puriſſimi actus, qui non ſit in potentia, nec aliunde dependeat; ſic eo ipſo etiam format ideam ejus, quod non eſt actus, ſed mera potentia, planè aliunde dependens, quod ens eſt materia ſive extenſio, ſub quo conceptu *Materia* communiter à Scholaſticis repræſentatur; & quoniam iſtius materiæ ſive extenſionis idea talis eſt, ut non queat aliter formari, quàm ut indefinita, quatenus ultra quoſvis ejus limites ſemper, etiam à nobis finitis, aliqua ulterior extenſio in indefinitum concipitur, non dubitari poteſt, quin etiam Deus eandem ideam formet iſtius extenſionis, quam tamen ipſe, prout eſt infinitus, planè comprehendit, ſicut etiam ſemetipſum infinitum comprehendere eſt dicendus. Sic quoque dum Deus ſemetipſum intelligit tanquam infinitum intellectum & voluntatem, cenſendum eſt, illum eo ipſo quoque formare ideam intellectus finiti & voluntatis finitæ. In illâ autem indefinita extenſione intelligit exiſtentiam non neceſſariam eo ipſo, quo format

ideam non actus ſed meræ potentiæ, plane aliunde, h. e. à ſe, Deo, dependentis, adeoque exiſtentiam merè poſſibilem, intelligit præterea in illa diviſibilitatem, quòdque aliæ atque aliæ partes poſſint in ea conſtitui, atque cum aliis conjungi & ab iis removeri, quodque ſic poſſint eſſe varii motus in ea, variarum particularum inter ſe conjunctarum quies, variæ partium figuræ, quæ ſuas habent varias proprietates &c. quæ omnia ut poſſibilia intelligit, quia ipſam iſtam extenſionem tantùm ex ſe ut poſſibilem intelligit, dum ſe ut purum actum intelligit, juxta ea, quæ antea vidimus. Nec putandum eſt in ipſa illa extenſione indefinita incluſam eſſe potius quietem, quàm motum, cùm ipſa extenſio iſta nihil aliud in ſe contineat, quàm longitudinem latitudinem & profunditatem indefinitam, atque quies non poſſit prius conſiderari, quàm diviſibilitas, & earum motus vel cohæſio cum aliis partibus, cum quibus ſunt conjunctæ, quæ quies appellatur. Sic quoque Deus intellectum & voluntatem finitam intelligens ex eo, quod ſe ipſum ut infinitum intelligere & velle concipit, nullam in iſtis mentibus videt neceſſariam exiſtentiam, ſed poſſibilem tantùm, eaſque mentes infinitis modis variabiles, ſicut materiam ut infinitis modis variabilem concepit. Ita Deus & ſemetipſum & omnia in ſe ipſo, infinita planè & perfectiſſima ratione intelligit, adeoque Deo aſſignanda hujuſmodi intellectus & voluntas, à qua & ego & aliud omne, quod præter me eſt, dependet omni modo.

§. X. Quamdiu enim extenſionem indefinitam, ut & mentes finitas, tantùm conſideramus ut objectum divini intellectus, poſſibilem tantum habent exiſtentiam, non futuram, non neceſſariam. Quantum ergo attinet ad materiam, Deus ab æterno voluit, ut ea diſtingueretur in tot diverſa corpora, quot in univerſo reperiuntur, & poſtquam ſemel plurima corpora creatione formaſſet, voluit, ut alia poſt alia certis quibuſdam legibus naturæ & certo quodam ordine orirentur, quem nunc in rerum natura videmus. Voluit etiam Deus, ut eſſent variæ mentes finitæ intelligentes & volentes, eæque vel cum corpore, quale humanum eſt, eo modo conjunctæ, quem nos in nobis experimur, vel à corpore liberæ, atque has mentes, inprimis humanas, certo etiam quodam ordine & modo & inter ſe, & cum aliis corporibus conjunxit. Et ſanè quòd in Deo ſit voluntas, vel ex eo intelligimus, quòd ipſum Velle ſit perfectio abſolute &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſimpliciter talis, quippe quæ nullam importat imperfectionem. Deo enim, cui ſimpliciter Eſſe competit, etiam hoc eſſe neceſſariò eſt aſſignandum, quod *Velle* importat. Præterea, dum à Deo omnia dependere cogito, non poſſum non ei aſſignare actionem, in qua iſta dependentia fundatur. Atqui hæc actio nihil aliud eſſe poteſt, quàm Efficax ipſius Voluntas, quæ propterea Deo neceſſariò eſt aſſignanda. Nec verò tantoperè differt in Deo Intellectus & Voluntas, quantum differt in creaturis: Poſſumus enim quædam intelligere, quæ non volumus, & è contrario volumus quædam, quod quidem fit perperam, quæ non intelligimus. At in Deo hîc ſumma eſt Intellectûs & Voluntatis identitas concipienda, juxta dicta, neque quicquam ille vult, quin eo ipſo, quo id vult, ſimul quoque intelligat. Id etiam, quod intelligit, eo ipſo eſt aliquid reale, quia ſuo intellectu, ut ſupra vidimus, format rerum eſſentias; vult ergo illud ipſum. Adde, quòd in quavis clarâ idea contineatur affirmatio ejus, quod in illa reperitur, etiam in ipſis creaturis, uti prima Parte fuit obſervatum: At dubitari nequit, quin Idea, quam Deus habet de rebus, ſit longe clariſſima.

XI. Atque ex dictis jam porrò elicimus, quòd, cùm intelligere & velle in Deo ſummo modo identificentur, unus idemque planè actus fuerit Dei intelligere & velle; &, ſi Dei Voluntas & Intellectus ſit ſimpliciter eſſe, non poteſt, ut in hominibus, una volitio alteri ſuccedere; quæ enim volitio poſtea in Deo oriretur in ipſo non fuiſſet, adeoque in Deo fuiſſet aliquod *non eſſe*; atque ita non poſſet dici, ipſius naturam in *eſſe ſimpliciter* conſiſtere. Præterea, quòd in creaturis alii actus aliis ſuccedunt, id omne oritur ex eo, quòd nulli iis ſint eſſentiales, (quatenus creatura rationalis poteſt eſſe quodam tempore ſine hoc vel illo, quamvìs eſſe illa non poſſet, ſi non aliquis iſtorum actuum adeſſet) inde enim fit, quod alios acquirant, & ſic ad hos vel illos ſint in habitu vel potentia: At cùm Intelligere & Velle non differant à Dei Eſſe, erit utique omne Intelligere & Velle ipſi eſſentiale, & per conſequens non poteſt in Deo alter actus alteri ſuccedere. In hominibus etiam propterea diverſi ſunt actus ſe invicem ſubſequentes juxta ordinem rerum, à quo dependent, & cui, ſi ritè inſtituantur conformari debent, at Deus eſt auctor iſtius ordinis, eumque ſuo intellectu formavit, ad quod opus fuit, ut ſimul uno eodemque actu res iſtas omnes conci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

peret, quas ſic inter ſe invicem ordinavit & diſpoſuit. Quin imò ſi homines plura ſimul conentur intelligere, formant conceptus, non diſtinctos, ſed planè confuſos, quod ipſorum intellectionem non juvat, ſed impedit potius; at in Deo non poteſt locum habere conceptus confuſus, quippe qui de *non eſſe* participat, ac proin hoc nullo modo eſt verendum, ſi unico actu omnia complectatur, ut propterea debeat cenſeri formare conceptum confuſum. Ab hoc enim actu divino dependent omnes res à ſe invicem maximè diſtinctæ, quas Deus per hunc ipſum actum diſtinguit, qui propterea confuſus nullâ planè ratione concipi poteſt. Nos aſveti ſumus intelligere intellectum & voluntatem finitam, à qua non omnia & ſingula dependent, cujus actus propterea, finitur per alium actum, qui alteri priori ſuccedit; ſed in hôc actu divina omnia aliter ſe habent; omnia enim & ſingula ab iſto actu dependent, nec propterea finiri poteſt per alium actum, ſed infinitus ille ſemper eſt & perſeverat. Quod tantùm quædam à voluntate humana dependeant, id eſt propter ejus imperfectionem & inefficaciam, quæ tanta eſt, ut quovis momento Deus iſtam voluntatem humanam conſervet & ejus actum producat, & id quoque, quod ab iſto voluntatis humanæ actu efficitur, totam ſuam realitatem à voluntate divina conſequatur. Quia igitur adeo imperfecta eſt volitio humana, alter actus alteri ſuccedat, oportet, ut ſic per multitudinem actuum quodammodo compenſetur id, quod deeſt actui finito & imperfecto. At à voluntate divina omnia & ſingula dependent, non hîc ſucceſſione opus, & illa etiam ne quidem locum hîc habere poteſt; ſed unicus eſt hic actus, quo Deus omnia & ſingula ſimul & vult & intelligit. Unicus iſte actus eſt, quo voluit Deus & ea quæ jam facta ſunt, & quæ nunc ſunt, & quæ impoſterum ſunt futura, & quidem cum omnibus ſuis circumſtantiis & relationibus, quas inter ſe invicem habent; ut, quot gramina ſint futura, quamdiu mundus ſteterit, quæ & quot & quantæ variationes in interioribus terræ, quæ & quot & quantæ in omnibus creaturis, & alia infinita ſimilia. Neque tamen ſimpliciter repugnat, ut homines plura unico actu intelligant. Quòd poſſit homo unico actu plura ſimul intelligere, patet tùm in Mathematicis inſignioribus, qui unico actu vident concluſiones in præmiſſis, quas alii variis actibus ex iis debent elicere; tùm in quibuſvis hominibus, dum de affirmante propoſitione judicium formant;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mant; tunc enim ſimul ſubjectum & prædicatum ut intelligant, oportet; ita dum de harmonia Muſica judicant, ſimul omnes illos ſonos, qui harmoniam iſtam conſtituunt, debent intelligere. Sic quando plurium linearum habitudines & relationes ad ſe invicem cognoſcuntur, oportet, ut unico actu omnes illæ lineæ ſimul intelligantur. Quòd autem hominum nemo poſſit ita unico actu intelligere, inde eſt, quòd quilibet homo ſit finitus, adeoque actus quoque ejus quilibet ſit finitus: at Deus infinitus eſt planè, & eà propter actu unico infinito infinita ſimul comprehendit. His adde, quod ſi Deus non unico actu ſimul omnia intelligeret & vellet, ſequeretur, poſſe in illo volitionem aliquam eſſe futuram, ſicque volitio aliqua poſſibilis poſſet tranſire in futuram. At hoc planè eſt contradictorium. Si enim id poſſet fieri, fieret illud vel à creatura quæ ſic determinaret Deum, ut poſſibilis iſta volitio tranſiret in futuram, quâ ratione creatura foret Deus, atque efficeret ut Deus à ſe dependeret, ſicque ille non amplius foret Deus; vel fieret iſtud à Deo, quatenus Deus vellet ab æterno, ut hæc ipſius volitio eſſet in tempore, quod iterum eſt contradictorium: Si enim Deus velit ab æterno, ut hæc volitio adſit ei in tempore, jam ab æterno eam habebit, ſicque nulla nova volitio in ipſum cadet.

§. XII. Sic plane manifeſtum eſt & à priori demonſtratum, unicum eſſe divinæ voluntatis actum, quo omnia ſimul vult & intelligit: difficultas tamen hîc ſeſe exhibet nobis maxima, quomodo poſſit unicus actus divinus omnia ſimul & ſemel intelligere & velle; quomodo ſit poſſibile, ut hæc omnia unico & ſimpliciſſimo actu divino comprehendantur? Videtur tamen tota illa difficultas huic inniti fundamento, quod ſupponatur, actum illum eſſe finitum, id quod ſecus planè ſe habet: eſt enim actus perpetuus & perſeverans ab æterno in æternum, abſque initio, abſque fine. Cum igitur actus ille ſit planè infinitus, non mirum videri debet, quòd omnia & ſingula, quòd infinita comprehendat; quin imò è contrario mirum foret, neque poſſet abſque contradictione dici, quòd non comprehendantur omnia illa ab unico iſto & ſimpliciſſimo divinæ voluntatis actu. Saltem impoſſibile eſt, ut illa omnia, quæ ſimul exiſtunt, non comprehenderentur unico iſto & ſimpliciſſimo actu. Si enim non comprehenderentur, non exiſterent, quod eſt contra hypotheſin. Sic igitur exiſterent, & non exiſterent. Exiſtunt enim illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

omnia ſimul & ſemel, quia iſta omnia ſimul & ſemel voluntur, ut ſic dicam, vel efficiuntur per voluntatem: non enim à ſe ipſis exiſtunt, ſed exiſtentiam habent ſuam ab illo ſummo & independente ente, & quidem non aliter, quàm quatenus illud ens habet ſuam voluntatem: habent autem iſta omnia illam exiſtentiam ſimul & ſemel, ergo illa voluntas quoque omnia hæc ſimul velle debet. Porrò, quæ ſic ſimul exiſtunt, habent ſuam connexionem, tum cum aliis præteritis, tùm cum aliis futuris, & illa iterum cum aliis, & hæc etiam cum aliis, atque ſic de omnibus eſt judicandum: atqui hanc connexionem planè habent à Deo, à quo dependent; quod non poteſt fieri, niſi, dum ſunt, Deus iſtam connexionem velit: non enim aliàs haberent: Non poteſt autem velle, niſi etiam velit illas res, cum quibus connexionem habent, & ſic de aliis. Sic ergo neceſſarium eſt, ut unico actu velit, quia omnia ſunt connexa & illam connexionem habent à Deo. Si nunc vult omnia ſimul, etiam antea voluit, quia nulla ratio mutationis iſtius voluntatis. Ineffabile igitur eſt hoc totum, quod eſſe quidem intelligi poteſt, quomodo autem ſit, intelligi nequit à nobis finitis, neque propterea ut intelligatur debet laborari; Quin eo ipſo pro certo foret habendum, quòd illud ſi intelligi à nobis poſſet finitis, non deſignaret actum Dei infinitum, qui eo ipſo, quo talis eſt, intelligi non poteſt.

§. XIII. Alia adhuc hîc ſe offert difficultas, quòd nempe, ſi Deus unico & ſimpliciſſimo actu omnia vult & intelligit, actus ille videatur ob ſuam continuam perſeverantiam tædium aliquod & defatigationem inferre: ita enim nobis videtur obtingere, ſi diu inhærendum ſit uni objecto & quidem per unicum aliquem actum, quod tunc tædium & defatigatio in nobis ſoleat oriri. Verùm enim verò hæc ipſa difficultas, ſi ad eam rectè attendamus, ſemetipſam planè expedit. Deus enim per hunc actum ſuum unicum non verſatur circa unum objectum, ſed circa infinita, &, dum eſt conſcius ſuæ voluntatis, verſatur etiam circa ſemetipſum ſuo intellectu, & ſic hoc ipſo unico actu ſemetipſum quoque intelligit. Nos etiam ob noſtram finitudinem non poſſumus unico actu vel unius objecti perfectiones exhaurire, multò minus omnia ſimul & ſemel nobis repræſentare; quod igitur unicus actus nobis repræſentat id exiguum eſt admodum, quoniam verò ſciendi ſumus cupidi, non debet unus actus nimis diu durare, ſed progrediendum eſt ad alium, ut ſic ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

majus in ſcientiâ augmentum acquiramus; noſtra enim perfectio in variatione & mutatione conſiſtit; quòd ſi igitur unico actui nimis diu inhæreamus id tædium nobis ingenerat, quòd ſic in perfectione noſtrâ augenda impediamur. At Dei iſte actus unicus ſimul eſt infinitus, quo & ſemetipſum, & omnia, quæ à ſe dependent, comprehendit. Locum ergo nullum poteſt habere defatigatio & tædium in tali actu, qui omnia objecta, qui Deum ipſum infinito modo repræſentat. Defatigatio etiam & tædium ſæpe inde oritur, quòd objectum aliquod ſit ingratum, ut in doloris ſenſu obtinet; at nihil eſt, quod Deo invito poſſit obvenire, quodque ipſi propterea ingratum eſſe queat, cum ille non aliunde, ſed omnia objecta ab ipſo & quidem ab unico illo actu voluntatis ſive intellectus (perinde eſt quomodo appelles, cùm tantùm differant reſpectu) dependeant. Nec hîc diſſimulandum, defatigationem in hominibus inde oriri, quòd, dùm aliquid intelligimus, id vix ſoleat fieri abſque adjunctâ imaginatione, ad quam conſervandam opus eſt continuo ſpirituum affluxu, qui ſic ſolent diffluere & diſſipari, quæ cauſa eſt noſtræ defatigationis: Quæ in Deo locum habere nequit, cùm homo non ſit, adeoque humanæ imperfectiones in eum cadere nequeant.

§. XIV. Hactenus ergo deprehendi in Deo *perpetuum eſſe* & quidem *eſſe ſimpliciter*, *eſſe merum*, in quo nihil ſit ex non eſſe: Deprehendi in eodem perpetuum intelligere & velle; & tale intelligere & velle, quod ſit perpetuum eſſe, dico, conſtituere Dei eſſentiam; qua ratione fundamentum poſitum eſt omnium aliarum divinarum proprietatum. Inveni nunc eſſentiam divinam conſiſtentem in *Eſſe*, in quo nullum ſit *non eſſe*, in *Intelligere* quod omnem intellectum ſuperat atque ſemetipſum & omnia alia comprehendit, & in *Velle* quod abſolutè ſit independens, & à quo omne aliud eſſe dependet. Dum enim *ſimpliciter Eſſe* conſidero, non poſſum non in illo deprehendere intelligere ex ſemetipſo ſui ipſius & per ſemetipſum aliarum omnium rerum, quod nullis aliunde acceptis, ſive cum natura datis, ſive poſtea acquiſitis, juvari poteſt ideis, ſed quod omnium aliarum idearum, omnis cujuſcunque cognitionis unica ſit origo; reperio etiam in illo ſummam & independentem plane volitionem ſine quâ illud *Eſſe* non intelligo, ſed ea poſitâ quale ſit illud Eſſe in quo nullum deprehendi poteſt non eſſe, clarè perſpicio. Obſtupeſco hîc & hæreo luce tantâ perfuſus; quæ enim in aliis reperi-

dis-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

disjuncta, ea hîc ſummis modis identificata agnoſco. *Eſſentiam Dei* conſtituit *Eſſe ſimpliciter*, quod ab infinito intellectu & voluntate non differt, ſed ſicut in illo eſſe, ſummum Intelligere & Velle, ita in Intelligere Velle, & in Velle, Eſſe & Intelligere ſimul mihi repræſento; & hoc Eſſe, hoc Intelligere, hoc Velle non niſi in unico & ſimpliciſſimo actu conſiſtit. Nihil aliud in Deo eſt præter iſtam *Eſſentiam*, & quid aliud eſſe poſſet, cùm illa eſſentia ſuperemineat omnibus, quæcunque cogitari queunt? Si tamen illa eſſentia divina ad alia quævis, ad me ipſum, & quæ exiſtunt alia referatur, orientur hinc variæ ad ipſam relationes, unde variæ illi eſſentiæ poſſunt aſſignari denominationes, quod eſt, quod nomine Attributorum ſolet appellari. Atque hîc primo occurrit expendenda ejus *Infinitas*, quæ jam antea ſe exhibuit, dum illam Eſſentiam mecum & cum aliis rebus comparavi. Eſt igitur Infinitas Attributum Dei I·mum, quod poſt Eſſentiam ſeſe mihi offert diſtinctè contemplandum. In quo enim eſt omne Eſſe, is nullos habet limites, quos ſi haberet, non eſſet omne eſſe, cùm limites ſive fines negent ulterius eſſe. Ubi ejuſmodi eſt Intellectus, qui penetrat, qui excedit omnia, is nullis limitibus nullis finibus poteſt eſſe concluſus. Ubi quoque talis volitio, à quâ omnia, illa ſanè nullis limitibus poteſt eſſe reſtricta; voluntas enim illa eſt, quæ omnibus rebus dat & præfigit limites, nullos aliunde ſumit; ſi enim ſumeret aliunde, non eſſet voluntas, à quâ omnia omnino dependerent; hoc enim quod figeret limites inde planè non dependeret.

§. XV. Ex hac divina eſſentia etiam ſequitur, quòd à ſe *ſit*, ubi *eſſe* ſignificat *exiſtere*. Ubi enim eſt ſimpliciter Eſſe, ubi merum eſt Eſſe, nullum non eſſe, ibi non poteſt non eſſe exiſtentia. Quod enim non exiſtit, tantùm abeſt ut poſſit dici habere omne eſſe, ut potius nullum habeat verè ſive actu eſſe. Nec voluntas, à qua omnia pendent, poteſt concipi abſque exiſtentia: Velle enim in ſe comprehendit exiſtere, & velle tale, à quo omnia dependent, infert à ſe exiſtere, hoc eſt, ſibi ipſi ad exiſtendum ſufficere, & per conſequens etiam exiſtere; ſi enim omnibus aliis ad exiſtendum ſufficiat, quidni à ſe ipſo exiſteret? Si tantos habeat theſauros, ut aliis inde erogare poſſit, quidni ſibi ipſi ſufficeret. Nec poſſet aliis largiri omnia, quæ habent, ſi à ſe ipſo non exiſteret, ſed potius hoc acceptum eſſet referendum illi enti, à quo haberet exiſtentiam, quam ſi

iſtud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

iſtud ens ad momentum non largiretur, nihil poſſet largiri alteri. Quòd ſi à ſe ipſo non exiſteret, ne quidem exiſteret; non enim poſſet habere exiſtentiam ab alio, cùm omnia à ſe dependeant: exiſtit ergo omninò à ſe ipſo. Poteſt hoc ipſum quoque ex priori Attributo confici. Cùm enim illud ens exiſtat, non poteſt eſſe ab alio: Si enim eſſet ab alio eſſet limitatum, limites enim ſunt ab alio: Atqui demonſtratum eſt illud ens eſſe infinitum. Hoc verò eſt II·dum attributum, cujus conceptum nos formamus, dum Deum comparamus cum aliis rebus, quas produxit, & ſimul animum advertimus ad ipſum, eumque ut nullius rei indigum ad exiſtendum, ſed & alius quibuſvis rebus & ſibi ipſi perfectiſſimè ſufficientem, contemplamur.

§. XVI. Hinc jam oritur III·um divinum Attributum, quo Deum concipimus ut *Neceſſarium* omni modo. Qui enim eſt à ſe ipſo, ſibi ipſi & aliis omnibus ad exiſtendum ſufficit, is non poteſt non exiſtere, quia ex ſe ipſo exiſtit, & ſi is non exiſteret, nihil quicquam rerum exiſtere poſſet. Implicata ſunt in ſe invicem Dei *eſſe ſimpliciter*, ejus *intelligere* perfectiſſimum, quo omnia mentis acie penetrat & *Velle* unico & ſimpliciſſimo actu, à quo omnia dependent, uti ſuperius §. VII. vidimus. Quòd Deus neceſſariò exiſtat, evidens ſatis eſt ex eo, quòd habeat omne *Eſſe*, omne *reale*, omnem *perfectionem*; negare enim nequit, quin ſit magna perfectio hæc neceſſaria exiſtentia. Quidni verò illud ens neceſſariò exiſteret, à quo eſt omnis neceſſitas, quæcunque eſt in rebus, cùm & res ipſæ & omnes earum modi & quæcunque alia, quæ ſunt in iis circumſtantiæ, unicè à Dei voluntate dependeant? Et quod ſibi ipſi perfectiſſimè ad exiſtendum ſufficit non poteſt non exiſtere. Quod enim eſt à ſe ipſo illi exiſtentia eſt eſſentialis, adeoque pertinet ad ejus eſſentiam: Quod autem eſt eſſentiale rei, id eſt rei neceſſarium; cùm eo negato ipſa Exiſtentia rei neganda foret. Dein, quòd aliæ res non exiſtant aliquando, id inde habet ortum, quod iis poſſit deeſſe cauſa exiſtentiæ; poteſt enim illud ens, à quo dependent, velle operari eorum exiſtentiam certo quodam ordine & tempore, quod tempus ſi non adſit, nec illæ ipſæ exiſtere ſunt cenſendæ: At in Deo nunquam poteſt deeſſe ratio exiſtendi, quæ eo ipſo ponitur, quo Deus concipitur, uti viſum eſt antea. Poteſt etiam hoc modo iſtud Dei attributum demonſtrari. Si Deus non eſt ens Ne-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ceſſarium : ergo poſſet aliquando non eſſe : ſi autem ponatur aliquando non eſſe , erit planè Impoſſibilis : nam non poterit ab alio eſſe, quia nullum ens adeo perfectum concipitur, quàm Deus: non ergo poſſet conferre perfectionem alteri, quam illud ipſum ens non haberet. A ſe verò etiam non erit eo ipſo, quo ponitur non eſſe: Tale enim ens non eſt à ſe. Quàm verò abſurdum eſt, ens, quod habet ſummas perfectiones etiam impoſſibile eſſe, hoc eſt, nullas perfectiones poſſe habere! Quod ſi verò Deus eſſet Impoſſibilis, multò magis omnes aliæ res Impoſſibiles forent : Sic nec poſſibilis eſſet is, qui talia, ſtatueret, & per conſequens non eſſet.

§. XVII. Ex his jam porrò reſultat *Æternitas*, ſive potius, in his omnibus eam concipere licet, quæ IV'tum eſt Attributum, quod mentis meæ oculis ſe offert. Quod enim à ſe eſt, quod ſibi ipſi ad exiſtendum ſufficit, id ſemper exiſtit, id nunquam poteſt non exiſtere, adeoque nec habet initium, nec finem habere poteſt. Quod eſt infinitum neque initio neque fine limitari poteſt. Ipſa hæc eſſentia Dei Æternitatem Dei infert, eamque veram & propriè ſic dictam; nihil enim in eâ eſt reperire, quod ullam ad initium vel finem vel ſucceſſionem habeat reſpectum. Ubi tantùm eſt *eſſe* ibi non eſt *non eſſe*, initium autem τῷ eſſe ſupponit prævium non eſſe : Ubi tantùm eſt Eſſe, ibi non eſt finis, qui demum inferri poteſt, quando poſt eſſe ſequitur non eſſe; ubi tantùm eſt Eſſe, non eſt finis alicujus eſſe & initium novi eſſe, quod in ſucceſſione locum habet. Sic unicus indiviſus actus omnem ſucceſſionem excludit, quæ tùm demum locum habet, ubi unus actus alterum ſubſequitur. Et quidem de eo, quòd Æternitas non habeat initium nec finem, nulla eſt difficultas inter homines, quòd omnes facile admittant æternitatem initio & fine carere, cùm etiam tempori hanc ideam perperam applicent, ſed ſucceſſionem multi Æternitati conantur affingere; unde etiâm eſt , ut tempus abſque initio ſe poſſe concipere opinentur. Scilicet omnes cùm nati ſimus in tempore ſenſuum interventu formavimus ideam motus corporum , è vicinia aliorum corporum recedentium , atque ſic comparando motus illorum corporum , quos in ſuperficie terræ videmus, cum motibus illis æqualibus, quos in cœlis obſervamus, formamus ideam temporis, quod per horas, dies, annos metimur, & ad iſtud tempus menſuramus noſtræ vitæ actiones. Sic ergo cogitantes poſtea, Deum exiſtere , qui nos & omnia quæ videmus con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

conſervat, eum & ad res præteritas & præſentes & futuras referimus, atque ſic ſimiliter in ejus eſſentia quendam fluxum ſive ſucceſſionem concipimus, quamvìs propter ejus ſummam perfectionem nullum ei queamus initium vel finem aſſignare. Ita conflamus ideam aliquam confuſam & mixtam ex tempore & æternitate, quod etiam oſtendimus compoſitione ipſius nominis, quando eam per *Tempus æternum* exprimimus. Et quamvìs alii ideam temporis reſtringant & in tempore tantùm velint concipi ſucceſſionem, quæ habuerit initium & habitura ſit finem, tribuunt tamen Deo *Durationem*, in qua initium & finem negant, ſed ſucceſſionem non negant, quæ etiam in idea durationis continetur, neque ab ea auferri poteſt. Atque ita idem, quod priores, committunt peccatum, durationem æternam ex Æternitate & Tempore conflantes. Hoc igitur ut evitemus, abſtrahendum eſt ab omni tempore, atque neganda per ſuppoſitionem omnis corporum exiſtentia, quemadmodum in primis Carteſii Meditationibus eſt factum; attendendum tantummodo eſt, quòd nos ſimus, qui cogitamus, & quòd Deus exiſtat, à quo dependemus & conſervamur; de motu & motus proprietate, quæ eſt ſucceſſio, nihil cogitandum: Sic Dei exiſtentiam concipiemus tanquam ſummè perfectam, à qua omnis imperfectio, qualis in principio, fine & ſucceſſione deprehenditur, quàm longiſſimè eſt removenda. Quod ſi fiat, videmus, quod dùm à Deo removemus initium, finem & ſucceſſionem, ab ipſo removeamus negationes, adeoque nihil aliud eo ipſo Deo aſſignemus, quàm perfectiſſimam exiſtentiam. Cavendum igitur eſt, ne nos hîc fallant voces poſitivæ, *initium*, *finis*, *ſucceſſio* & ſimiles aliæ, quaſi illæ aliquam perfectionem in rebus, quibus conveniunt, ponant, & propterea hæreamus, ſi iſta omnia de Deo debeamus negare, timentes, ne ſic aliquid poſitivi vel realitatem aut perfectionem aliquam ei detrahamus, cùm è contrario horum omnium negatio ſummam in ipſo perfectionem ponat.

§. XVIII. Boëthii igitur definitio Æternitatis ſic ſtabilitur, cui *Æternitas eſt interminabilis Vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio*, quæ propterea tanquam indiviſibilis ſolet concipi, adeoque, dum æternitati omnis duratio, omnis ſucceſſio, omnis diviſio negatur. *Indiviſibilis* illa ſolet dici. Hîc tamen iterum cavendum nobis eſt, ne ambiguitas vocis *Indiviſibilis* in novos nos labyrinthos præcipitet; à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quibus ut nos præſervemus, cogitandum quidem nobis eſt conformiter iis, quæ in antecedentibus obſervavimus, quando aliquid dicitur indiviſibile, negari revera negationem, quæ in diviſione & diviſibilitate intelligitur, ſed ſimul obſervandum, illam negationem *vel* negari ob ſummam perfectionem, quæ in exiſtentia Dei intelligitur, *vel* ob perfectionem aliquam limitatam, quæ dum talis eſt, excludit aliam quamvis perfectionem, præter eam, quam ſolam habet, quæ eo ipſo, dum alia excluditur, ſupponitur; (quo ſenſu mens noſtra indiviſibilis dicitur, quia, dum cogitationem ponit, excludit extenſionem. Sic punctum, quod eſt quid in extenſione, momentum, quod eſt quid in ſucceſſione, indiviſibilia dicuntur, quia dum ſunt in re limitata quid poſitivum, excludunt illud quoque poſitivum, de quo diviſibilitas poteſt prædicari;) *vel* ob negationem omnis perfectionis, quo ſenſu de nihilo poteſt dici; nihilum eſt indiviſibile. Quando ergo de Dei æternitate dicimus, quod illa ſit Indiviſibilis, id non intelligendum eſt eo ſenſu, quo nihilum dicitur indiviſibile, nec, quo indiviſibile dicitur punctum vel momentum, ſed ob ſummam perfectionem, quæ omnem perfectionem limitatam, qualis in eo, quod diviſibile dicitur, reperitur, excludit.

§. XIX. Ut ergo tantò altius hoc mentibus noſtris ſit infixum, conſideremus rationes, ob quas nulla in Deum cadere poteſt duratio, atque ita ejus Exiſtentia æterna ut indiviſibilis veniat concipienda. Duratio omnis concipitur tanquam quid ex partibus conflatum, ſeu ex momentorum continuo fluxu conſtans, ſicut extenſio concipitur tanquam fluxus puncti in longum latum & profundum. Hinc eſt, quod duratio dicatur id, per quod *res porro exiſtere* dicitur. Quæ autem ſic durant, ea nunc minus, nunc diutius poſſunt dici extitiſſe, quâ ratione exiſtentia ejus rei, cui duratio tribuitur, in partes diſtinguitur, & alia poſt aliam partem acquiritur; quam, ubi nondum acquiſivit, nondum poteſt dici habere, atque adeo Deo convenire nequit, propter illam Summam perfectionem, quam ſemper poſſidet Deus. Dein duratio propriè loquendo reſpicit exiſtentiam rerum ab eſſentiâ diſtinctam, non eſſentiam ipſam: At Æternitas Dei ſpectat quidem exiſtentiam ſed eam, quæ ab eſſentiâ nullâtenus differt, atque hoc ipſo nomine, quia Dei eſſentia

plane

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

plane & ſimpliciter eadem eſt cum ejus exiſtentiâ, neque ſine illâ exiſtentiâ concipi poteſt, Deo attribuitur. Sic ergo Deus propter hanc ſuam Eſſentiam adeò perfectam, ut exiſtentiam in ſe includat, habet Æternitatem: At nihil eſſentiæ nomine dicitur durare; ita eſſentiæ trianguli, vel circuli, vel mentis humanæ nulla adſcribitur duratio, ſed ejus exiſtentiæ. Sicut ergo non niſi ineptè admodum poteſt quæri: An eſſentia trianguli nunc diutius non fuerit, quàm cùm Deus Adamum crearet? Ita quoque ineptè quæritur: An non Deus nunc diutius extiterit, quàm dum Adamum creabat? quæ quæſtiones locum nullum queunt habere, ſi modò Æternitas per formam durationis non concipiatur.

§. XX. At dices: nihil concipere poſſumus, niſi ſub ratione exiſtentis, licet hoc intercedat diſcrimen, quòd in conceptu creaturæ exiſtentia ſolùm poſſibilis ſit, in conceptu Dei neceſſaria & actualis. Sed conceptus, idea, notio rei, non eſt ejus eſſentia. Eſſentia nulla eſt, niſi quæ exiſtit; exiſtentia enim dat ipſam eſſentiam: ſunt enim idem: Ergo nec creaturæ eſſentia eſt ſine exiſtentiâ ejus, adeoque licet conceptum & ideam trianguli ſine variatione concipiam (ideæ enim ſemper eædem ſunt) eſſentiam tamen ipſam trianguli non poſſum ſine ſucceſſione concipere, quia illa non eſt, niſi exiſtat; non exiſtit autem niſi cum duratione & ſucceſſione, Idem in Deo ergo obtinet, qui maximè exiſtit, adeoque maximè durat, adeoque infinitam habet ſucceſſionem. Sic verò confunditur planè conceptus, idea, notio cum re conceptâ, quæ tamen omnino ſunt diſtinguenda tanquam actus ab objecto, circa quod verſatur. *Res* dicitur concipi per ideam ſive per conceptum, qui formaliter eſt actus mentis atque propterea debet diſtingui à realitate objectivâ, quæ repræſentatur, quæ eſt eſſentia involvens exiſtentiam, vel poſſibilem tantum, qualis eſt creaturarum, vel actualem, quæ non niſi in Deum cadit. Falſum ergo eſt eſſentiam nullam eſſe, niſi quæ exiſtit: Sic enim omnis eſſentia deberet involvere exiſtentiam actualem; atque ita nihil foret, niſi quod eſſet Deus: Falſum etiam & abſurdum eſt, quòd exiſtentia det ipſam eſſentiam, cùm è contrario prior ſit eſſentia in noſtro conceptu, & eſſentia det potius exiſtentiam, vel poſſibilem tantùm vel actualem quoque, uti eſt conceſſum. Non dicendum igitur eſt, *quòd conceptum & ideam trianguli ſine ſucceſſione concipiam*: Non enim concipio ideam trianguli,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

guli, ſed concipio triangulum per ideam ſive conceptum, adeoque trianguli eſſentiam concipio ſine ſucceſſione, quâtenus in ejus realitate objectivâ nulla continetur exiſtentia, ſicque nulla ſucceſſio, quæ tantùm alicui exiſtentiæ accidit. Diſtinguenda verò hîc eſt eſſentia, prout eſt actu in rerum naturâ & prout eſt in meo conceptu, in quo habet realitatem objectivam, quæ ſanè non eſt nihil. Si quis jam dicat: Creaturæ eſſentia non eſt ſine ejus exiſtentiâ, is verum dicit, ſi per *Eſſe* intelligat actu eſſe, non verò ſi per *Eſſe* intelligat habere realitatem objectivam. Sic enim creaturæ eſſentia eſt ſine ejus exiſtentiâ, quatenus habet realitatem objectivam, quam poſſum concipere, etſi negem exiſtere.

§: XXI. Præterea duratio reverâ imperfectionem ponit in eo, cui tribuitur; ubi enim ſucceſſio eſt, ibi, prius eſſe vel exiſtere perditur & aliud acquiritur; ubi eſt fluxus temporarius à præterito per præſens in futurum plus eſt *non Eſſe*, quàm perfectionis atque *Eſſe*: Infinitum enim præteritum amplius non eſt infinitum, futurum nondum eſt, ac reſtat tantùm exiguum eſſe, quo res iſtis ſubjecta actu fruitur. At is qui omne habet *eſſe*, nihil acquirit. Neque eſt quod dicas, id quod habet perfectionem ſummam nihil acquirere per exiſtentiam, ſed ipſam exiſtentiam reſpectu temporis futuri non habere, at eſſe illam habiturum ſuo tempore eâdem perfectione ac præſentem, imò præteritam omnem, & in omnibus eundem & per perfectionem ſummam futurum deinceps & ſemper: Etſi enim fatear, illum juxta iſtam hypotheſin nihil acquirere reſpectu eſſentiæ, certum tamen quoque eſt, ex illâ hypotheſi acquirere novam exiſtentiam, quam antea non habuit, quod hoc ipſum eſt, quod nego in Deum cadere poſſe, quin eo ipſo mutationi ſit futurus obnoxius, ſaltem quoad exiſtentiam. Non enim mutatio locum tantùm habet, ubi aliquid fit vel melius vel deterius, ſed etiam ubi eâdem perfectione acquirit novam exiſtentiam: At hoc ipſum ſine mutatione cogitari nequit: Si enim nova ſit, differet ab alterâ, quomodo in nobis cogitatio, quam nunc habemus, differt ab alterâ, quam antea habuimus; ubi ergo deſinit prius, quod fuit, & incipit novum, quod antea non fuit, ibi mutatio non poteſt non habere locum. Quid verò hoc eſt, quod dicitur Dei exiſtentia referri ad tempus futurum, ſive exiſtentiam reſpectu temporis futuri non habere? An ergo temporaria erit, in quâ præteritum & futurum eſt

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

conſiderandum. Ergone tempus præſens, præteritum & futurum fuit ante mundum conditum, ante motum? Sic tempus fuit ante tempus. Quòd ſi Deus novam acquirit exiſtentiam, vel dicendum eſt, Deum iſtam novam exiſtentiam acquirere aliunde, vel ex ſemetipſo, ſive ex propriâ ſuâ eſſentiâ. Si prius dices, concipies Deum ad modum creaturarum aliunde dependentium, & ſic ut primum eſſe habent aliunde, ita ſemper de novo, novum eſſe ſive novam exiſtentiam accipientium, quod nec fieri poteſt, niſi ſimul cum iſtâ exiſtentiâ etiam eſſentiam accipiant. Quâ ratione Deus dependens erit & creatura adeoque non amplius Deus. At ſi ſtatuas, Deum novam exiſtentiam continuo acquirere ex ſemetipſo ſive ex propriâ ſuâ eſſentiâ, dicendum quoque erit, eum ſimul acquirere ex ſemetipſo novam eſſentiam, adeoque ex propriâ ſuâ eſſentiâ ſemper acquirere novam eſſentiam unà cum exiſtentiâ, cùm exiſtentia ab eſſentiâ multò minus in Deo poſſit ſeparari, quàm in creaturis. Si dicas, Dei naturam eſſe adeo perfectam ut ſibi ipſi ad exiſtendum ſemper ſufficiat, hoc fatebor tecum, ſed tunc novam non poterit dici acquirere exiſtentiam in futurum, ſed ſemper habere, neque poterit dici, quod hæc Dei eſſentia ipſi ſufficiat, ut porrò exiſtat quoque, ſicut ſuffecit ut antea exiſteret: Sic enim illud porrò exiſtere ſupponet primum aliquod exiſtere, atque ita Dei æternitas omni modo evertetur, ſi & primum exiſtere in eo ſit ſpectandum. Durationem igitur aſſignabimus tantùm rebus creatis eo nomine, quod illæ exiſtunt, non ex naturæ ſuæ ſufficientiâ, ſed ſolâ vi divinæ voluntatis ſive eſſentiæ, idque ita ut porrò exiſtant, atque diutius porro ſint exſtituræ eâdem illá vi divinâ, quodque præſens earum exiſtentia non ſit cauſa exiſtentiæ futuræ, ſed unica ejus cauſa ſit Dei Immutabilitas, propter quam dicere cogimur, quod Deus rem illam, quam primùm creavit etiam impoſterum ſit conſervaturus. Et revera iſti conceptus confuſi, qui ſic formantur de Dei duratione inde ſunt, quod Deum concipiamus unà cum mundo condito, ſive, poſt mundum conditum, & tunc ſimilia ei tribuamus quæ rebus illis, quæ in tempore ſunt, conveniunt, ſed ſi eum ut debemus, ante mundum conditum concipiamus & eo modo de Deo ratiocinemur, ſicut antea factum, non magis cogitabimus de Dei duratione, quàm de ejus loco, quando nec Locus, nec Duratio erat, ſed Deus tantùm in abyſſo æternitatis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

§. XXII. Quod ſi, verò Deum ſpectemus poſt mundum conditum, quando ſunt creaturæ, quæ dicuntur poſt ſuum initium non ſtatim ceſſare ſed aliquamdiu durare; quando eſt tempus, in quo reperire licet & prius & poſterius & ſucceſſionem; quando res aliæ alias ſubſequuntur, ut altera reſpectu alterius poſſit dici præterita, præſens vel futura, poſſumus ſic Æternitatem Dei conſiderare cum relatione ad creaturas, ad mundum conditum, ad ipſum tempus. Æquivalet enim Dei Æternitas omni tempori, omni durationi, imo eam infinities ſuperat & excedit. Cùm autem in duratione ſint partes aliæ atque aliæ, omnes illæ ſunt referendæ ad Æternitatem, cui æternitati coëxiſtere poſſunt dici, idque ita ut non omnes ſimul & ſemel ei coëxiſtant, ſed aliæ poſt alias, quum ipſæ non niſi ſic exiſtant; neque ita ut partes aliæ durationis coëxiſtant aliis partibus Æternitatis, atque aliæ iterum aliis, cùm Æternitas nullas habeat partes, Sed prout aliæ partes durationis ſibi invicem ſuccedunt, ita omnes coëxiſtunt toti Æternitati. Atque propter hanc rationem Æternitas aſſimilari ſolet puncto, circa quod diſcriberetur circumferentia circuli aut ſuperficies ſphærica, cujus omnibus partibus ipſum immobile æqualiter reſpondet, non habens ſupra aut infra.

§. XXIII. Etſi autem ſic omnes temporum differentiæ coëxiſtunt Æternitati & vice verſa æternitas coëxiſtat omnibus temporum differentiis, non tamen poteſt dici, Deum jam coëxiſtere tempori futuro, vel tempori præterito, cùm hoc eſſe deſierit, illud verò nondum ſit: relatio autem ſine correlato concipi non poteſt; unde ſi Deus hodie coëxiſtat diei craſtino, dies craſtinus hodie exiſtet atque adeo hodiernus erit. Quando ergo dicitur, Æternitatem in ſe complecti omnes temporum differentias, non poteſt id eo ſenſu intelligi, quaſi omnes illæ ſimul coëxiſtant Æternitati, & per conſequens præſens, præteritum & futurum ſint ſimul, atque adeò non ſint præſens, præteritum & futurum, hæc enim ſe mutuo planè evertunt; ſed hic ſenſus dicti eſſe debet, quod Dei exiſtentia æterna ſit talis, ut omnibus partibus motûs præteriti coëxſtiterit, præſentis coëxiſtat, & futuri ſit coëxtitura. Quâ ratione tamen nullæ partes Æternitati aſſignantur, ſed tantùm relationes ad diverſas partes durationis, quarum reſpectu diverſæ oriuntur denominationes, alia ſcilicet reſpectu præteriti temporis, cui Deus dici-

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tur *coëxtitiſſe*, alia reſpectu præſentis, cui Deus dicitur *coëxiſtere*, alia reſpectu futuri, cui dicitur *coëxtiturus*. Neque ſanè poteſt illa phraſis repudiari, ac ſi non conveniret Deo, eo nomine quòd æternitatis exiſtentia ſit ejuſdem eſſentia, quaſi dum quæritur, an coëxiſtat Dei æternitas tempori, idem ſit ac ſi quæreretur, an æternitas ſit coëſſentialis tempori; Etſi enim nequeat dici, æternitatem habere eandem eſſentiam, quam habet tempus, atque ita ineptum ſit dicere, quòd æternitas ſit coëſſentialis tempori; poteſt tamen omninò dici æternitatem eſſe coëſſentialem tempori hoc ſenſu, quâtenus eſſentia æternitatis, quæ hodie exiſtit, ſimul exiſtat cum eſſentia temporis, quam tempus hodie habet. Quid verò abſurdi in his reperiemus, ut dicamus, Deum æternum hodie exiſtere, item, Petrum hodie exiſtere; atque adeo Deum hodie coëxiſtere ſive ſimul exiſtere cum Petro; at hoc ſolum & nihil aliud per iſtam phraſin ſignificatur. Notatu digna hîc ſunt verba Auguſtini Tomo I. de vera religione cap. 49. ad calcem. *Æterna vita vitam temporalem vivacritate ipſâ ſuperat. Nec quid ſit æternitas niſi intelligendo conſpicio. Mentis quippe effectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſejungo: & in ipſâ æternitate nulla temporis ſpatia cerno, quia ſpatia temporis præteritis & futuris rerum motibus conſtant. Nihil autem præterit in æterno & nihil futurum eſt. Ita quod præterit, eſſe deſinit, & quod futurum eſt nondum eſſe cæpit. Æternitas autem tantummodo eſt: Nec fuit quaſi jam non ſit, nec erit quaſi jam ſit.*

§. XXIV. Atque hæc Æterna Dei exiſtentia à Dei Vita non differt, neque quicquam aliud per vitam Dei, quàm hæc ipſa Dei æterna exiſtentia debet deſignari; quæ etiam propterea jure merito *Immortalis* eſt, ut ita Vita Dei ejuſque Immortalitas nihil aliud ſit, quàm æterna Dei exiſtentia, quæ ex ipſius ſummâ perfectione neceſſariò fluit. Non enim poteſt non eſſe ſummum illud Ens, quod ſimpliciter eſt, & in quo nihil eſt niſi abſolutum *eſſe*; non poteſt non exiſtere ille ſume perſpicax intellectus illa ἀυτο φυὴς voluntas ſibi ipſi & omnibus aliis perpetuo ſufficiens, ut ita æternitas à Dei Neceſſitate exiſtendi nullâ ratione differat.

§. XXV. Hæc eſt neceſſitas Dei ad exiſtendum, à qua non differt neceſſitas ad intelligendum & volendum, quatenus conſideramus Dei eſſe, intelligere & velle nihil quicquam inter ſe differre, atque ita jam antea demonſtratum fuit, ens illud ſummè per-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

fectum non poſſe non Intelligere & Velle. Sed cùm Deus intelligendo formaverit ideas quarumvis rerum, materiæ extenſæ, variorum corporum, mentium, hominum, quæri hîc poteſt: An Deus indifferens ab æterno fuerit ad has ideas formandum, ita ut etiam planè alias potuerit formare, atque ita potuerit formare ideam v. gr. trianguli tanquam figuræ habentis 4. latera, mentis tanquam rei extenſæ, & ſic de aliis? Cùi affinis eſt quæſtio de Dei Voluntate: An Deus fuerit indifferens ab æterno ad hoc volendum, quod ab æterno voluit, & ad volendum quodvis aliud, quod ab æterno non voluit? Ad quas quæſtiones ita reſpondebimus, ut prius oſtendamus, planè repugnare, ut Deus dicatur potuiſſe formare alias rerum ideas, quàm quas ab æterno formavit, dein ut in communi argumenta proferamus, quibus demonſtratur, Deo repugnare planè indifferentiam tùm intellectus tùm voluntatis.

§. XXVI. Quantum ergo prius attinct; dicimus Deum non potuiſſe conſtituere æterno ſuo intellectu, ut mens ſit res extenſa, corpus res cogitans, triangulum ſit figura 4. conſtans angulis, ut 2. & 3. non ſint quinque, ut contradictoria ſimul poſſint eſſe vera, & quæ ſunt ſimilia. Sic enim materiam non concepiſſet ut materiam, nec ſe concepiſſet ut puriſſimum actum, ſic non concepiſſet mentem finitam, nec ſe intellexiſſet, ut Mentem infinitam. Si ponas, Deum intellexiſſe triangulum, non ut figuram habentem tres angulos & tria latera, ſi dicas, intellexiſſe triangulum, quod non habeat omnes 3 angulos æquales duobus rectis; ergo non intellexiſſet triangulum, ſed aliam quamvis figuram, quæ haberet plures, quàm 3. angulos, atque ita de reliquis. Et cùm certum ſit Deum ab æterno hunc habuiſſe actum intellectus, quo conſtituit hanc numerorum naturam, ut 5. componatur ex 2. & 3. tanquam ſuis partibus, non poſſunt 2. & 3 aliam habere naturam. Ita quia Deus aſſignavit menti hanc realitatem, ut ſit res cogitans, atque ita voluit, ut mens ſit planè aliud ſuâ eſſentiâ & naturâ, quàm res extenſa, non poſſet mens eſſe idem cum extenſo, quia ſic ſimul idem foret & non idem, atque ita de aliis quibuſvis cenſendum, quæ implicant contradictionem. Omnia ergo à divino intellectu dependent, habent ab eo omnem realitatem, habent ab eodem omne id quod ſunt & habent. Atque hoc eſt, quod Scholaſtici dixerunt, *Eſſentias rerum eſſe æternas*, quatenus nempe actus ille divinus, quo Deus conſtituit talem rei eſſentiam, & qui

ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſic differt & diſtinguitur ab alio actu divino, quo Deus alterius rei eſſentiam conſtituit, ſit æternus (non quaſi hîc diverſós actus velim Deo tribuere, ſed quod unicus & ſimpliciſſimus Dei actus omnibus his actibus æquipolleat) quodque iſte actus ſit talis, ut juxta dicta alius eſſe non potuerit. Quia ergo actus ille divinus eſt æternus, etiam poteſt dici, quòd eſſentiæ iſtæ rerum ſic fuerint objectivè ab æterno in divina mente. Sed poteſt alia quoque eſſe hujus dicti acceptio, hæc nempe, quòd eſſentiæ rerum tales ſint perpetuò, hoc eſt, ſint immutabiles, ut nulla ratione mutari poſſint, quâtenus nempe ille actus divinus, quo ſunt conſtitutæ, nec mutari poteſt, nec alius ab æterno eſſe potuit. Si verò per *æternum eſſe* intelligas, actualem rei illius, quæ ab æterno eſſe dicitur, exiſtentiam æternam, nullam eſſentiam poſſumus dicere æternam, niſi quæ ab æterno habuit exiſtentiam, adeoque quæ ab æterno dicitur extitiſſe.

XXVII. Dicimus porrò, quod poſterius, Dei naturæ repugnare omnem Indifferentiam tàm Intellectus, quàm Voluntatis. Cùm enim in Deo *eſſe, intelligere & velle* à ſe invicem non differant, ſi Deus non ſit indifferens ad eſſe, ita ut in ipſo non poſſit concipi aliud *Eſſe*, etiam non poteſt in ipſo concipi aliud *Intelligere & Velle*. Sicut enim *Eſſe* Dei eſt infinitum, ita etiam *Intelligere & Velle* ejus eſt infinitum: Quod ſi ponas aliud *Eſſe*, vel aliud *Intelligere*, aut aliud *Velle*, pones quoque aliud Infinitum; ſic duo erunt Entia infinita perfectione, ſive duo Entia Summa, quod manifeſtam implicat contradictionem. Vel ſi ponatur potuiſſe eſſe in Deo aliud intelligere & velle, quam ab æterno fuit, illud aliud *Intelligere* & *Velle* erit infinitum ex hypotheſi, quia erit Intelligere & Velle ipſius Dei; & tamen finitum ſimul erit eo ipſo, quo aliud eſt ab eo intelligere & velle, quod Deus ab æterno habuit, quod ipſum, quia in ſe non complectitur, hoc modo per illud ipſum finitur & terminatur. Quod ſi porrò cogitemus Dei *Intelligere* & *Velle* eſſe ſummè perfectum, eo ipſo complectetur & involvet omnem intellectionem & volitionem poſſibilem & cogitabilem, quæ eo ipſo, quo talis eſt, aliquam perfectionem involvit. Non ergo poteſt poni intellectio & volitio poſſibilis, quæ in hâc ipsâ, quam Deus ab æterno habuit, non includatur, quin eo ipſo negetur, Dei intellectionem & volitionem, quam ab æterno habuit Deus, eſſe ſummè perfectam. Neque eſt, quòd dicas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

non potuiſſe intellectionem & volitionem Dei æternam involvere aliam, quæ poſſibilis ſupponitur, eo ipſo, quo hæc ab alterâ diſtinguitur: Si enim ſit ſummè perfecta, debuit vi ſuæ perfectionis ei æquivalere; &, ſi eam non poteſt involvere, eo ipſo dicendum erit, eam poſſibilem non fuiſſe, adeoque ſtatuendum erit, impoſſibile eſſe, ut Deus ab æterno aliter intellexerit & voluerit, quàm reverâ intellexit & voluit.

XXVIII. Quin imò ſi concipiamus, Deum potuiſſe habere aliam intellectionem & volitionem ab æterno, quàm reverâ habuit, neceſſariò etiam debebimus concipere, potuiſſe alium eſſe Deum, quàm reverâ eſt. Hæc enim Intellectio & Volitio, quam Deus habuit ab æterno, utique eadem eſt planè cum Dei *Eſſe*, uti antea vidimus: at iſtud eſt *ſimpliciter eſſe*, eſt *infinitum eſſe* eſt ipſe Deus. Intellectio ergo hæc & Volitio eſt Deus ille, qui ab æterno eſt, & in æternum erit. At Intellectio & Volitio illa alia, quæ hîc ſupponitur, eo ipſo quo eſt alia, non eſt utique illa Intellectio & Volitio, quam ab æterno habuit Deus, adeoque non erit Dei iſtius, qui habuit illam Intellectionem & Volitionem, debet ergo eſſe alterius Dei, cùm Dei Intellectio & Volitio ſupponatur eſſe ipſe Deus, Poterit ergo eſſe alius Deus, quàm reverâ eſt, quod nemo ſapiens poterit judicare cum ratione convenire. Dices forte; non fuiſſe duplicem intellectionem & volitionem in Deo, etſi ponamus, Deum in illo momento rationis, quod concipimus, alias planè intellectu ſuo formaſſe ideas, adeoque etiam habuiſſe intellectionem, item alia planè voluntate ſua decreviſſe objecta ab iis, quæ nunc decrevit. Sed reſpondeo; vel iſtam intellectionem, quâ alias formavit ideas, & volitionem, quâ alia decrevit objecta, eſſe plane eandem cum hac intellectione & volitione, quam ab æterno habuit, vel non eſſe eandem. Si non eſt, duplex utique erit intellectio & volitio: Si eſt, Ergo Deus ab æterno habuit iſtas ideas de omnibus rebus, quas ſupponimus habuiſſe de extenſione, triangulo, mente &c. & tamen plane habuit alias de omnibus rebus; & ab æterno decrevit planè alia objecta ab iis, quæ nunc ſupponitur decreviſſe, hoc eſt, non decrevit hæc objecta, quæ decrevit, quod planè eſt contradictorium. Inſtabis: Si Deus formaſſet alias ideas, non formaſſet has, quas jam formavit, & ſi decreviſſet alia objecta, non decreviſſet hæc, quæ jam decrevit, adeoque in Deo ſemper ſtatuetur actus unicus.

At

At cogitare debebas, comparationem à nobis inſtitui inter actum divini intellectus & voluntatis, quem nunc ponimus ab æterno in Deo fuiſſe, & illum actum intellectus & voluntatis, quem ſupponimus, in Deo eſſe potuiſſe, & quæri: An hic actus, qui fuit ab æterno in Deo, idem ſit cum eo, quem ſupponis ab æterno eſſe potuiſſe? hoc verò falſum eſſe demonſtravi, atque hinc jam infero, neceſſariò hunc actum eſſe debuiſſe; &, inde porrò colligo, quòd ſi alius fuiſſet actus, cenſendum ſit, etiam alium fuiſſe Deum, conceptum ſcilicet à nobis cum alio actu, quàm cum eo, cum quo nunc à nobis concipitur. Atque hinc porrò ſequetur, ideam Dei, quam de ipſo habemus, incertam eſſe & non neceſſariam: ſi enim alius poſſit eſſe Deus, etiam poterit alia eſſe Dei idea, ſicque illa, quam habemus, neceſſaria non poterit dici. Exinde etiam ſequetur, quòd ſi poſſet concipi alius Deus, quàm revera eſt, poſſe quoque fieri alium, qui ſic procul dubio non eſſet ſummè perſectus: acquireret enim perfectionem, quam non haberet. Omnis ergo diverſitatis capacitas omni modo à Deo eſt removenda, adeoque etiam capacitas aliter ab æterno intelligendi & volendi: hæc enim ipſa eſt quædam capacitas alicujus diverſitatis, quæ eo ipſo manifeſtam aliquam in Deo poneret imperfectionem.

§. XXIX. Addamus his omnibus, quod ſi Deus aliter potuiſſet intelligere & velle, quàm revera intellexit & voluit ab æterno, etiam Deus neceſſariò prior deberet concipi ſua Intellectione & Voluntate ſive decreto, ſicque nec intellectio divina nec decretum divinum abſolutè eſſent æterna Etſi enim Deus hinc non neceſſariò deberet prior concipi ſua intellectione & Voluntate, quam habuit ab æterno, dum ponitur aliam potuiſſe formare, ſicut homo dum hoc intelligit & vult ſimul eſt cum iſta intellectione & volitione, tamen prior tempore deberet concipi ea intellectione & volitione, ſive decreto, quam non formavit, quam tamen potuiſſe illam formare ſupponitur, ſicut homo prior eſt tempore iſto actu, quem quidem non habet, dum alium habet, ſed habere poteſt. Prior ergo neceſſario erit concipiendus hac ſua intellectione & volitione, ſive decreto, quam ſupponitur formare potuiſſe. Ponamus ergo, Deum loco iſtius intellectionis & volitionis, ſive decreti, quam ſupponitur facere potuiſſe: Ergo vice verſa debebit prior concipi hac ſua intellectione & volitione, ſive decreto,

quam revera formavit; atque ita Deus potuit tempore præceſſiſſe, ſuam intellectionem, quam formavit, & ſuam volitionem ſive decretum, quod fecit; qua ratione ſequetur, decreta divina non abſolute eſſe æterna. Hinc etiam porro ſequetur, Deum ſeipſo eſſe priorem & poſteriorem: priorem reſpectu potentiæ, poſteriorem ratione actus, quem dicitur potuiſſe habere. Quin imò hinc neceſſario conſtringeris, ut accidens admittas in Deo, ſi dicas, Deum ab æterno fuiſſe indifferentem ad hoc potius volendum, quàm aliud. Cùm enim accidens dicatur actus complens ſubſtantiam, quæ ad hoc erat in potentia, uti illud non malè definit Hoornb. Socin. Confut. Part. I. p. 371. ſi ponamus Deum ab æterno fuiſſe indifferentem ad aliud volendum, quàm voluit, neceſſe eſt, ut ſequatur, fuiſſe Deum in potentia, & ſic, ubi concipies, hoc ipſum actu voluiſſe, quod revera voluit, dices iſtum actum complevisse divinam ſubſtantiam, quæ prius concipiebatur ad hunc fuiſſe in potentia.

§. XXX. Pugnat etiam cum Dei immutabilitate, ſi cenſeatur, Deum ab æterno potuiſſe habere ab æterno alium intellectionis & volitionis actum, quàm revera habuit. Talis enim actus, qui potuiſſet non eſſe, ſive cujus contrarius potuiſſet eſſe, revera merum eſt accidens: ita enim adeſt, ut poſſit abeſſe: At accidens non poſſet concipi in Deo ſine manifeſta mutationis poſſibilitate; & cùm nihil ſit in Deo, niſi quod ſit ipſe Deus, non tantùm ſic inferretur mutabilitas intellectus & voluntatis, ſed etiam ipſius divinæ eſſentiæ. Dein, ſi Deus potuiſſet alium actum habere ab æterno, quidni etiam nunc poſſet? Ergo unum cum alio poſſet nunc mutare, ſicque immutabilis non eſſet. Neque eſt quod dicas: Quando ſemel Deus habuit aliquem actum, nunc non poſſe habere alium, ne mutetur. Nam cùm actum hunc, quem habuit, habuerit ab æterno: Ergo inferendum erit, ab æterno non potuiſſe habere alium, ne mutetur, quod eſt id, quod volumus.

§. XXXI. Aliud etiam hîc ſe offert nobis conſiderandum, nempe, quòd, ſi hic ipſe actus divinæ intellectionis & volitionis, qui fuit ab æterno, potuerit non eſſe, inde ſequatur, hunc non eſſe neceſſariò & per conſequens, non eſſe actum divinum & increatum, adeoque eſſe in Deo aliquid non divinum, eſſe in Deo actum creatum & aliunde dependentem, quæ omnia ſuâ abſurditate collabuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

tur. His adjicimus argumentum à poſteriori. Conſtat ex dictis, Deum iſto actu æterni voluntatis & intellectus, quem alium eſſe non potuiſſe variis confecimus hucuſque argumentis, conſtituiſſe & ordinem Univerſi, & quemvis ordinem particularem, qui has vel illas particulares ſpectat creaturas peculiares. Quod ſi verò Deus alias potuiſſet ſuo intellectu conſtituere rerum eſſentias & alias res exiſtentes decernere ſua voluntate, quàm revera conſtituit & decrevit, potuiſſet alius ordo univerſi, alius ordo particularis rerum quarumvis particularium conſtitui & ordinari. Sic ergo Deus conſtituens hunc ordinem ſive univerſalem ſive particularem, qui nunc eſt, non eum optimum omnium conſtituiſſet, cùm juxta iſtam hypotheſin alius æquè bonus eſſe poſſet atque ita Deus non ſemper faceret id, quod eſt optimum, nec eſſet perfectiſſimus Artifex, quo non melior & perfectior concipi poſſet. Atque hinc apparet, non nos finitâ decempedâ noſtri intellectus velle limites ponere divino intellectui & voluntati, ſed tamen naturam Dei ſummè Boni nos jubere, ut ab eâ removeamus indifferentiam, quæ imperfectionem aliquam neceſſario infert. Nunquam ea locum habet, niſi propter ignorantiam. Quando nulla menti occurrit ratio, quæ ei unum magis quàm aliud perſuadeat, indifferens eſt quàm maximè ad utrumlibet affirmandum vel negandum : At ſumma Sapientia, quæ eſt in Deo, non permittit, ut ei nulla occurrat ratio ad hoc potius volendum & decernendum, quàm aliud. Deus eſt pura ratio, inquit Thom. Anglus de Fide p. 316. & per conſequens nihil poteſt præter rationem agere : Quod ergo judicavit, quod voluit ab æterno non judicavit & voluit præter rationem, adeoque ejus contrarium non potuit velle, quòd iſtud præter rationem voluiſſe ſit cenſendus. Non ergo Deus ab æterno Indifferens fuit ad hoc potius judicandum & volendum, quàm aliud, ſed ſapientiſſimè id judicavit & voluit, nec propterea aliud potuit velle. Vidit nempe Deus infinito ſuo intellectu omnia poſſibilia, vidit neceſſariò, non potuit non videre, quin imò hoc ipſo ſuo intellectu ea omnia conſtituit, vidit neceſſario omnia quæ ſunt optima, quæ eo ipſo non potuit non decernere, præſertim cùm inter ipſius intellectum & voluntatem ſumma ſit identitas. Nobis quidem videri poteſt, multa Deo eſſe indifferentia, ſed id omne inde habet ortum, quòd totum naturæ ordinem non intelligamus, quem ſi comprehenderemus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

mus longè aliud formaremus judicium. Hæc tamen argumenta ſatis oſtendunt ipſius Dei naturam eſſe talem, talia ejus eſſe attributa, ut ei repugnet indifferentia. Sed res illa adeo eſt manifeſta, ut hæc ipſa quæſtio ſit planè contradictoria: *An Deus ab æterno fuerit indifferens, ut aliter potuerit intelligere & velle, quàm revera intellexit & voluit?* Senſus hujus quæſtionis eſt: *An Deus*, h. e. An actus ille, qui omnia intelligit & vult, & à quo omnia dependent, qui unicus eſt, qui eſt ſimpliciſſimus, qui eſt æternus & ante quem nihil eſt, nihil eſſe poteſt; *ab æterno*, ante quod nihil eſſe poteſt, *potuerit aliter intelligere & velle ac intellexit & voluit* h. e. an ante actum illum, ante quem nihil eſt, nihil eſſe poteſt, potuerit eſſe actus alius, vel, an loco iſtius actus, qui unicus eſt & ſimpliciſſimus, potuerit eſſe alius, h. e. An potuerit eſſe alius Deus? Dein *poſſe* Deo non tribuitur, niſi reſpectu ejus, quod nondum fecit, quod tamen facere poteſt. Ita Potentia creandi Deo tribuitur ab æterno, quamvìs in tempore demum mundum creaverit. Sic ergo Potentia quidem concipi poteſt in Deo reſpectu & oppoſitè ad actum, qui nondum eſt, qualis eſt Creatio, quæ fit in tempore: ſed non poteſt concipi reſpectu & oppoſitè ad actum, qui jam eſt, & qui ab æterno eſt. Non ergo poteſt dici, Deum potuiſſe ab æterno alium formare actum, quàm formavit, h. e. Deum habuiſſe ab æterno potentiam alterius actus, niſi planè ſtatuas, Deum fuiſſe ab æterno indifferentem ad hunc vel illum actum, quem tamen ab æterno habuit, & niſi neges, illum unicum actum divinum eſſe Deum, quemadmodum dici poteſt, hominem dum ambulat, habere potentiam ſedendi, quia actus ambulandi non eſt homo.

§. XXXI. Atque ex his omnibus argumentis ſatis patere videtur, Indifferentiam ab omni actu divino ſive intellectus ſive voluntatis eſſe quàm longiſſimè removendam. Habet illa ſententia conſentientes Theologos; Vidimus antea Thomæ Angli Pontificii Theologi verba, quæ accuratiſſimè cum hâc ſententiâ vidimus convenire. Inter Theologos Reformatos citemus duos ex celebrioribus. Primus eſt Twiſſus in Vindiciis Gratiæ in Præfat. ſect. 3 not. 1. Si aliquid *à Deo profectum eſſe oſtenderimus, omninò juſtum eſſe & à Deo jure factum eſſe cenſendum eſt, quamvis judicio rationis humanæ abſonum videatur.* Libro I. Part. Tert. Digreſs. 3. dum contra Bonaventuram diſputat, ita inquit: *Sic enim ſtatuimus, divini operis univer-*

ſi ſplendorem & gloriam ex ſerie rerum à Deo ordinatâ ſic compleri, & perfici, ut ſi quâvis ex parte immutaretur, univerſæ pulchritudinis & operis totius venuſtati decoris aliquid decederet. Hoc enim exigere videtur infinita Dei ſapientia. Quomodo autem compleatur & perficiatur ſplendor iſte; item quomodo ex quâvis immutatione minueretur, noſtram rationem atque intelligentiam prorſus fugit. Idem Lib. III. de Erratis ſect. 7. *Tam impoſſibile eſt actum volendi Deo ſuboriri poſſe de novo, quàm ipſum Deum oriri de novo, quandoquidem actus volendi in Deo idem realiter eſt ipſi Deo.* Addamus ex altero Theologo non minus celebri quædam ex Summa Theologiæ. cap. XIV. Sic ille §. 5. *Facile intellectu eſt, aliquid contra perfectionem & virtutem Dei poſſe teſtari in aliquo ordine, quòd in ſe ipſo aut alio ordine eam non obſcuraret &c. tamen ea non decent Deum neque ſapientiam ejus & virtutem teſtantur, ſi non ordinentur, quo convenit, ordine* §. 6. *Non eſt poſſibile, neque ut voluntas Dei non fiat, neque ut voluntas Dei ſit non ſapiens & juſta.* §. 7. *Cavendum eſt, ut dicamus omnia Deum facere poſſe potentiâ abſolutâ, quæ ab hominibus cogitari poſſunt, quaſi* ordinatio potentiæ, *ut loquuntur, ſit à ſolo decreto, & non pendeat à decentiâ & ſapientiâ* §. 30. *Ita ut Deo ſanè liberum fuerit aliquid condere vel non, & omnia, quæ ſunt, nullo modo neceſſe habeant eſſe, ſi in cumulo accipiantur: in ipſâ tamen diſpoſitione & ordinatione gubernationis ex hypotheſi detur neceſſitas, quemadmodum & operis pulchritudo creaturæ aliquam ſpeciem, intellectu præditam videlicet, exigebat.* Videatur etiam Mareſius Hydr. Socin. I. p. 210. *Deus* inquit, *non aliter* movetur *ad aliquid volendum & decernendum, quàm prout intelligit ſuæ bonitati, ſapientiæ, libertati, gloriæ expedire, ut ita fiat & conſtituatur.* Conſideretur porrò, hanc communem eſſe Theologorum Reformatorum ſententiam, repugnare Deo ut peccatum absque prævià ſatisfactione impunitum relinquat, item, ut hominem primum Deus condiderit in ſtatu puræ naturæ, in quo nec ſit ſanctus nec peccator, ſive, nec juſtus nec injuſtus, nec felix, nec miſer. Sic quando quæritur, quare Deus potius elegerit Petrum quàm Judam? ſolent Theologi reſpondere, conſtare Deo ſuas rationes, etſi nos illas ignoremus. Et cùm illæ non ſint in Petro, quaſi ipſe melior fuerit, quàm Judas, non potuerunt illæ aliunde ſumi, quàm ex Dei ſapientiâ, quâ ordinem rerum conſtituit omnium optimum, quem quia nos ignoramus, non poſſumus rationes iſtius conſilii divini reddere. Controverſia quoque quæ Theologis Reformatis intercedit cum Socinianis de diſtin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ctione attributorum divinorum à divinâ naturâ. Huic ſententiæ ſic rectè ſe opponit Cl. Hoornbeek Socin. Confut. I. p. 329. *A Deo exulat omnis omninò compoſitio, quia omnis ab eo* potentialitas; *eſt enim Deus purus & neceſſarius, ac perfectiſſimus actus, nec in ſe, neque ab alio actuandus; quod neceſſe eſſet, ſi quidem in potentiâ foret ad nullum actum.*

§. XXXIII. A Voluntate Dei non differt Dei Potentia, niſi quadam relatione. Potentiam enim omnem, ſive ea in rebus creatis, ſive in Deo ſpectetur, plane reſpectivum quid ſonare certum eſt; relationem enim infert ad effectum, qui nondum eſt productus, qui dum ad aliquam Rem refertur, comparatione iſtius effectus cum illa re inſtituta dici poteſt, ab illa vel poſſe produci, vel non produci poſſe. Si effectus ille ſit talis, ut implicet contradictionem, ſive, ut ſubſtantia rei ſit inconceptibilis, res illa non res, ſed nihil eſt, & per conſequens effectus dici non poteſt, ac proin non poteſt referri ad efficiens, neque poteſt quæri, an produci poſſit? Sed ſi ſubſtantia rei non ſit inconceptibilis, quamvìs rei modus ignoretur, poteſt illa res dici poſſibilis, tantùm nunc videndum, cujus potentiæ reſpectu Poſſibilis ſit dicenda. Potentia ergo eſt aliquid reſpectivum, & per conſequens, aliquid abſolutum, in quo fundetur, ſupponit. Duo autem ſunt rerum genera, aliud rerum extenſarum, aliud eſt rerum cogitantium, uti ſuperius quoque fuit obſervatum. Res extenſæ in ſe ipſis ſine motu conſideratæ nihil ſunt aliud, quàm bruta quædam moles, quæ nihil poſſunt efficere, nihil habent virium, nihil potentiæ, ſed tùm demum dici poſſunt aliquid poſſe, quando ſunt in motu, quem motum quia poſſunt in alia corpora transferre, atque ejus ratione aliquam mutationem in iis, producere, dicuntur habere potentiam illud ipſum efficiendi. Res verò cogitantes planè aliter ſe habent; & quidem quod ſpectat earum intellectum, ſi non habeat implicatam voluntatem, aliquam habent ſimilitudinem cum mole illa bruta, quæ eſt ſine motu, ſine ulla agitatione; voluntas verò comparari poteſt cum motu, quem habent res extenſæ, unde etiam, dum volumus, dicimur ferri in illud objectum, quod volumus, atque ita metaphoricè latio aliqua & motus Voluntati aſſignatur. Quando ergo in rebus cogitantibus finitis eſt voluntas, quâ illæ res aliquem effectum producere volunt, ſi poſitâ iſtâ voluntate ſequitur effectus, dicitur res iſta co-

gi-

gitans finita habuiſſe potentiam ad illum effectum producendum, &, ſi nihil ſit immutata, etiam adhuc habere potentiam ad ſimilem illi effectum efficiendum. Atque ita potentia finitarum mentium major vel minor eſt pro earum eſſentiæ majori vel minori perfectione. Sed cùm Dei eſſentia ſit infinita ob infinitam ejus perfectionem, quæ *ſimpliciter eſſe* in ſe comprehendit, non poteſt ejus Potentia niſi ut infinita intelligi, quæ etiam propterea *Omnipotentia* ſolet dici, id quod V.tum jam eſt Attributum, ad quod ordine meditando ſumus provecti. Nihil ergo eſt aliud iſta Potentia Dei infinita, quàm Voluntas Dei, prout ad res, quæ per eam producantur, refertur, quatenus iſtæ res conſiderantur ut nondum ab ea productæ.

§. XXXIV. Atque hinc apparet res poſſibiles dici non ante Dei potentiam conſideratas, ſed illius poſſibilitatis fundamentum omne in Dei potentiam atque ejus intellectum & voluntatem refundi. Habent enim omnes illæ, quæcunque ſub cogitationem noſtram poſſunt cadere, omnem ſuam eſſentiam, adeoque omnem ſuam realitatem à voluntate divinâ, quâ poſitâ ſequitur, illas à Deo poſſe produci, quod nihil aliud ſignificat, quàm, poſſe Deum efficere, ut illæ res exiſtant. Radix igitur poſſibilitatis nihil eſt aliud, quàm divinus intellectus & voluntas adeoque divina Potentia. Quòd ſi verò poſſibile aliquid deberet concipi ante divinam potentiam & voluntatem, ſequeretur, divinam voluntatem & potentiam ab illa re dependere, & propterea Deum illam rem poſſe producere, quia illa ſit poſſibilis, quod planè pugnat cum iis, quæ in ſuperioribus fuerunt demonſtrata. Sic enim non omnia à Deo dependerent, ſed è contrario Deus ab aliquâ re dependens eſſet concipiendus. Huc quoque nos ducit recepta definitio poſſibilis: *Poſſibile eſt, quod à certâ causâ poteſt produci:* præſupponit ergo in ſuo conceptu conceptum cauſæ, & per conſequens eâ eſt poſterior. Sic igitur non dicendum eſt, ideo Deum aliquid poſſe, quia eſt poſſibile, ſed ideo aliquid eſſe poſſibile, quia Deus illud tale conſtituit. Neque tamen propterea evertimus diſtinctionem inter ea, quæ repugnare dicuntur à parte Dei & inter illa, quæ à parte rei implicant, ſive impoſſibilia. Quæ enim dicuntur repugnare à parte Dei ea dicuntur pugnare cum Dei naturâ explicatâ per quævis attributa divina diſtincta ab ipſius voluntate, ſed quæ dicuntur pugnare à parte rei ea re-

pugnant rei ipſi, prout ſuam accepit eſſentiam à divinâ voluntate & ſic quoque per conſequens divinæ potentiæ, ut juxta ea, quæ ſupra obſervavimus, etiam queat dici, illa repugnare divinæ potentiæ. Non verò iſtius diſtinctionis hic poteſt eſſe ſenſus, quòd quædam citra Dei voluntatem talem habeant naturam, per quam repugnet illis hoc vel illud attributum, cùm in ſuperioribus fuerit oſtenſum omnem realitatem, omnen eſſentiam & naturam uniuscujuſque rei à Deo dependere.

§. XXXV. Conſiderandum autem porrò hîc eſt, quoniam Deus per intellectum ſuum ab æterno conſtituit rerum eſſentias, adeoque omnia illa, quæ ad illam ullo modo pertinent & referri poſſunt, & dein ab æterno voluit quoque exiſtere ſuo quævis ordine, quæ vel jam extiterunt, vel nunc ſunt, vel porrò ſunt futura, obſervari debere duplicem Ordinem à Deo eſſe conſtitutum, alium qui pertinet ad rerum eſſentiam earumque proprietates, actiones & effecta, quibus agunt inter ſe invicem & patiuntur, alium, qui pertinet ad earum exiſtentiam. Ordinem priorem dicemus Ordinem Particularem, quod certum genus rerum, non omne ſpectet. Ita alius eſt ordo inter res extenſas, alius inter res cogitantes. In rebus extenſis gravia tendunt deorſum & levia aſcendunt ſurſum, ignis comburit & diſſolvit ea corpora, quæ combuſtioni ſunt obnoxia, & propterea combuſtibilia ſolent dici, atque ita de aliis quorum omnium ordo per leges naturæ ſolet deſignari. Inter res cogitantes alius eſt ordo inter homines, alius inter angelos, alius inter animas ſeparatas; hoc tamen commune eſt omnibus rebus cogitantibus, atque hæ earum omnium ſunt leges, ut debeat judicium ſequi non niſi poſt claram & diſtinctam perceptionem, atque propterea omnes debeant ſubjici tanquam creaturæ rationales ſuo Creatori & Domino. Sic verò orietur nova poſſibilium diſtinctio ex, quibus alia ſunt talia, quæ non repugnant Particulari rerum ordini, alia verò quæ non repugnant Univerſali ordini; inter quæ comparatione inſtituta poteſt dici, multa eſſe Poſſibilia, quatenus non repugnant ordini alicui Particulari, quæ tamen ſunt Impoſſibilia, ſi referantur ad Ordinem Univerſi. Etiam hinc liquet, Poſſibilium poſterius genus non poſſe diſtingui ab iis, quæ ab æterno erant futura, ea enim quæ facta ſunt, fiunt, & poſtea fient ab æterno divinitus ſunt conſtituta, ut exiſtant & fiant ſuo tempore, adeoque in illâ conſtitutione divina conſiderantur ut ſunt futura; quæ jam vidimus eſſe illa ipſa, quæ ra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ratione iſtius Ordinis Univerſalis dicuntur poſſibilia. Neque tamen propterea imminuitur Potentia Dei, quin potius eo ipſo illam auctiorem & pleniorem concipimus. Plura enim Deus facturus eſt quàm fecit; quamdiu ergo nondum fecit, aſſignamus ei hanc Potentiam, ut dicamus, Deum plura poſſe facere quàm adhuc fecit, imò dicimus eum infinities plura poſſe facere quàm fecit; neſcimus autem, quænam adhuc ſit facturus, atque inde eſt, quod neſciamus Dei potentiam, neque eam poſſimus conceptu noſtro finito exhaurire. Quatenus ergo conſideramus, Deum ſemper aliud atque aliud efficere, colligimus inde, non repugnare ei, ut in infinitum plura alia efficiat atque operetur, atque ita dicimus eum infinities plura poſſe facere, quàm fecit, imò quàm nos intelligere poſſumus ſicque ejus Potentiam dicimus infinitam & Omnipotentiam, quia nihil poteſt concipi, quod Deus efficere non poſſit, quod jam antea

§. XXXIV. annotatum fuit. Quamvis autem Deus ea, quæ non repugnant ordini alicui particulari, non ſit effecturus, niſi eâtenus, quâtenus ad ordinem univerſalem referuntur, ſive ad ipſum rediguntur, quia tamen illa ut hoc reſpectu poſſibilia ſpectavimus, poſſumus hoc ſenſu dicere, Deum illa poſſe efficere, hoc eſt, Deum habere illam potentiam, juxta quam etiam hæc ipſa poſſent ab ipſo effici, ſi non repugnarent ordini Univerſali, utpote ad illum non redacti, vel ei ſubordinati aut innexi. Hoc verò ſuppoſito, quòd ei repugnent, dicendum eſt, Deum ea non poſſe, quia non poteſt mutare illum ordinem univerſi, quem reverâ conſtituit, neque alium ab æterno potuit conſtituere, quia aliter non potuit velle, quàm reverâ voluit. Quando enim in Deo Potentiam concipimus, referimus eam ſemper ad ea, quæ ſunt poſſibilia non ad impoſſibilia: impoſſibile eſt mutare ordinem univerſi, vel alium ab æterno à Deo eſſe conſtitutum, prout in ſuperioribus oſtendimus.

§. XXXVI. Expendi etiam velim, quòd ſi omnia ex neceſſitate neſcio quá Naturæ ſint talia, qualia ſunt, & ab æterno fuerunt, neque alius Deus à Mundo diſtinctus ſit concipiendus, à quo omnia & nunc dependeant & dirigantur & ab initio ſint condita per efficacem ipſius voluntatem & nutum, an etiam ab æterno fuerint homines, animantia, & reliqua omnia, quæ nunc ſunt, an verò certo quodam tempore fuerint orta? Quod ſi dicas, certas quaſdam eſſe naturæ leges, juxta quas quidlibet fuerit ſuo tempore & porrò ſit futurum, rogabo, ut pandas nobis illas leges, &

quænam ſint demonſtres, unde illæ? à quo ſint poſitæ? Quis ille nexus rerum inter ſe invicem? unde ille nexus? Dices fortè cum Spinozâ *rerum mutabilium ſeriem non poſſe intelligi* p. 388. & p. 439. *te ignorare, quomodo unaquæque pars cum ſuo toto cohæreat.* Quid ergo nobis obtrudis illum nexum, illam rerum mutabilium ſeriem, quam non intelligis ipſe? Unde probas quòd detur talis nexus, ſi neges eſſe aliquem à mundo diſtinctum, qui ſit iſtius nexus auctor? Si dicas, omnes in mundo res à ſe ipſis hoc habere, ut certo quodam tempore incipiant, alio deſinant eſſe, quæram quomodo hoc intelligas? An putes ab una aliquâ ex illis rebus, quarum congeries mundum conſtituit, id eſſe, ut certo quodam tempore aliquæ res incipiant eſſe, alio tempore deſinant, an ab omnibus ſimul? Si prius eligas, quænam quæſo erit illa res ex iſtâ congerie, quæ tantam habeat potentiam? Si dicas, eſſe mentem infinitam, quæ omnibus aliis rebus certum ortum & finem, certas oriendi & deſinendi leges poſuerit, hæc mens erit ille Deus, quem nos colimus & prædicamus, quem tu cum mundo conjungis, ſed nos meliori jure à reliquis rebus, quarum eſt auctor & origo, ſejungimus & diſcernimus. Nec tamen foret tunc inter nos magna quæſtio, niſi de nomine, ſi eo uſque velis reſipiſcere; id enim convenienter tuis principiis dicere non potes. Si verò mentem finitam eſſe velis auctorem & originem reliquarum omnium rerum, unde habebit illa tantam potentiam ſi finita fuerit? A ſe ipſa utique eam habere non poteſt, cùm ſibi ipſi non ſufficiat, & per conſequens nec ſufficere poſſit aliis. Si dicas corpus habere iſtam potentiam, multò adhuc eris abſurdior, ut tribuas rei brutæ & planè dependenti ab alterius potentiâ eam vim & potentiam, per quam alia omnia ab ipſo dependeant. Si poſterius ſtatuas, & velis, ab omnibus rebus, quæ in mundo ſunt, ſimul ſumtis hoc eſſe, ut ſecundum certas leges oriantur & deſinant, quum illa omnia ſeparatim id non habeant, quomodo habebunt illud conjunctim? Et an non hîc eſt quæſtio de nexu, quem habeant inter ſe invicem, qui propterea debet habere aliam quandam originem, quàm ab ipſis illis rebus. Si dicas illum nexum eſſe à naturâ iſtarum rerum, oſtendas ergo quomodo ille nexus fluat à naturâ iſtarum rerum, in quo jam antea te hærentem vidimus. Et quænam eſt illa natura? An bruta eſt? An verò conſiſtit in iſtarum rerum conſenſu! Omnes ergo illæ eruntmentes, & quidem finitæ? Et

ſic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſic iterum redeunt priores quæſtiones, unde illæ habeant potentiam tantam? Non ergo quocunque & in quaſcunque te verteris formas, poteris oſtendere mundum eſſe Deum, quo tamen omnes cogitationes Spinozæ collimare hucuſque vidimus, quicquid de Origine Naturæ ſermocinantem viderimus.

§. XXXVII. Sicut autem Voluntas Dei eſt Potentiſſima, ita ea quoque eſt planè Libera, quæ *Libertas* divinæ voluntatis adeoque ipſius Dei eſt attributum iterum Dei, quod jam VI·to loco nobis venit conſiderandum. Sed hîc accuratè attendendum, ut dignum Deo conceptum formemus. Non poſſumus autem eam in indifferentiâ collocare, quæ pro perfectione ne quidem in homine haberi poteſt. Quin imò homo eò perfectius agit, quò minus eſt indifferens, quando rationes boni & veri ſatis evidenter perſpexit, ut certò & infallibiliter eo feratur. Indifferentia vero iſta ignorantiam quandam ſupponit, quæ cum Dei ſumma perfectione pugnat. Etiam ad iſtam Libertatem divinam concipiendam non ſufficit, ſi formemus conceptum eundem de divinâ libertate cum eo, quem formamus de libertate humanâ, de quâ dum cogitamus, eam in non coactione conſtituimus; omnia enim, quæ de eâ dicuntur, huc redeunt. Si enim dicas, eam conſiſtere in ſpontaneitate vel lubentiâ, dicis eam conſiſtere in non coactione; ſi dicas, eam conſtitui in eo, quòd idem agere vel non agere poſſimus, conſiſtet ea in non coactione, quod non ſumus coacti ad agendum hoc potius quàm illud; ſi verò cum Carteſio ſtatuas, eam in hoc eſſe ſitam, quod ad id, quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum proſequendum vel fugiendum ita feramur, ut à nullâ vi externâ nos ad id determinari ſentiamus, nihil aliud dices, quàm non coactionem. Sic enim non excluditur vis externa, quæ poteſt agere in noſtram voluntatem, quæ poteſt iſtam voluntatem determinare, ut tamen iſtam determinationem non ſentiamus tanquam à vi externâ profectam. Iſta enim vis externa vel determinat membra corporis ad faciendum id, quod maximè repugnat voluntati, & tunc illa vis ſentitur quidem, ſed voluntas ei reluctatur, totâque ea voluntate non conſentiente exſeritur, vel efficit, ut ipſa voluntas tandem conſentiat, ſed non abſolutè, quòd illam ipſam rem probet, ſed quòd judicet, melius & tutius hoc fieri, quàm aliud, ſive, quod ex duobus malis & adverſis voluntati noſtræ,

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quorum neutrum ei probatur abſolutè, eligat illud, quod eſt minus, cujusmodi actiones *Invitæ* ſolent appellari; ubi quia vis aliqua ſentitur, quamvìs ei non repugnemus, non abſolutè libera dicitur voluntas; *vel* efficit occultâ quadam operatione, ut voluntas ſponte id velit, ad quod iſta vis externa determinat, & ſic libertatem plenam relinquit, qualis quidem in creaturas cadere poteſt, quæ eo ipſo quà tales non poſſunt eximi à vi divinæ operationis, quæ extrinſeca eſt ipſis, eo quòd non eſt illarum, ſed Dei. Dum enim determinari dicitur mens ad hoc vel illud volendum, nihil aliud fit, quàm ut producatur nova quædam volitio & cogitatio. Sicut enim quando mens primùm producitur cum ſuâ primâ cogitatione, id ea ſentire non poteſt, adeoque non poteſt dici ſentire vim illam, per quam ad primam cogitationem determinetur, ſic enim ſupponeretur jam antea extitiſſe adeoque cogitando circa aliud objectum fuiſſe occupatam, ita etiam quando mens conſervatur, & ſic porrò producitur nova cogitatio, non poteſt dici ſentire vim, per quam ad illam cogitationem determinatur, quoniam eodem modo ſe habet ac ſi prima cogitatio produceretur: quia præcedens jam non amplius eſt, ſed eſſe deſiit, adeoque nihil nunc eſt, quando ſequens producitur cogitatio. Deus nec vim talem ſentit, dum vult, nec ulla vis eſt extrinſeca, quæ in ipſum agat, vel movere illum poſſit. Libertas igitur Dei non tantùm omnem coactionem à Deo removet, ſed etiam omnem dependentiam, omnem actionem externam cujuscunque rei in ipſius voluntatem. Eſtque illa longè major & excellentior, quàm in ullis creaturis, quæ etiam in actibus ſuis liberis à Deo dependent. Et ſic rectè Cl. Poiret in ſuis cogitationibus rationalibus de Deo, Libertatem Dei definit *actum, cujus principium eſt in ipſo Deo & ab ipſo.* Tantum autem abeſt, ut iſta Independentia, debeat negari naturam Libertatis divinæ conſtituere, ut nihil magis videatur obeſſe voluntatis libertati, quàm dependentia ab alio. Hinc eſt, quod humanæ voluntatis libertatem, nequeamus conciliare cum dependentia ejus à divina potentia & operatione, quòd natura quaſi ſponte ſua videatur nobis ſuggerere talem Libertatis conceptum, quo res libera ut independens concipitur. Quod tamen eò tantum inſervire debet, ut cogitemus gradum libertatis in homine longè minorem, quàm eſt in Deo, qui ideo liber tantùm dici poteſt, quòd vim externam agentem in ſuam voluntatem

nul-

nullam ſentiat, eò quòd iſta vis externa Dei omnipotentis ipſam volitionem efficiat & operetur.

§. XXXVIII. Sic facile nunc cum Libertate Dei ſumma illa, quæ in Dei volitione eſt, Neceſſitas conciliatur & accuratè convenit & concordat, tantum abeſt, ut debeat cenſeri, ſi Deus ab æterno non potuit aliter velle, quàm revera voluit, fore ut non liberè voluerit; qui enim ita cenſent, illi Libertatem Dei in quadam indifferentia conſtituunt, quæ tamen in Deum non poteſt cadere: at ſi vera Libertatis divinæ ſpectetur natura, quòd in mera Independentia conſiſtat, quodque nihil ſit, quod Deo neceſſitatem imponat, nulla vis, quæ ipſum determinet, vel in ipſius voluntatem agat, iſta neceſſitas Volitionis divinæ & determinatio ad unum volendum, ut ne quidem aliud velle poſſit, tantum abeſt, ut Dei Libertati poſſit dici repugnare, ut potius cum ipſa quàm maximè concordet. Ad Dei naturam requiritur Velle, nec poteſt concipi Deus ſine voluntate, uti in ſuperioribus eſt evictum; iſtud Velle non aliunde dependet, neque ulla vis eſt, quæ Deum ad volendum vel ad volendum hoc aut illud determinet, eſt ergo Ens quàm maximè Liberum, ut pote planè Independens ab omni vi extrinſeca; quia tamen ad Dei naturam requiritur prout ſupra evictum eſt, ſummè Neceſſarium, neque ullo modo concipi poteſt quòd à natura divina poſſit abeſſe; eſt quoque divina perfectio, ut velit illud, quod omnino eſt optimum, unde demonſtravimus ipſum aliud ne quidem velle potuiſſe. Neceſſitas igitur illa eſt ex Dei natura, quæ ipſa quoque ratio eſt, ut ſit ſummè Libera ejus voluntas. Neque hinc ullo jure cenſeri poteſt, Deum non agere omnia ex abſoluto beneplacito ſuæ voluntatis, cùm è contrario ex hoc ipſo debeat colligi, eum, quàm maximè agere omnia ex divinæ voluntatis beneplacito; nihil enim agit coactè, nihil agit ex neceſſitate extrinſeca, nulla vis externa eſt, quæ ipſum determinet, omnia agit ex abſoluta ſua voluntate, quæ jure merito Beneplacitum Dei poteſt appellari. Tantum ergo abeſt, ut ſumma Dei Libertas & ſumma Neceſſitas hoc ipſum volendi, quod Deus ab æterno voluit, inter ſe invicem pugnent, ut potius planè inter ſe invicem conſpirent, & ſe mutuo ponant.

XXXIX. Varia hactenus conſideravimus, quæ ad Voluntatis divinæ explicationem quàm maximè facere poſſunt, quæ tantùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

eam in communi nobis objecerunt; quare nunc diſtinctius nobis eſt conſiderandum, quomodo ad varia objecta referatur, atque ita juxta diverſos noſtros actus, quos circa eam poſſumus formare, ille unicus & ſimpliciſſimus actus divinus nobis eſt in diverſos actus diſtribuendus & dirimendus. Quantumvis autem certi ſumus, Deum unico eodemque ſimpliciſſimo actu ſimul omnia intelligere & velle, ſi tamen nos in contemplatione iſtius ſimpliciſſimi actus velimus occupari, non poſſumus ob finitudinem noſtri intellectus eum ſimul & ſemel concipere, cùm æquivaleat infinitis actibus humanis, & quamvis per varios noſtros actus quaſi dividamus & diſcerpamus illum, non tamen, ne tunc quidem unquam exhauriemus & nunquam omnes creaturæ ſimul exhaurire poterunt omnia, quæ in illo poſſunt ſpectari. Ut tamen quovis modo eum animo noſtro repræſentemus, oportet eum ſic in varios quaſi actus diſpeſcere & diſtribuere, ut inter illos ordinem prius commodum inſtituamus, atque ut priora conſideremus ea, quæ ad reliqua intelligenda poſſunt aditum parare. Supponamus igitur Deum tot diverſos actus voluntatis ſuæ edidiſſe, quot poſſumus ex natura ſua diſtinguere, ſive, quot actuum diverſas rationes formales poſſumus formare & nobis repræſentare, laborandum ergo reſtat tantùm de ordine, quo eos diſtinctè noſtræ menti repræſentemus. Montem ſupponamus, cujus magnitudo noſtrum planè ſuperat viſum, ut nequeamus, unico actu videndi nobis repræſentare, aciem ergo oculorum ſic dirigamus, ut quod non poſſumus una vice, progrediendo ab una parte montis ad aliam, faciamus diverſis viribus repetitis; ſic tandem viſu magnitudo ejus percipietur: Deus verò non tantùm magnus eſt perfectione, ſed planè infinitus, & quamvìs ille ſit unicus & puriſſimus actus, æquivalet infinitis actibus infinities repetitis; in horum igitur actuum cognitione ſi occupemur tantum intelligemus de Deo, quantum intelligimus iſtorum actuum, quia tamen illi actus, quibus æquipollet iſte unicus actus, ſunt infiniti, nunquam exhauriemus noſtra cognitione divinam eſſentiam & perfectionem infinitam, quamvìs in illius cognitione in infinitum ulterius atque ulterius poſſimus progredi & proficere. Hæc verò ſuppoſitio de Deo tot edente actus diverſos ſuæ voluntatis, quot poſſumus nobis actuum diverſas rationes formales repræſentare, etſi ſit impoſſibilis, nos tamen juvare poteſt ad formandos diverſos con-

ce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ceptus, quibus nos diverſas de Deo veritates cognoſcamus & earum inter ſe connexionem intelligamus. Nec quicquam illa impedimenti afferre poteſt vel confuſionem parere, cùm ad diſtinguendum tota ſit directa & eò unicè quoque tendat & faciat; tantùm cavendum ab omni alia ſuppoſitione, quæ Dei aliquem actum nobis exhibeat, qui aliquid humani, aliquid creati, ſive quid hujusmodi, quod imperfectionem creatam includat, repræſentet.

§. XL. Jam antea ex hâc ſuppoſitione, quòd nobis liceat unicum actum divini intellectus & voluntatis in diverſos actus diſcerpere, conſideravimus tanquam primum prout illa, quæ extra ſe ſunt, reſpicit, eum actum, quo Deus conſtituit omnium rerum eſſentias, adeoque unà omnes earum proprietates, quæ ab eſſentiâ non differunt, quem iterum licet in tot actus diſpeſcere, quot ſunt eſſentiæ rerum creatarum. Hîc locum habet ordo rerum particularis, qui res ipſas ſpectat, prout ſic Deus conſtituit certam quandam inter eſſentiam & proprietates conſecutionem atque ſeriem. Hinc verbi gr. Angeli habent hanc potentiam, ut queant hominum corpora deſtruere, homines plurimos uno eodemque tempore occidere, uti Scriptura Sacra docet factum circa primogenitos in Ægypto, ut & in Senacheribi exercitu, atque ita de aliis. In creaturis verò rationalibus præter illum ordinem particularem, qui ſpectat tantummodo earum eſſentiam & proprietates earumque cum eſſentiâ & inter ſe invicem connexionem, adhuc alius ordo ſpectandus eſt particularis, qui non niſi hîc locum habere poteſt. Ex natura ſuâ hoc habent illæ, quòd cognoſcant, & quòd de iis quæ cognoverunt, judicent & variis modis in illa voluntate ferantur vel ea averſentur. Ordo hic eſt particularis ſic à Deo conſtitutus, quatenus intellectus & judicium & voluntas iis ſunt conceſſa. Sed voluit Deus præterea, ut cùm iſti actus intellectûs, judicii & voluntatis variis modis poſſint concinnari, ut judicium vel præcedat intellectum, vel ſequatur, & ſic porrò, illæ creaturæ rationales eas ſic ordinent & concinnent inter ſe invicem, ut præcedat intellectus, ſequatur judicium & voluntas, ut non judicent, antequam rem diſtinctè cognoverint, adeoque pro vero non amplectantur id, quod nondum ut verum perceperunt, nec ferantur in aliquid tanquam bonum, nec quicquam averſentur tanquam malum, cujus bonitatis & malitiæ non habeant exactam cognitionem. Hic actus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

divinus aliam planè nobis exhibet rationem formalem, quàm prior; adeoque commodiſſimè ab illo poteſt & debet diſtingui. Hic verò ordo dum ſic conſtitutus eſt divinitus, ſimul quoque eſt præſcriptus creaturis rationalibus, quatenus in iis poſuit amorem veritatis & bonitatis, qui neceſſariò infert veritatis & bonitatis cognitionem, quia ſine ea æquè voluntas poteſt incidere in falſum & malum, ac in verum & bonum. Poſuit præterea in iis ideas rerum, ex quarum inſpectione formare judicium ſuum debent. Ad eas ergo attendentes, in idea, quam de Deo habent, inveniunt, eum ſumma animi ſubmiſſione eſſe venerandum & colendum, in idea ſui ipſius homo invenit ſemetipſum debere conſervare, ut Deum colere poſſit, in idea aliorum hominum tanquam ſociorum eidem Deo ſummo ſubordinatorum, debere eos amari ſicut noſmet ipſos, ut & illi ad gloriam Dei eſſe poſſint, ex quibus paucis reliqua facile poſſunt colligi officia.

§. XLI. Hæc eſt Voluntas Dei, quæ dicitur Approbans boni & Improbans mali, vel & Voluntas præcipiens bonum, & prohibens malum, quæ nomine Sanctitatis venire ſolet. Non enim *Sanctitas Dei* ejusdem eſt rationis, cujus eſt ſanctitas rationalium creaturarum, quæ tota in ſubjectione ſub lege divina & præſcripto ab ipſo ordine eſt ſita. Sanctæ ſunt creaturæ rationales, quæ obediunt iſti legi, quæ ſe ſubjiciunt Deo & ordini ab ipſo præſcripto: at Deus nullam legem habet, cui ſe ſubjiciat, ipſi nullus mandatus & injunctus amor erga ſemetipſum vel erga creaturas. Amat quidem ſemetipſum, quatenus delectatur ſuis perfectionibus, ſed hoc facit ex nulla lege, vult hoc ex eo ipſo quia ſemetipſum cognoſcit & non poteſt non ſemetipſum cognoſcere, nec poteſt non ſemetipſum amare, quia nihil eſt aliud niſi infinita cognitio niſi infinitus amor. Creaturas hactenus poteſt dici amare, quatenus illis bene vult, h. e. quatenus has perfectiones in illis vult ponere, quas vult conſtituere earum naturam: non ergo alio ſenſu poteſt dici Sanctus, niſi quatenus leges poſuit creaturis, juxta quas ſi agant ſanctæ dicuntur. Verùm enimverò ſolet quoque vocabulum *Sanctum* de Deo uſurpatum aliam planè habere ſignificationem. Idem illud aliquando ſignificat, quod venerandum & colendum, ut ſic dum Deus dicitur *Sanctus*, indicetur, eum eſſe colendum & venerandum; qua ratione Sanctitas Dei adhuc plus recedit à ſanctitate creaturæ. Ita enim Deus Sanctus di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

dicitur eo ipſo, quo venerabilis & colendus eſt, nos vero è contrario ſumus & vocamur ſancti, dum ipſum colimus & veneramur.

§. XLII. Præter hunc Actum, quo Deus conſtituit rerum omnium eſſentias & proprietates, ſequitur alius actus divini intellectus & voluntatis, quo Deus voluit certas res certa individua, quorum eſſentias conſtituit, exiſtere, quodlibet ſuo tempore, loco & iis circumſtantiis, in quibus eo tempore eſt futurum, voluit illa inter ſe invicem ordinare, ſive potius voluntate ſua ad ſe invicem ordinavit, atque exinde illis varia aſſignavit accidentia, quæ non ſunt neceſſaria ad eorum naturam, adeoque non pertinent ad iſtarum rerum ordinem particularem, quamvìs eo ipſo ad ordinem univerſalem planè requirantur. Ordo hic eſt particularis, quòd res quælibet habeant ſuas eſſentias & proprietates; at Ordo Univerſalis requirit, ut etiam habeant ſua certa accidentia. Sic Angeli habent hanc potentiam, ut poſſint hominum corpora deſtruere, accidens eſt in ipſis, ut aliquando ea deſtruant; illud habent ex Dei voluntate, qua conſtituit ordinem particularem juxta dicta, hoc eſt ea voluntate, qua illos ſuum locum voluit habere in univerſo, atque ita voluit ut certo quodam tempore hanc ipſam potentiam exercerent, quod pertinet ad conſtitutionem ordinis Univerſalis. Sed quoniam hic ordo Univerſi multa admodum complectitur objecta, non poſſumus divinæ voluntatis actum, quo illum ſanxit, tanquam unicum aliquem indiviſibilem actum conſiderare, ſed varios diſtinctos hîc actus ſpectare oportet, quos ut in mente noſtra rectè ordinemus, curandum nobis eſt ſummoperè. Difficultas enim hîc ſe offert maxima, & de qua multum hactenus eſt litigatum in Scholis Theologicis.

XLIII. Conſenſus communis ferè eſt omnium, Deum propoſuiſſe ſibi certum finem & ad illum media conſtituere & dirigere, quod tamen dextre oportet ut intelligamus, ne hîc aliquid Deo indignum ſub ulla ſpecie aſſignemus. Finis in communi uſu & prout ab hominibus intenditur, conſideratur tanquam aliquod bonum, quod trahit appetitum; unde homo, ut illud conſequatur, media ad id commoda ſolet excogitare. Sic non deſunt, qui non attendentes ad Dei naturam, planè & quàm maximè diſtinctam à natura humana, ſimilia de Deo cogitant & loquuntur, atque ita improvide ſæpe potius, quàm ut ad id ſatis attenderint, divinæ majeſtati ea tribuunt, quæ ei non ſatis ſunt decora, quæque illas implicant imperfectiones,

quæ non niſi in humanam imbecillitatem cadere poſſunt. At tali ſenſu non poteſt Deo tribui finis, quaſi ſit aliquod bonum, quod Deus nondum poſſideat, quod cupiat & deſideret, quod ſic intendat, ut media apta ad illud conſequendum ſapientiſſimè invenerit, & potentiſſimè exſequi poſſit. Sic nec Gloria Dei & celebratio nominis ipſius, prout fieri poteſt & debet à creaturis rationalibus, poteſt à Deo intendi tanquam Bonum quod appetat, quod deſideret & ad quod conſequendum omnia, quæ ad id facere poſſunt, media dirigat. Quis enim quæſo diceret, Deum reddi beatiorem, quòd glorificetur ab hominibus, vel illum per hanc glorificationem conſequi aliquod bonum, vel concipere aliquod gaudium aut delectationem, quam ab æterno quatenus eſt quædam perfectio, non habeat. An verò actus creaturæ, cujuſmodi eſt iſta celebratio divinæ laudis, poteſt eſſe motivum & ratio alicujus actus divini? An poteſt movere voluntatem divinam actus aliquis creaturæ, qui eo ipſo eſt creatus & à Deo effectus, adeoque totus ab illo dependet? An ita Deus ducitur ſtudii gloriæ, an gloria iſta, quæ planè aliunde dependet, eum dulcedine afficit, ut omne quod facit unicè eo faciat ut gloriam venetur & conſequatur apud creaturas? Hoc locum haberet forte in glorioſo aliquo Rege, ut eſt Rex Galliæ, qui bella machinatur, qui tot urbium tot agrorum vaſtationes facit, tot inſontes homines interimit propter ſuam gloriam, at Dei perfectioni ſummæ, quæ tanta eſt, ut majorem ne quidem deſiderare queat, id quàm maximè repugnare nimis quàm eſt manifeſtum. Nec his contrariantur illæ Scripturæ phraſes, quæ dicunt, omnia eſſe ad ipſum, omnia fieri ad laudem glorioſæ ſuæ potentiæ, vel gratiæ vel miſericordiæ, vel juſtitiæ &c. hoc tantum Scriptura intendit, ut doceat, hoc eſſe hominum officium, hoc ipſis incumbere, ut omnia ad divinam laudem referant, h. e. ut & ipſi Deum celebrent, & omnia ſua opera eò dirigant, ut Deus ab aliis quoque laudetur & celebretur. Neque eſt, quod dicas, Sapientem nihil facere fruſtra, ut etiam propterea Deus ſit cenſendus in ſuis operibus & in ſuis decretis finem aliquem intendere. Non enim idem concipiendum eſt de Deo, quod cogitamus de hominibus. Quòd homines intendunt finem, quod dicitur, hominem nihil facere fruſtra, ortum habet ex indigentia. Sapiens inter homines non habet omnia, quæ deſiderare vel optare poteſt. Ejus

ergo

ergo eſt ſemetipſum perficere. Quod igitur facit, huc debet tendere, ut ſemetipſum perficiat. An igitur ſimiliter cogitabimus de Deo? An ille ullius rei indiget? Si igitur dicatur, Deum quoque nihil facere fruſtra, non aliud poteſt intelligi, quàm quòd ſuorum conſiliorum habeat exactas rationes, ſive, quod ſapientiſſime agat. Quid autem eſt Sapientia in Deo, quàm ejus *Omniſcientia*, quæ nihil eſt aliud, quàm perfectiſſima cognitio ſui ipſius & omnium eorum, quæ conſtituit, eorumque exactiſſimæ convenientiæ cum natura Dei, ut ne minimum quicquam, quod ei repugnet reperiatur? Nimis confuſos formamus conceptus, ſi de his, quæ iisdem verbis dicuntur de Deo & creaturis, ſimiliter cogitemus, ac unico communi conceptu Sapientiam Dei & hominum nobis repræſentemus.

§. XLIII. Quid ergo dicemus? Quomodo inveniemus actum divinum, qui prior in ordine divinorum decretorum debeat conſiderari? Naturæ lumen hic ſubſiſtit, non cognoſcimus ea, quæ Deus voluit ab æterno, niſi à poſteriori, poſtquam illa ſunt facta; ſupponamus quædam ex Scriptura, ut habeat naturæ lumen, in quo ſe exerceat, & cujus occaſione inveniat ordinem inter actus divinæ voluntatis, qui conceptibus noſtris diſtinctis queat prodeſſe. Supponamus doctrinam Prædeſtinationis hominum & Creationis eorundem, prout in Scriptura traditur. Deus voluit exiſtere Adamum habentem humanam eſſentiam; voluit illum hunc ordinem obtinere in univerſo, ut eſſet origo totius generis humani, ornavit ipſum recta voluntate, qua ferretur in bonum, qua tenderet in Deum, quæ tamen non erat confirmata, ut peccare non poſſet; quæritur quare hoc Deus ſic voluerit? Ratio ejus procul dubio erat apud Deum, quæ proin ut prior à nobis debet conſiderari, atque ſic poteſt ſubire rationem finis, ſi ſcilicet per finem intelligamus id, quod dum actus divinos diſpeſcimus & ordinamus prius venit in noſtram conſiderationem, atque proin primum in intentione locum habere debet, ultimum verò in exſecutione. Si non poſſet labi homo nunquam laberetur; voluit Deus ipſum labi, debuit ergo eſſe labilis; voluit hominis miſereri, debuit ergo eſſe in miſeria, adeoque propterea voluit Deus hominem labi, ut poſſet miſereri, voluit Deus miſereri, ut tamen juſtitiam ſimul exerceret: Ergo Chriſtum conſtituit Sponſorem, in ipſo demonſtravit juſtitiam, in homine miſericordiam per varias partes, vocando hominem lapſum, juſtificando,

ſan-

ſanctificando, glorificando. Hæc omnia ſunt accidentia, quæ Deus voluit ponere in hominibus propter aliud, ſcilicet, ut homo hunc haberet ordinem ad Chriſtum & ad Deum. Sic ducimur ab uno ad aliud: prior ergo his omnibus actibus fuit Velle certorum hominum miſereri, ſive in certos homines actus miſericordes exercere. Sed quomodo ſunt certi homines, ſi nihil de eorum exiſtentiâ ſit definitum? in conceptu ergo illo velle miſereri certorum hominum, velle certis hominibus gratiam facere, hoc videtur implicari, quod Deus certos homines voluerit exiſtere, quorum miſereretur. Horum autem neutrum ut prius, neutrum ut poſterius poteſt conſiderari, nec eſt ſeparabilis actus ille divinus, velle miſereri certorum hominum, ab actu, velle exiſtere certos homines, ſed unus implicatur in altero. Certi homines, certa individua non poſſunt eſſe ſine creatione, quâ conſtituuntur cum talibus circumſtantiis, hoc loco, hoc tempore, ad hæc particularia relationem habentia, inter hæc converſantia, Adamus cum ſuis quibus diſtinguitur à poſteris, poſteri cum ſuis, quibus diſtinguuntur ab Adamo & inter ſe invicem. Si hoc ipſo actu nondum voluit creare, nondum voluit eſſe certos homines; unde nec poteſt dici voluiſſe miſereri certorum hominum. Si dicas, prius voluiſſe creare certos homines ad exercendam ſuam potentiam & bonitatem, quæro, an jam tunc ſciverit quid de ipſis eſſet futurum, an verò id neſciverit? Neſciviſſe dici non poteſt, niſi aliquem actum Deo attribuas, in quo neceſſariò aliqua ſit conjuncta ignorantia. Si ſciviſſe dicas, ſcivit ex ſuo decreto, ex voluntate, qua hoc ipſum conſtituit; atque adeo ſimul dum voluit creare certum hominem, voluit in eum exercere vel miſericordiam vel juſtitiam. Unitas actûs ex unitate rationis formalis eſt æſtimanda, quæ hic non niſi una concipi poteſt, quia voluntas creandi certos homines implicat voluntatem vel miſerendi vel iraſcendi, & vice verſâ voluntas miſerendi vel iraſcendi certis hominibus implicat voluntatem certos homines creandi. Unus ergo actus divinus concipiendus, quo Deus voluit certos homines exiſtere quorum miſereretur, & iterum alius actus divinus, quo Deus voluit exiſtere certos homines, in quos exerceret juſtitiam. Hic primus actus videtur concipiendus in decreto Prædeſtinationis. Sequitur jam alter, quòd Deus voluerit homines omnes tales facere ut poſſint eſſe objectum miſericordiæ & iræ, nempe, qui quidem ornati eſſent recta voluntate, ſed quæ

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

in bono non eſſet confirmata. Tertius quòd voluerit eorum omnium lapſum permittere ſive non impedire. Quartus diverſitatem inſtituit inter homines, qui oritur ex diverſitate actus primi, qui diverſos fines divinos complectitur. Quos enim homines conſtituit ad id, ut in eos exerceret miſericordiam, iis decrevit dare Chriſtum Redemtorem, qui ſatisfaciendo pro ipſorum peccato eos juſtificaret, atque aſſereret, immunes propter ſuum meritum illos pronunciando à condemnatione, eos decrevit vocare, regenerare, ſanctificare, & vitâ æterna donare: quos porrò conſtituit ad id, ut in eos exerceret juſtitiam, iis denegavit Chriſtum Mediatorem, ſicque in peccato voluit derelinquere, ac propter illud tum in hâc vita temporalibus, tum poſt hanc vitam æternis pœnis voluit afficere. Sic jam facilè objectum Prædeſtinationis invenietur, quod neceſſariò debet referri ad illum actum primum bipertitum, quo Deus voluit certos homines condere, in quos exerceat ſuam miſericordiam, & alios in quos exerceat ſuam iram: quoniam autem iſte actus ſub duplici forma poteſt ſpectari vel creandi vel exercendi miſericordiam aut juſtitiam, etiam objectum illud duplicem iſtam formam cenſendum eſt reſpicere, ut ratione voluntatis creandi homo conſideretur ut creabilis, ratione autem voluntatis miſerendi aut iraſcendi ut labilis, atque ita homo creabilis & labilis ſit divinæ Prædeſtinationis objectum. Id verò commodè ſic conſtituitur & accurate concordat cum antecedentibus, in quibus ante voluntatis divinæ actum, qui reſpicit rerum exiſtentiam, de quo nunc eſt ſermo, conſideravimus, à Deo fuiſſe conſtitutas ab æterno eſſentias rerum & proprietates omnium rerum adeoque etiam hominum, unde omnis eorum poſſibilitas eſt arceſſenda.

§. XLV. Ita varios actus divinæ voluntatis conſideravimus, eoſque certo quodam ordine inter ſe invicem connexos ad cujus ordinis exemplar nunc facile alios quoſvis actus divinæ voluntatis ordinare poſſumus. Sic poſſumus concipere, Deum in certis quibuſdam angelis, quos voluit creare, conſtituiſſe exercere ſuam gratiam, in aliis ſuam iram & juſtitiam. Hinc voluit creare omnes cum rectitudine voluntatis, quæ non eſſet confirmata in bono, voluit & præſcripſit omnibus certam regulam officii ad certum quendam terminum, voluit gratiâ ſuâ iis, in quos exercere voluit gratiam, ſuccurrere, ut conſtanter illud præſtarent, voluit eoſdem confirma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

re in bono, voluit æterna beatitudine afficere, eos verò, in quos exercere voluit juſtitiam, voluit non impedire, quò minus deviarent ab officio, voluit obfirmare in malo & ſic æternis pœnis afficere. Ita quoque dum conſideramus decretum creandi homines & angelos labiles, poſſumus cum eo coordinare decretum creandi quasvis creaturas alias, ad quas homines & angeli in Univerſo ſuum certum habent ordinem, de quo non niſi à poſteriori & ex relatione, quam habent ad homines, poſſumus judicare.

§. XLVI. Sed Voluntas divina, prout ad diverſa refertur objecta, varias accipit denominationes, atque ita appellatur Bonitas Dei ea Voluntas, quâ vult conferre & actu confert creaturis rationalibus ea, quæ ipſis ſunt bona & commoda, adeoque illas ſuavitate & lætitiâ afficiunt atque delectatione. Non enim ea refertur niſi generali admodum ratione ad eas, quæ rationis ſunt expertes, creaturas, & propriè loquendo Deus dicitur habere bonitatem & benignitatem erga creaturas rationales, quatenus iis confert, quæ ſunt grata & accepta, & quibus delectari poſſunt, à qua benignitate Amor Dei ne quidem ratione differt, cùm omnis ille amor ſit Amor benevolentiæ, qua ipſis bona vult & ſic confert. Sed ſic accipitur bonitas Dei ſenſu magis ſpeciali; aliàs Voluntas & Bonitas Dei generali ſenſu accepta nullo modo differunt. Hæc eſt Bonitas Dei, quòd velit exiſtere varias ſubſtantias, varias realitates, neque ulla alia iſtius Bonitatis atque Voluntatis regula cogitari poteſt vel debet, quàm ipſa illa Voluntas ob ſummam Dei perfectionem, quæ nullam regulam admittit. Gratia Dei dicitur ea ipſa Voluntas, quâtenus confert bona illa iis, qui meritis ſuis ea non impetrârunt, quæ etiam nomine Favoris divini venire ſolet. At appellatur Miſericordia, ſi obveniat iſte Favor iis, qui in miſeriâ ſunt conſtituti, atque ita inde liberentur. Quoniam autem Deus voluit homines ducere per præcepta promiſſa & minas Voluntas Dei illa, quâ ſua promiſſa & ſuas comminationes ſervat & exſequitur, dicitur Veracitas vel Veritas Dei, quæ tamen etiam ſe extendit ad omne id, quod teſtatur aut revelat homini, quod propterea falſum eſſe nequit, quia Deus fallere & falli eſt neſcius. Illa verò Voluntte Dei, qua peccatores punit, Ira Dei, & quia punit ob merita, Juſtitia Dei Vindicativa vocatur, è contrario verò Voluntas Dei, qua remuneratur & præmia diſtri-

buit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

buit Juſtitia Dei Remunerativa dicitur. Hîc autem notandum Bonitatem & Gratiam Dei, item Miſericordiam Dei & Juſtitiam potius dici Voluntatem Dei, prout actu in tempore bona immerita confert vel ſuccurrit miſeris aut impios punit, vel piis remuneratur, quàm prout ab æterno ea facere conſtituit. Debet ergo voluntas miſerendi & juſtitiam exercendi diſtingui à Miſericordia & Juſtitiâ ipſâ. Ita Deus deſtinavit ad exercitium Miſericordiæ & juſtitiæ eos, qui nondum conſiderantur ut miſeri, ſed non exercet Miſericordiam niſi in eos, qui actu miſeri, nec Juſtitiam, niſi in eos, qui actu ſunt peccatores. Sed Veracitatis divinæ alia eſt ratio, quæ duo complectitur, & Voluntatem vera teſtandi & Voluntatem promiſſa præſtandi atque implendi.

§. XLVII. Hîc verò circa Juſtitiam Dei vindicativam gravis occurrit difficultas, atque ſic quæſtio agitatur inter Theologos, An Deus potuerit peccatum à creaturâ rationali commiſſum ita remittere, ut non puniret illud pœnis æternis? an verò poſito peccato neceſſariò Deus debuerit illud punire pœnis æternis, niſi ſatisfactio pro illo fuerit præſtita? Satisfactio Chriſti utrinque ſupponitur, nec ei vel hilum delibatur, de qua, cùm ex verbo Dei ſit delineanda, non eſt hîc agendi locus; quæritur tantùm de abſoluta Dei potentia. Neque hîc quæritur, An pœnæ quædam neceſſariò ſint connexæ cum peccato, ita ut impoſſibile ſit eſſe peccatum & non eſſe illas pœnas? ſed an cum peccato ſemel commiſſo neceſſariò ſint connexæ pœnæ æternæ, quæ expientur vel ab ipſo peccatore, vel à ſponſore? Conceditur enim utrinque, pœnas quaſdam cum peccato ita conjunctas, ut non poſſint ab eo ne cogitatione quidem ſeparari. Fieri enim nequit, quin, cùm peccatum ſit privatio iſtius rectitudinis, quæ voluntati debebat ineſſe, iſta ipſa privatio denotet iſtius rectitudinis abſentiam, quæ eo ipſo, quo infert alicujus perfectionis abſentiam, quam homo poterat & debebat habere, eſt malum triſte, adeoque pœnæ nomine recte venit. Quòd ſi etiam homo animum advertat aliquando ad ſuum errorem, fieri non poteſt, quin eo ipſo morſum quendam conſcientiæ ſentiat, qui poteſt eſſe vehementiſſimus vel hoc nomine, quod factum infectum reddi nequeat. Sic pœnæ quædam ſunt neceſſariò conjunctæ cum peccato, quæ etiam non niſi reſtitutâ illâ perfectione, quæ amiſſa ponitur, poſſunt tolli. Non negatur quoque, neceſſarium eſſe, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

peccator pœnis æternis afficiatur non poſitâ ſatisfactione, idque ex Dei quoque natura habere ortum, quatenus ea conſideratur ut Immutabilis; id quod duplici poteſt ſpectari ratione, quia & impoſſibile eſt, ut, quod ab æterno voluit, id etiam nunc non velit, atque hanc Neceſſitatem, dicunt Theologi, ortam eſſe ex hypotheſi voluntatis divinæ; & quia impoſſibile eſt, ut Deus potuerit aliter velle, juxta ea, quæ in ſuperioribus abunde fuerunt demonſtrata. Sed ſimul obſervandum hîc judicamus, ex eâdem neceſſitate Deum quoque debere miſereri eorum, quorum miſereri ab æterno conſtituit, hoc eſt, Deum non poſſe non benevolentiam & miſericordiam exercere erga quoſdam homines, tùm quia id voluit, tùm quia aliter ab æterno velle non potuit. Hîc pari ergo paſſu ambulant Dei Miſericordia & Juſtitia, & una æquè eſt neceſſaria atque altera. Hæc Neceſſitas ex natura Dei hactenus habet ortum, quatenus Deo repugnat mutare id, quod ſemel conſtituit, & quatenus eidem repugnat aliud quid conſtituiſſe, atque hoc ſenſu Juſtitia Deï, conſiderata ut conſtans Dei voluntas pœnis æternis animadvertendi in peccatores, pro quibus non eſt ſatisfactum, omnino ita Deo eſt naturalis, ut propterea repugnet ei peccatum relinquere impunitum, nullâ poſitâ ſatisfactione.

§. XLVIII. Miram verò hîc audias quorundam ratiocinationem. Deus potuiſſet peccatum remittere, ut peccatorem liberaret ab æternis pœnis nullâ poſitâ ſatisfactione, noluiſſet dare proprium Filium, qui ſatisfaceret: Hoc enim putant eſſe manifeſtum ſignum, quòd Deus aliter facere non potuerit, quod cùm vellet miſereri hominum peccatorum, voluerit eos per Filii mortem & cruciatus infernales redimere. Hi Deum concipiunt inſtar Patris inter homines, qui adeo quoſdam amaverit amicos, ut potius, quàm illos vellet relinquere in pernicie, quàm illi perirent, voluerit perire ſuum Filium. At iſti non vident, ſe ita magnam imperfectionem aſſignare Deo ſummo, illo plane indignam. Pater enim, qui hoc ageret modo, eo ipſo oſtenderet, ex duobus, quorum utrumque ſibi ingratum eſſet, quodque ſe afficeret mœrore, elegiſſe illud, quod minorem inferret triſtitiam, idque propterea, quòd alio modo non poſſet eripere ſuos amicos: Quâ ratione ſupponitur duplex impotentia, & quòd à ſe non poſſet avertere omnem mœrorem, & quod majorem mœrorem non poſſet avertere niſi per minorem, qui contra-

traheretur morte Filii. An ergo Deus ad illas anguſtias eſt redigendus? An hoc non faceret potius Pater, ut, ſi poſſet, præſervaret amicos potius à periculo, quàm ut tam carè redimeret? An ergo Deus non poterat impedire peccatum, ne committeretur à ſuis electis? An verò volendo permittere peccatum ſe non ſic conjecit ſponte in ejuſmodi neceſſitatem, ex quâ non potuit ſe aliter, quàm per mortem Filii expedire? An non ſic potuit agere cum hominibus, ſicut egit cum angelis? Quodnam hîc eſt attributum divinum, quod Deum conſtringat? An in Deum poteſt cadere dolor & mœror? Quis hæc digna putaverit Deo? Non ergo poteſt hoc modo iſtud expediri negotium.

§. XLIX. Conſideremus potius jus, quod Deus habet ad puniendum peccata pœnis æternis, quod hîc ſupponendum eſt ex Scripturis. Ex eo, quod Deus per æternam ſuam voluntatem efficit in tempore res quaſcunque creatas, naſcitur & oritur dominium Dei in illas & jus, quo de ipſis poteſt diſponere pro ſuo libitu & arbitrio, quod etiam ſub nomine Independentiæ divinæ poteſt intelligi, quâtenus per eam concipimus tale divinum attributum, per quod ab ipſo omnia dependent. Ita poteſt Deus res, quas fecit, iterum deſtruere, quando vult, potuit tantas perfectiones his rebus, aliis pauciores, aliis plures conferre pro lubitu, poteſt creaturas rationales gubernare pro ſuo arbitrio, poteſt conſervare in ſtatu, in quo condidit, potuit etiam omnia ita diſponere ut labantur; & ſic de reliquis. Sed jus iſtud Dei à Deo non exercetur abſolutè, & conſiderando tantùm Ordinem omnium rerum Univerſalem, ſed etiam reſpectu habito ad ordinem Particularem, ex quo etiam aliquando novum jus Deo naſcitur. Ita quia Deus voluit permittere peccatum creaturarum rationalium, quod conſiſtit in deviatione ab ordine particulari, quem Deus illis præſcripſit, naſcitur Deo, peccato commiſſo, jus ad puniendum homines ob iſta peccata. Fecit autem Deus voluntate ſuâ liberrimâ connexionem inter pœnas & peccata, & è contrario inter obedientiam & præmia, ſicque hunc ordinem conſtituit particularem, ut peccans puniatur, obediens præmiis afficiatur; ſic iſte ordo particularis & natura obedientiæ & præmii, peccati item & pœnæ obſtat, quò minus Deus creaturam rationalem innocentem, quæ eo ipſo etiam non poteſt non eſſe obediens, affligere & pœnis afficere. Deus enim non poteſt evertere ordinem particula-

rem, quem ipſe conſtituit conſtantem, quia ad naturam creaturarum rationalium pertinet, quam Deus talem eſſe juſſit. Natura pœnarum & afflictionum ejuſmodi eſt, ut oriatur ex peccato, quòd eo ipſo, quo commiſſum eſt, creaturam rationalem privat eâ rectitudine & ornatu, quem antea habuit, è contrario verò rectè facta ornant mentem, conjungunt cum Deo ſincero amore, mentem tranquillant & gaudio afficiunt; quomodo ergo pœna hîc poſſet habere locum? Jus ego habeo ad rem, quam emi, vel quæ mihi donata eſt, vel quam ab alio habeo juſto titulo. Hoc jus dicit poteſtatem, ut liceat mihi poſſeſſionem iſtius rei adire, hoc eſt, debetur mihi poſſeſſio ejus ex aliquo ex his titulis. Jus mihi naſcitur aliunde, non enim ex me ipſo habeo, ut aliæ res à me dependeant. Deus ex creatione habet jus in omnia, habet jus ad poſſidendum creaturas, ſed ex eo, quòd fecit creaturas rationales, non habet jus ad affligendum. Nihil quidem extra Deum eſt, quod eum hîc impedire queat, ſed à ſemetipſo, quia talem ordinem Particularem conſtituit, quem deſtruere & evertere non poteſt.

§. L. Jus ergo Deus habet ad puniendum peccata ex eo ipſo, quòd ſunt commiſſa, neque de eo ulla eſt difficultas; quæſtio hîc tantùm reſtat, an Deus jus illud neceſſario exerceat, ſive, an aliquid ſit in Deo, quod ipſum adigat ad inferendum pœnas peccatoribus, pro quibus nulla præſtita ſit ſatisfactio? Qui negativam defendunt, ſive, qui ſtatuunt, Deum poſſe, etiam nullâ poſitâ ſatisfactione, remittere æternas pœnas peccatoribus debitas, intelligunt peccatores reſipiſcentes, atque dicunt Deum poſſe indulgere hominibus peccatoribus reſipiſcentiam, poſſe eos ad ſe convertere, atque ſic converſis remittere pœnas æternas; quo poſito argumentis variis, quæ pro oppoſitâ ſententiâ adduci ſolent vim plane elidunt. Examinandum ergo, an Deus hoc ipſum poſſit, an hoc repugnet Deo vel alicui ejus attributo? Conſideremus aliquanto diſtinctius ordinem illum particularem, quem Deus conſtituit inter creaturas rationales earumque operationes & conſequentia. Scilicet natura hæc eſt creaturarum rationalium, Deuſque talem ordinem ratione earum conſtituit, ut judicium debeat ſequi claram perceptionem intellectus, atque voluntas debeat ferri in ea, quæ ut verè bona & ſolida fuerint percepta, poſuit in homine ideam Dei, ideam ſui ipſius, ideam rerum creatarum, &c, in hunc Deum, quem homo clarè potuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

cognoſcere tanquam verè bonum, imò tanquam ſummum Bonum, debuit ferri voluntas, eumque amore ſummo ſecum unire, atque ſic aliis omnibus rebus præferre. Cum hoc amore conjunctum eſt ſummum gaudium, ſumma delectatio, & inviolabilis felicitas, atque ita non poteſt non Deus propter hunc ordinem immutabilem homini obedienti ſe communicare, illum ſecum ex ſummâ Benignitate, quæ Juſtitia Remunerativa vocari poteſt, unire, & communicare cum illo omnem felicitatem, quæ ex iſtiuſmodi conjunctione poteſt oriri. Quod ſi è contrario homo ſecutus confuſam intellectus perceptionem, voluit præferre rem finitam, vel ſemetipſum, vel aliam quamcunque rem aliam, Deo infinito, Summo illi Bono, non poteſt in illâ reperire ſummam delectationem, ſummum gaudium, propter finitam, quæ in eâ eſt, perfectionem, & ſic ſequetur ex illo amore id, quod poteſt ſequi ex creaturis, delectatio nempe, ſed non ſine mœrore propter imperfectionem creaturarum; ſic diſtrahetur mens, ut alia appetat, vel etiam ad illa ipſa iterum redeat, quæ prius amavit, & doleat, quod ex iis nulla poſſit capi ſatietas. Quod ſi anima cogitet de Deo, quem deſeruit, quem rebus aliis poſtpoſuit, non poteſt non in eâ excitari ſummus & graviſſimus mœror, idque eò magis quò magis obverſatur idea Dei, mente non turbatâ ex rebus corporeis, quod quàm maximè locum habet quando anima ſeparata fuerit à corpore, unde deſperatio atque dolores ſummi & acerbiſſimi. Hic eſt ordo, quem ipſa natura rei infert, atque ideo à Deo conſtitutus eſt eo ipſo, quo Deus talem rerum naturam conſtituit. Hîc ergo cogitandum, an iſte naturæ ordo queat mutari? An poſſit in peccatore, cui nondum remiſit peccatum, operari eodem modo, quo operatur in homine obediente? ſi enim dicatur, Deum poſſe peccatori reſipiſcenti remittere pœnas æternas, ſupponitur, præcedere reſipiſcentiam, ſequi remiſſionem. Deus igitur poteſt peccatori, qui adhuc peccator eſt, cui non ſunt remiſſa peccata, indulgere reſipiſcentiam. Quid verò eſt illa reſipiſcentia? & quid Deus cenſendus eſt operari, dum operatur reſipiſcentiam? Reſipiſcentia ſanè non conſiſtit in mero dolore concepto ex commiſſione peccati, ſed in tali dolore, qui oritur ex amore erga Deum, quem peccator offendit. Deus ergo in homine peccatore, cui non remiſit peccatum, poſſet producere amorem erga ſe, & dein dolorem ex peccato atque tandem omnem

ſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſatisfactionem animi, quæ ex illo amore in hominis corde reſtituto & redintegrato poſſet oriri. Amor verò erga Deum quomodo in homine poſſet locum habere, qui nondum novit ſibi eſſe remiſſa peccata, imò cui ex ſuppoſitione peccata nondum ſunt remiſſa? Novit homo, Deum poſſe punire peccata pœnis æternis, jus eſſe hoc Dei ut poſſit animadvertere in peccatores, quomodo novit vel quomodo cogitare poteſt, Deum velle ſibi eſſe gratioſum, qui nondum cogitare poteſt, eum velle ſibi remittere peccata? quomodo poteſt homo amare Deum, quem non poteſt conſiderare niſi ut armatum juſtitiâ & vindicare volentem ſui neglectum, quod naturæ ordo homini perſuadet, uti patet ex dictis; quomodo poteſt in tali homine excitari amor erga Deum, qui Deum ſibi non poteſt repræſentare ut Amabilem, ut Gratioſum, ſed è contrario ut iratum, ut punientem, ut hominem deſerentem & abjicientem? ſi talis homo poſſet amare Deum Deus illi homini imprimeret ideam Dei, quæ cum ipſâ re, cum Deo, nullo modo conveniret. Et, ſi Deus poſſet tali homini indere amorem ſui, poſſet eadem operari in peccatore atque in homine obediente, æquè benefaceret inobedienti ac obedienti, hac tantùm exiguâ intercedente differentiâ, quòd in peccatore cum iſto amore eſſet conjunctus dolor de peccato, quod tamen nullam inferret diverſitatem in ipſa operatione divinâ, quippe quod ex ſolo peccato ortum haberet. Sic igitur neceſſariò præſupponenda eſt remiſſio peccatorum facta, adeoque quæſtio ſimpliciter erit, An Deus nullâ poſitâ ſatisfactione poſſit homini peccatori, quâ peccatori, adeoque non reſipiſcenti remittere pœnas æternas peccato debitas? quod ipſum negant omnes illi, qui reſipiſcentiam ſupponunt in peccatore, cui Deus peccata remittit. Hâc igitur demonſtratione tota illa res videtur eſſe confecta, atque ita ſtatuendum, repugnare ordini naturæ, quem Deus ita conſtituit, ut mutari non poſſit, ut peccatori quâtenus tali remittantur peccata.

§. LI. Debentur etiam pœnæ peccatis, quâtenus referuntur ad damnum, quod illatum eſt ei, qui per peccata fuit læſus, quod damnum aliquando per pœnas compenſatur, quæ tamen tunc non conſiderantur ut pœnæ, cùm ſæpe etiam damni compenſatio poſſit fieri citra ullum malum corpori vel animæ illatum, ut, ſi pecuniâ illud damnum æſtimetur in rebus iis, quæ ſic compenſari poſſunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſunt, ſed ut conſequens vel connexum aliquod compenſationis, quâ damnum reſarcitur. Nunquam verò dolor aliis illatus ſpectari debet tanquam finis, quia iſtiusmodi vindicta plane eſt illicita. Non enim poteſt hoc eſſe bonum alterius, ut alteri ſit malè, nec poteſt hoc intendi absque delectatione in malo, quæ ſemper eſt illicita, & ſpecies quædam crudelitatis. Hoc modo verò Deus ſpectari nequit, qui malo delectare non poteſt. At poteſt malum inferre, quâtenus ſpectat compenſationem damni, quod ſibi per peccatum illatum eſt, quia illud malum cum iſtâ compenſatione eſt connexum. Propriè quidem Deus non poteſt lædi, nec poteſt illi damnum à peccatore inferri, quando tamen ei denegatur à peccatore honor, qui ipſi debetur, analoga eſt iſta denegatio damno alicui, quia, quantum attinet ad peccatorem, omne id ab eo efficitur, quod poteſt fieri ab illo, qui alteri damnum infert, ut nihil deſit, quò minus illud inferatur, ſed tantùm perfectio ſummi Dei obſit, quò minus illud poſſit recipi. Locum igitur habet iſtiuſmodi compenſatio reſpectu Dei, quatenus, quia peccator noluit Deo exhibere gloriam ſupremi dominii & ſupremæ independentiæ per obedientiam perfectam & conſtantem, Deus, propter æqualitatem, quæ eſt inter demonſtrationem gloriæ juſtitiæ & demonſtrationem gloriæ ſupremi regiminis & gubernationis, eum ſubjecit ad pœnas in æternum ferendas, ut qui noluit à Deo dependere præſtando id, quod Deus juſſit, nunc dependeat ab ipſo, ferendo id omne quod vult jubetque. Atque hæc eſt Dei Sanctitas, propter quam non poteſt remittere pœnas æternas peccati, nullâ poſitâ ſatisfactione. Sanctitas enim Dei conſiſtit in approbatione omnis boni & averſatione omnis mali; nec poteſt Deus non probare illum ordinem, quem creaturæ rationali præſcripſit, & omne, quod cum eo pugnat, abominari. Qui ergo pugnat cum illo ordine, quod facit peccator, eum Deus non poteſt non abominari, in quo pœnæ ipſæ conſiſtunt peccati vel immediatè inde fluunt. Deus igitur ſanxit talem ordinem particularem creaturis rationalibus, ut ſe ament ex toto corde, ex totâ animâ, ex omnibus viribus, ex omni cogitatione, cum quo amore conjunxit ſui communionem beatam, menti talis creaturæ ſummam tranquillitatem exhibentem, cum neglectu iſtius amoris junxit ſeparationem à Deo, & triſtitiam ex bono illo amiſſo maximam exortam. Pœna igitur iſtius averſionis à Deo ex natura rei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

cum ipſo peccato, quatenus tale eſt, in quo ſemper eſt averſio à Deo ad creaturas, eſt conjuncta. Deus igitur condens creaturas rationales ſimul indidit ipſis ideas turpis & honeſti & utrumque conſequentium, adeoque inſcripſit legem naturæ cordibus ipſorum; neque aliter facere potuit. Eo ipſo enim, quo erant creaturæ rationales, debuerunt habere ideam Dei, atque adeo ideam honeſti & turpis cum conſequentibus; qui enim non poſſet cognoſcere Deum, qui careret eo, à quo omnis ratio dependet, non poſſet ratione præditus dici. Non potuit igitur Deus ferre homini legem conjunctam cum promiſſione factâ tranſgreſſori de ipſo non puniendo, quin in ipſâ lege de Deo colendo præmium & contraria pœna eſt implicata, prout conſtat ex dictis. Et pœna iſta cum peccato eſt conjuncta eique planè innexa, ut ſeparari non poſſit, niſi ſatisfactio ponatur, & lex non poteſt ferri niſi habeat conjunctam comminationem pœnæ, ſi quis legem tranſgrediatur, &, ſi executioni non mandetur iſta comminatio, illuſoria planè videretur & parum conveniens ſummo Deo. Quòd ſi autem Deus poteſt non punire peccatorem, poteſt etiam homini indicare, quando fert legem, ſe ejus tranſgreſſorem non puniturum, quæ omnia quantopere pugnent cum natura Rectoris ſapientis, & Sancti jam oſtenſum eſt in antecedentibus. Sic nulla neceſſitas fuerit pœnarum æternarum, quas ferre debent damnati, quæ ſi deriventur ex eo ſolo, quia Deus vult, mera crudelitas locum habebit in Deo, quam non permittit ſumma perfectio. Atque hæc eſt Juſtitia illa Vindicativa, quam Deus exercet in inferendis pœnis, quæ non poteſt non eſſe in Supremo omnium Rectore, non tantùm eorum, quæ ratione carent, ſed etiam illorum, quæ eâ ſunt prædita. Quòd ſi Deus condidiſſet tantùm creaturas irrationales, ſi iis ſolis regendis eſſet occupatus, nihil aliud potuiſſet facere, quàm ut ſua Omnipotentia ea in illis poneret, quæ vellet; at cùm condiderit creaturas rationales, debuit quidem quoque omnia, quæ in illis ſunt & erunt operari, ſed quia tamen voluit illas eſſe rationales, aliud quoque regimen in iis debuit locum habere, ut ſcilicet cum iis ageret convenienter huic naturæ rationali, præſcribendo leges munitas præmiis & pœnis, juxta antea dicta. Ex quo neceſſariò ſequitur, ut, quemadmodum debet obedientes æterna ſecum communione remunerari, ita debeat in inobedientes æternis pœnis animadvertere. Etſi enim cum hoc re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

regimine, quod externum eſt, & quo leges ferendo promittit & comminatur, ſit conjunctum regimen illud univerſale, quo omnia operatur in omnibus, non minus in rationalibus creaturis atque in irrationalibus, quia tamen hæc divina operatio non eſt peccatrix, non deviat ab ulla lege, non poteſt dici auctor peccati, quod eſt in rationalibus creaturis, quæ eo ipſo dum ſunt peccati auctores peccant deviando ſua voluntate à lege, cùm Deus è contrario ſua voluntate nunquam ab ulla lege recedat.

§.LII. Atque ſic Voluntas Dei infinita unica & ſimplex ſecundùm modum noſtrum concipiendi explicata eſt, prout æquivalet infinitis actibus voluntatis finitæ, ut ordo aliquis noſtrorum conceptuum formaretur, & ſimul ejuſdem diverſæ relationes & denominationes ad varia objecta fuerunt conſideratæ, ex quibus concidunt facile omnia illa, quæ de Voluntate Dei conditionatâ & dependente aliunde finguntur. Hinc verò nunc facilius intelliguntur ea, quæ de divina Scientia & Sapientia infinita veniunt conſideranda. Atque hîc Primum occurrit nobis Dei ſcientia, prout circa ipſum Deum verſatur, qua Deus cognoſcit ſemetipſum perfectiſſimo & infinito planè modo, idque ex ſemetipſo, eo ipſo quo illius eſſentia in *Eſſe* ſimpliciter, *Velle* & *Intelligere* conſiſtit, uti vidimus §. VII. Deus igitur ſemetipſum exactiſſimè exhaurit, quamvis ſit Infinitus; habet enim etiam ſcientiam infinitam; quin potius eo ipſo, quo eſt Infinita ſcientia, non poteſt non ſemetipſum infinita cognitione cognoſcere, atque ſic totum illud ſummum, quod ipſe eſt, pleniſſimè & ſummè exhaurire. Hæc verò Idea, quàm Deus ſic de ſemetipſo format, eſt ipſe Deus & ita Deus eam habet ex ſemetipſo, multò majori jure, quam nos habemus ideam noſtræ mentis ex nobis ipſis, eo ipſo, quo ſumus mens, quo ſumus res cogitans: nos enim eam ſaltem hactenus accepimus, quatenus accepimus mentem, etſi ea à mente noſtra non ſit diverſa; at Deus ſuam eſſentiam non accepit aliunde, ſed à ſemetipſo habet, cùmque hæc eſſentia Dei ab Idea ſui ipſius nulla ratione differat, eo ipſo quoq; hanc Ideam ſui ipſius non poteſt non habere.

§. LIII. Conſideranda dein eſt ſcientia Dei, quam habet de omnibus rebus, quæ ſunt præter Deum, quâ rerum omnium eſſentias & proprietates exactiſſimè exhaurit, quâ accuratiſſimè novit, quando & quo ordine res quælibet extitura eſt, fuit & eſt, quæ facilè nunc poteſt intelligi, ſi tantùm comparemus cum iis, quæ de divi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

no Intellectu & Voluntate in ſuperioribus obſervavimus. Atque hîc occurrit nobis primùm ſcientia illa, quam dicunt, ſimplicis Intelligentiæ, quæque etiam poteſt vocari ſcientia poſſibilium, prout poſſibilia conſiderantur ratione particularis ordinis rerum quarumvis. Ita porrò dum Deus voluit certas res ponere, quamlibet ſuo tempore, ordine & loco, quæ Voluntas divina nomine divini decreti venire ſolet, aſſignari etiam Deo debet ſcientia tùm poſſibilium ratione ordinis univerſalis, tum futurorum, quæ ſolet à Theologis ſcientia Viſionis appellari, quòd Deus hæc videat in ſuo decreto & voluntate, quamvis etiam priori ſcientiæ hoc optimè queat applicari, cùm Deus in voluntate ſuâ videat omnium rerum ideas. Atque hæc ſcientia Dei de ſemetipſo & omnibus rebus rectè nomine Omniſcientiæ poteſt venire; nihil enim ſic eſt, quod Deum lateat vel latere poſſit, ſed è contrario omnia quæcunque ſunt, fuerunt, erunt, vel poſſibilia ſunt, accuratiſſimè & perfectiſſimè cognoſcit.

§. LIV. Ita etiam apparet, nullam ſcientiam, quam dicunt, mediam in Deum poſſe cadere, quæ inventum eſt Jeſuitarum, ortum inde habens, quod nec liberrimam & independentem Dei voluntatem, nec ſummam omnium creaturarum à Deo dependentiam ritè unquam perceperint. Fonſeca Metaph. lib. VI. cap. II. quæſt. 4. ſect. 8. hujus doctrinæ ſe primum auctorum eſſe gloriatur, atque dum iſtam ſcientiam explicat dicit, *Deum non prædefiniſſe ab æterno, quid voluntates creatæ acturæ aut non acturæ eſſent, ſed pro modo cogitandi noſtro eas à ſe ipſis liberè vel ad bonum vel ad malum determinandas conditionatâ ſcientiâ cognoviſſe : Tum verò abſolutâ voluntate bonos eorum actus futuros determinatè approbâſſe, eorumque auctorem eſſe & haberi voluiſſe; malos autem non approbâſſe, ſed propter alia majora bona, quàm ipſa eſſent mala, permittere decreviſſe.* Ex hâc ipſâ enim deſcriptione ſatis patet, homines iſtos Deum fingere, à cujus voluntate non dependeant omnes voluntates creatæ in ſuis actionibus ſive volitionibus, fingere etiam voluntatem creatam, quæ à ſeipſâ determinetur, adeoque à Deo ſit independens, & per conſequens, cùm fieri nequeat, ut, cui unum attributum divinum convenit, non conveniant omnia, quæ ſit ipſe Deus. Et, ſi jam quoque ſupponamus talem voluntatem, quæ à ſe ipſa ſic determinaretur, impoſſibile foret, ut Deus cognoſceret, quomodo iſta voluntas ſe eſſet determinatura. Si enim illa à nulla vi divina inſenſibiliter determinetur, nec determinetur neceſſariò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

à rebus circumſtantibus, non determinatur neceſſariò unquam, & per conſequens non poteſt ut determinata certâ ſcientiâ cognoſci, ſed tantùm incertâ quâdam conjecturâ; nec poteſt cognoſci ut determinanda neceſſariò à ſe ipſa, quia hîc ſupponitur, quòd ſit indifferens ad ſe determinandum, eò quòd homines iſti illam indifferentiam concipiant, tanquam id quod ad eſſentiam liberi arbitrii planè pertineat, adeo ut citra iſtam indifferentiam libertas arbitrii nequeat conſiſtere. Neque eſt, quod dicas, Deum immenſâ ſuâ & infinitâ ſcientiâ iſtam libertatem voluntatis planè penetrare & exhaurire, ut ſic cognoſcat, quâ ratione voluntas creata ſemetipſam ſit determinatura; eſt enim id manifeſtè contradictorium; omnis enim certitudo noſtra, quam habemus de quâcunque re, fundatur ſemper vel in natura rei à priori, vel in certo quodam ſigno & nota à poſteriori, atque hîc natura rei eſt indifferens non magis inclinans ad hoc quàm ad illud, nullum etiam à poſteriori ſignum poteſt dari iſtius determinationis rei internæ, ſi illa res in ſe & ſua natura planè ſit indifferens, nec ullo modo ſit in ſe determinata. Si verò dicas, Deum ante omne decretum voluntatis ſuæ præſcire, quid voluntas creata, *ſi ponatur in hâc vel illâ conditione*, ſit actura aut non ſit actura: debebit ergo ſcientiæ divinæ certitudo fundari in relatione iſtius conditionis ad voluntatem creatam, adeoque illa conditio habebit vim & potentiam verſûs certam partem determinandi illam voluntatem. Si enim nullam habeat, nullo modo propter dicta poterit cognoſci iſta voluntatis determinatio; ſi verò habeat, dabitur aliquid non dependens à Deo, quod voluntatem creatam determinet, quod iterum eſſe injurium ſummæ divinæ perfectioni ex dictis patet.

§. LV. A Voluntate Dei pendent & producuntur omnia, quæ ſunt & exiſtunt, ſed in modo iſtius dependentiæ & efficientiæ ſive efficaciæ intelligendo laboratur. Vulgo omnis actio & efficacia concipitur per modum fluxus, adeoque ſpeciali huic actioni, quæ in motu conſiſtit, aſſignatur nomen actionis generale, atque etiam in agentibus, quæ agunt per voluntatem tali modo actio concipitur, atque ita Deo etiam omnia creanti & producenti tribuitur iſtiusmodi efficientia & productio per motum ſeu fluxum. At in tali actionis divinæ conceptu varia involuntur abſurda, uti in ſequentibus apparebit, quæ propterea omni ratione veniunt evitanda. Ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

verò clarum hac de re formemus conceptum, ordine tantùm progrediamur, nihilque admittamus, niſi quod luce ſua radiet, nec ſinamus nos averti ſpectris præjudiciorum & conceptuum confuſorum, ſi quæ nobis in via occurrant. Relegamus parumper relicta priora veſtigia. Dei natura & eſſentia conſiſtit in Eſſe ſimpliciter, quod eo ipſo eſt intelligere & velle; ita Deus à natura ſua habet ipſam exiſtentiam, neque ab alio fieri & produci poteſt, quod cum *eſſe ſimpliciter & abſolutè* planè pugnat; creaturæ verò ſuam naturam & eſſentiam habent à Deo, qui voluntate ſua tantam iis conceſſit realitatem, quantam voluit: atque hoc ipſo creaturarum natura eſt finita & limitata, nec proinde habet *eſſe ſimpliciter*; non ergo ex natura ſua poſſunt habere exiſtentiam, adeoque requiritur, ut, ſi exiſtant, exiſtant à Deo. In Deo igitur præter intellectum, quâ aſſignavit rebus creatis ſuas naturas & eſſentias, etiam conſideravimus voluntatem, quâ omnibus illis rebus, quas exiſtere voluit, ſuam aſſignavit exiſtentiam. Hæc Dei voluntas eſt cauſa, per quam habent iſtæ res ſuam exiſtentiam, quæ res iſtas exiſtentes, quamlibet ſuo tempore & ſuo loco, producit. Sicut autem in Deo nihil aliud eſt, propter quod habet ſuam exiſtentiam, quàm ipſius ſummè perfecta natura, ita in rebus creatis nihil aliud eſt, propter quod habent ſuam exiſtentiam, niſi divina illa voluntas; & ſicut in Deo nihil poteſt intercedere inter ejus naturam & exiſtentiam, ita nihil quoque intercedere poteſt inter voluntatem Dei, quâ res vult exiſtere, & inter ipſam illarum rerum exiſtentiam. Scholaſticorum quidam præter Voluntatem illam Dei adhuc conſiderant potentiam Dei Exſecutricem, quâ res ipſas actu in tempore producat, quod omni ratione eſt deſtitutum. Voluntas enim divina cùm ſit infinita, eſt etiam omnipotens & efficax & ad res producendum planè ſufficiens; unde quid ſit illa Potentia Exſecutrix præter hanc divinam voluntatem intelligi nequit. Nihil igitur hîc aliud eſt concipiendum, quàm quòd poſitâ hâc Dei Voluntate efficaci, quâ res quaſvis ſuo tempore vult exiſtere, ſequantur res illæ, atque ita ſponte eò deducimur, ut actionem & efficientiam divinam, quâ res quævis producuntur, debeamus conſtituere in eo, quòd res iſtæ ſequantur ex illa Dei voluntate. Nihil aliud hîc poteſt cogitari, niſi illud ipſum *ſequi*; nec in alia re, quàm in hac *ſequelâ*, poteſt ratio efficientiæ & actionis divinæ formaliter conſiſtere. Sicut exiſtentia Dei ſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſequitur ex ejus natura, ita exiſtentia creaturarum ſequitur ex hac Dei voluntate. Et ſicut nihil aliud poteſt dari, ex quo habeat creatura ſuam eſſentiam, præter Dei voluntatem, quâ eam conſtituit, quæ ſic immediatè, ex illa Dei voluntate ſequitur, ita nihil dari poteſt aliud, ex quo habeat creatura ſuam exiſtentiam præter illam Dei voluntatem, quâ eas vult exiſtere, ex qua propterea immediate ſequuntur. Et hic conceptus eſt, qui natura ſe omnium mentibus ingerit, & omnes in illa ſequela conſtituunt actionem; ſed quærunt quidem aliquid amplius; quærunt naturam actionis, quam tamen jam habent, nec enim aliud inveniri poſſe vel dari in antecedentibus ſatis eſt evictum. Spinoza omnes res creatas vult ſequi ex natura Dei, neſcio quâ, cùm ei deneget voluntatem, & ita vult ſequi, ut illæ res ſint partes & modi Dei; quæ omnia multis modis eſſe abſurda & repugnantia in antecedentibus evicimus. At natura Dei non poteſt diſtinctè concipi, niſi concipiatur ut volens atque volens efficaciter, ut propter hanc ipſam voluntatem rerum earum, quas vult exiſtere, exiſtentia ſequatur; nec enim voluntas eſſet perfectiſſima, niſi ex ea iſta omnia immediatè & infallibiliter ſequerentur: & quomodo divina voluntas eſſet omnipotens, niſi hoc haberet, ut ſimulac illa fuerit poſita, absque ulla interveniente alterius opera, absque ullis prærequiſitis, res ipſa, quam ea voluerit exiſtere, ſequatur; ſic à voluntate quavis impotenti atque inefficaci non poſſet diſtingui.

§. LVI. Verùm enim verò hîc magna ſe admodum offert difficultas, quam diſcutere oportet. Si enim Voluntas divina habeat tantam efficaciam, ut poſitâ voluntate, quâ Deus vult, ut res creatæ exiſtant, ſequatur illas exiſtere, cùm illa divina voluntas ſit æterna, dicendum quoque videtur, res omnes creatas fore ab æterno, adeoque mundum Deo eſſe coæternum. Si enim poſita Dei Voluntate æterna, quâ vult res creatas exiſtere, non mox ſequantur illæ res, quæ immediatè ex illa dicuntur ſequi, dicendum erit, quædam eſſe impedimenta, quæ prius oportet tolli, atque ſic eo ipſo non poterit dici, res illas immediatè ſequi iſtam divinam voluntatem, aut cum ea eſſe immediatè connexas, ſi demum ſequantur in tempore; ita enim oportet, ut inter voluntatem iſtam æternam & res, quæ fiunt in tempore, intervallum infinitum intercedat, quod manifeſtam implicat contradictionem: ubi enim, eſt

ſe

ſequela immediata ibi eſt immediata connexio, ubi eſt immediata connexio, ibi nullum poteſt eſſe intervallum, cùm connexio omne intervallum excludat. Hoc verò poſito magnum videbitur habere ſententia Spinozæ ſundamentum, conſiderantis res omnes tanquam modos æternæ divinæ eſſentiæ, quorum, aliqui ab æterno adfuerint, alii ſemper aliis ab æterno in æternum ſuccedentibus. Verùm enim verò nihil hîc apparebit eſſe periculi, modo naturam æternitatis, creaturæ, & temporis rectè intelligamus. Æternitatem vidimus ſuperius Deo propterea competere, quia ejus natura conſiſtit in *eſſe ſimpliciter*, in quo nullum ſit non eſſe, adeoque non finis alicujus eſſe & initium novi eſſe, quod in ſucceſſione locum habet, ſicque abunde demonſtravimus, æternitatem nullam poſſe admittere ſucceſſionem; quòd ſi igitur in æternitate nulla ſit ſucceſſio, nullus etiam poteſt locum habere hiatus, quia demum per iſtiuſmodi ſucceſſionem poſſet impleri. Qui ſic argumentantur confundunt æternitatem cum tempore, & confuſum formant conceptum temporis infiniti, cui tribuunt carentiam initii, quod eſt æternitatis, atque ſimul aſſignant ſucceſſionem, quod eſt temporis. Voluntas illa Dei de qua hîc agimus, vult exiſtere res, quarum eſſentiam Deus ſuo intellectu æterno jam, juxta noſtrum concipiendi modum, conſtituit. At eſſentia ſive natura iſtarum rerum talis eſt, ut non poſſint exiſtere, niſi in tempore. Et omnes illæ res, quas Deus vult exiſtere, ſive totus mundus, debent concipi tanquam unum aliquid, cujus diverſæ ſunt partes & conſequentia; hîc eſt primum, ſecundum, tertium &c. non in æternitate: hiatus ergo foret, ſi poſt tertium ſequeretur centeſimum, non poſitis intermediis, quæ prius ſuccedere deberent; non aliàs. Succeſſio autem iſta eſt temporis, quod ſupponit motum, in quo propriè loquendo locum habet ſucceſſio, quo numeratur & menſuratur per tempus: Nullus ergo hîc cogitari debet hiatus inter voluntatem Dei æternam & res, quæ ab ea producuntur in tempore. Connexio verò manet inter iſtam æternam voluntatem & rem quam producit, etſi eam non producat ab æterno, quia res quæ fit ab iſta voluntate, eſt connexa cum iſta voluntate tanquam effectus cum cauſa, non tanquam æternum cum æterno: non enim magis poteſt fieri, ut ſint duo æterna, quàm ut ſint duo dii: eſt connexa ſecundùm ſuam naturam, quam Deus ei dedit, non ſecundùm naturam, quam non dedit Deus, quam propterea

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

non habet : non habet autem naturam æternam, nec Deus ei naturam æternam dedit : Quid ergo? Deus vult voluntate, quæ æterna eſt, res exiſtere, quarum natura non niſi finita & per conſequens temporaria eſt : debent ergo illæ res ſequi & ſic exiſtere, eo ipſo, quòd eas vult exiſtere Deus. Non opus eſt, ut hîc cogitemus de intervallo intercedente, quod iis demum competit, quæ ſubjecta ſunt ſucceſſioni; de æternitate verò cogitari non debet. Eſſentiæ rerum ſunt æternæ, eo ſenſu quo antea vidimus, quatenus ab æterno intellectu divino formatæ ſunt rerum iſtarum ideæ, quæ iſtas res repræſentant; at exiſtentiæ rerum non poſſunt eſſe æternæ propter ea, quæ jam antea fuerunt dicta.

§. LVII. Dices, & hanc difficultatem adſtringes aliâ ratione, urgendo divinam illam perfectionem, per quam omnia à Deo dependent, quam nomine *Independentiæ* inſignire ſolent. Iſtud enim divinum attributum vel ab æterno Deus habet, vel dicendum eſt, illud Deo acceſſiſſe in tempore : poſterius ſi dicas Deo tribues mutationem atque Deo aſſignabis perfectionem, quæ acceſſit in tempore, quam non habuit ab æterno : ſi verò prius dicas, ſequetur, etiam creaturas quæ à Deo dependent, ab æterno extitiſſe. Si enim putes, ſufficere, ut à Deo dependeant creaturæ, quando ſunt, aſſignabis tantùm Deo ab æterno, quòd poſſint ab illo dependere creaturæ, & ſic neceſſariò aliquid amplius erit ponendum in Deo, per quod fiat, ut illæ actu ab ipſo dependeant. Quod ſi ſit in Deo ab æterno etiam ſequetur ab æterno actualis creaturarum dependentia, & per conſequens earum ab æterno exiſtentia. Sed ſophiſma hîc latere vel ex eo deprehendere licet, quòd ſi iſta argumentatio procederet, dicendum eſſet, omnes creaturas eſſe ab æterno, adeoque & animas omnium hominum, & corpora, & homines, & arbores, & animalia &c. urgeri enim poſſet, niſi hoc ſtatuatur, fore, ut in tempore res à Deo dependeant, quæ ab æterno non dependerunt, adeoque ſic novum Deo quotidie accedat attributum. Sed hæc difficultas tota evaneſcit, ſi modò quid ſit iſta Independentia ritè intelligamus. Vidimus in antecedentibus, res à Deo dependere, quoad eſſentiam, quatenus à Dei intellectu ſuam habent eſſentiam, & quoad exiſtentiam, quâtenus à Dei voluntate eſt, ut exiſtant, quando nempe exiſtunt. Hic ergo Intellectus & hæc voluntas divina eſt iſtud divinum attributum, quod hîc urgetur .Hoc æternum

eſſe, etſi res iſtæ non exiſtant ab æterno, ex dictis præced. articulo patet. Eo ipſo enim, quo iſte Intellectus & Voluntas in Deo ab æterno eſt, eſt illud attributum, quod dicitur Independentia, quod ne quidem ratione ab Intellectu & Voluntate iſtâ Dei, quâ vult res eſſe in tempore, poteſt diſtingui. Propter enim iſtam divinam voluntatem res quævis ſunt in tempore futuræ, quando autem ſunt, ſunt etiam propter iſtam ipſam voluntatem Dei æternam, & tantùm mutatur relatio, ut cùm antea res iſtæ fuerint relatæ ad iſtam voluntatem ut futuræ, nunc referantur ut ſunt ſive exiſtunt actu. Sic æternum illud eſt attributum divinum, quod dicitur Independentia, & tamen res creatæ ſunt in tempore quælibet ſuo, eo nempe, quod Dei voluntas illis aſſignavit. Sed eâ de re etiam actum eſt in I. Parte noſtri ad Examinis Spinozæ Defin. VI. ubi oſtenſum implicare contradictionem, ut aliæ res præter Deum ſint æternæ.

§. LVII. Fortè verò pro creaturarum æternitate quis urgebit ideam, quam habemus de mundo. Sicut enim quia habemus ideam mundi indefiniti, quòd poſitis quibuſcunque mundi finibus ſemper ultra illos ſpatia quædam in infinitum extenſa concipiamus, hinc inferimus, etiam revera eſſe talia ſpatia extenſa realia & per conſequens, mundum eſſe tantæ magnitudinis, ut ejus fines nunquam poſſimus concipere, eumque propterea pro indefinito debeamus habere, quæ omnia nota ſunt iis, qui Carteſii Philoſophandi rationem intelligunt, unde non eſt operæ pretium, ut hoc ulterius deducamus; ita videmur quoque habere ideam mundi æterni & propterea mundus æternus videtur eſſe judicandus. Poſitis enim quibuſcunque materiæ extenſæ initiis, neceſſitas tamen videtur nobis impoſita, ut ultra ea concipiamus extenſionem; quia, etſi verbis dicamus, nos ante iſta initia concipere nihilum, id tamen re ipſa non facimus, quia nihili nullam habemus ideam, neque id poſſumus per modum meræ negationis, ſed ſemper ſub modo alicujus entis concipere ſolemus: ſic igitur loco nihili, quod nos dicimus concipere ante mundi initium, videmur revera concipere aliquam extenſionem & quia ſic ante mundi initium ea concipitur, videtur ea concipi ut æterna, atque ita æternam quoque eſſe oportere; & propterea quoque ante quodvis mundi initium poſitum videtur mundus jam fuiſſe, & propterea eſſe æternus. Sed ſi accuratè rem expendamus, magna intercedit hic diverſitas. Verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

equidem eſt, nos abſolutè nihilum non poſſe concipere ante mundi initium, ſed propterea non opus eſt, ut ante illud concipiamus extenſionem. Ante mundi initium concipimus Deum, qui mundi eſt auctor, concipimus Intellectum ejus æternum, quo conſtituit rerum omnium quæ nunc ſunt in mundo eſſentiam, concipimus etiam Voluntatem ejus æternam, quâ mundum exiſtere voluit in tempore; negamus aliud fuiſſe Deo coæternum, atque ita cum Deo ante mundi initium formamus conceptum nihili negativum, quo negamus ullam rem præter Deum ante initium mundi fuiſſe; non ergo concipimus ante mundi initium extenſionem, ſed cùm extenſio ad mundum pertineat, concipimus, ante mundi initium nullam fuiſſe extenſionem, ſed fuiſſe Deum, extenſionis omnis, quæ eſt in mundo, aliarumque omnium rerum, quæ in mundo ſunt, auctorem.

§. LVIX. At è contrario contra Mundi æternitatem facit, quòd, ſi ponenda ſit ulla mundi æternitas ea alia nequeat intelligi, quàm quæ per infinitam concipiatur durationem omni initio carentem, adeò ut, ſi quamvìs durationem finitam per multos annos, imò per multas annorum myriadas multiplicare velimus, nunquam tamen ullo numero quantumvis magno exprimere poſſemus. At ne quidem hæc æternitas, quamvìs non ſit vera æternitas, prout ex æternitate, quæ in Deo eſt, intelligi poteſt, mundo aſſignari poteſt. Si enim talis ponatur æternitas mundi, ſive talis infinita ſucceſſio durationis, non poteſt eſſe hic dies, quo hæc ſcribo, vel alius hæc legit. Si enim iſta ſucceſſio à parte ante ſit infinita, atque nullum habeat initium, infinita erit iſtius durationis diſtantia ad hoc punctum temporis, quæ propterea nunquam poteſt finiri, & per conſequens nunquam poteſt eſſe hæc hora, quâ hæc ſcribimus & legimus, quæ omnia quàm ſint abſurda nemo non videt.

§. LX. Sed & ipſi naturæ mundi ſive rerum creatarum æternitas planè repugnat. Omnes res præter Deum ex ſe poſſunt non exiſtere, cùm exiſtentia non fluat ex earum natura. Si autem illæ res poſſent eſſe ab æterno: Ergo poſſent eſſe ab æterno tales res, quæ poſſent non exiſtere; Quæ autem poſſunt non exiſtere, poſſunt nunquam exiſtere, (illud enim poſſe non exiſtere ad nullum certum tempus determinatur) adeoque poſſunt non exiſtere & hoc & illo & omni tempore, & per conſequens poteſt omne eſſe tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

pus, quo tamen illæ res non exiſtant: poſſunt ergo nullo tempore ſive nunquam exiſtere. Si igitur concipiamus, ab æterno eſſe illa, quæ poſſunt non exiſtere, dicemus, ea ſemper exiſtere, quæ tamen poſſunt nunquam exiſtere. An verò non ſatis eſt evidens, non poſſe exiſtere ab æterno, quæ poſſunt nunquam exiſtere? Quæ enim ab æterno exiſtunt, ea ſemper exiſtunt: quæ ſemper exiſtunt, eo ipſo, quo exiſtunt, non poſſunt dici nunquam exiſtere; quod poteſt dici de iis, quæ poſſunt non exiſtere, uti ex antecedentibus eſt manifeſtum. Impoſſibile ergo eſt, aliquid Deo coæternum concipere, adeoque impoſſibile eſt concipere mundi æternitatem, & per conſequens, mundus non poteſt eſſe ab æterno. Mundus enim dicit complexionem omnium rerum finitarum, quæ ſunt vel mentes finitæ, vel corpora, quæ cùm ſingula ſint contingentia, & poſſint concipi non exiſtere, etiam totus mundus poteſt concipi non exiſtere.

LXI. Sic Efficientia Dei explicata facile nunc intelligemus, quomodo Dei voluntas ſe habeat ad mala, quæ ſunt in creaturis rationalibus, quomodo earum voluntates devient à voluntate divinâ, ut tamen nihil fiat ab ipſis, quin à divina voluntate ſit decretum, ut fiat, nec Deus Cauſa vel Auctor iſtius mali ſit dicendus. In ſuperioribus vidimus Voluntatem Dei aliam eſſe, quâ conſtituit ordinem univerſalem, aliam qua ordinem particularem conſtituit quarumvis rerum & creaturis rationalibus quoque præſcripſit. Ab hac ſi devient, malum perpetrant & malæ fiunt illæ creaturæ, eſtque nihil aliud malum in creaturis rationalibus, quàm deviatio ab ordine illo, quem Deus ipſis præſcripſit, adeoque eſt privatio, eſt defectus. Iſte defectus nullam propriè dictam cauſam poteſt habere. Efficientia enim pro effecto habet rem poſitivam aliquam, quæ ſit vi alterius rei, quæ propterea cauſa ejus dicitur, ſive illa cauſa agat per motum, ſive per volitionem: nec enim aliis modis cauſarum actiones concipi poſſunt, quod ex diſtributione ipſarum rerum eſt manifeſtum. Res enim vel ſunt extenſæ vel cogitantes, nec tertium genus dari vel intelligi poteſt, ut ex ſuperioribus patet; nec res extenſæ aliter agere poſſunt quàm per motum, cogitantes verò, quàm per volitionem. Cauſa tamen defectûs dari poteſt ſuo ſenſu & impropriè ſi per cauſam intelligas id, quod vi ſuæ naturæ poteſt & debet habere contrariam iſti defectui perfectionem, nec tamen habet, ita crea-

turæ

turæ rationales cauſæ ſunt peccatorum, quia poſſunt habere vi ſuæ naturæ volitionem convenientem cum ordine à Deo ſibi præſcripto, quam tamen non habent. Quantum verò attinet Deum, prout auctor eſt ordinis univerſalis, & ab æterno voluit omnia iſta, quæ fiunt in hoc mundo, ita fieri prout fiunt, is voluit creaturas rationales facere officium, quod ipſis præſcripſit, conſtituit iis dare tales vires cum ſuâ naturâ conjunctas, per quas illud præſtare poſſint, conſtituit efficere omnem ipſarum volitionem, quam habent, noluit iis dare omnem perfectionem, quam habere poſſent, noluit in ipſis efficere ſemper eam volitionem, quâ facerent officium ſibi præſcriptum, ad quod nullo modo ipſe tanquam ſummus rerum arbiter obligabatur, unde iſtius defectûs, qui in iſtis eſt hominibus, quando non faciunt officium præſcriptum, auctor eſſe non poteſt juxta dicta. Dùm tamen ſic conſtituit negare iſtam volitionem, quâ facerent officium, & produxit volitionem, cui per ipſas illas creaturas conjunctus eſt defectus, hoc æquivalet voluntati, quâ noluit iſtud malum impedire, quod tamen certum quendam locum in ordine univerſali obtinet. Sed nullâ ratione cauſa iſtius mali dici poteſt, tùm quòd defectus non poſſit effici, tùm quòd non poſſit referri ad Auctorem, niſi eum ſolum, qui obligatus eſt ad habendum id, quod non habet, vel ad operandum aut volendum id, quod non vult, aut non operatur. Ita amicus, qui in neceſſitate conſtituto amico donavit mille florenos, Auctor quidem eſt iſtius doni, non tamen eſt Auctor limitationis, quâ ſumma reſtricta eſt ad mille florenos, nec excurrit ad plura millia, hæc enim limitatio per accidens acceſſit, hoc ipſo, quòd non plus dedit: unde gratiæ debentur pro eo, quod dedit, quòd non plus dederit vitio verti non poteſt, quia nihil dare poterat. Ita imperfectiones rerum creatarum, comparatione facta ad Deum, tantùm ſunt negationes, perfectiones verò ſunt ejus dona, has dedit, illæ ſuperveniunt, hoc ipſo, quod non plus dedit, qui tamen ad nihil dandum erat obligatus, cùm amicus ſaltem ex jure amicitiæ ad juvandum ſit obligatus, quantum id non ſingulare detrimentum infert propriæ familiæ.

LXII. Porro ex eo, quòd res quælibet ſequuntur ex Dei voluntate æternâ, quâ ordinem univerſalem conſtituit, oritur omnium rerum neceſſitas, adeoque omnia illa, quæ ſunt, fiunt & futura ſunt neceſſariò ita fiunt & erunt, prout Dei Voluntas ut eſſent con-

ſtituit. Neceſſaria ergo ſunt omnia, tùm ex eo, quòd poſitâ Dei Voluntate, quæ omnipotens eſt & efficax, quâ facit omnia, quæ vult, res illæ non poſſunt non fieri & eſſe; tùm etiam quòd voluntas Dei æterna de illis rebus talis eſt, ut alia eſſe non potuerit, non quòd dependeat ab illis rebus extra Deum, ſed, quòd eo ipſo, quo eſt Voluntas Dei, eſt talis, quâ voluit id, quod eſt optimum, atque tandem, quòd omnes res ita inter ſe invicem ordinaverit, ut per cauſas intermedias quilibet effectus certò producatur, eo modo & in iis circumſtantiis, quas Deus concurrere, & ſimul eſſe voluit, qua ratione omnia cenſenda ſunt fieri quoque per cauſas neceſſarias. Unde diſtinctio, quæ eſt inter cauſas neceſſarias & contingentes non niſi reſpectu noſtræ cognitionis locum habere poteſt. Quod hodie tegula decidens ex tecto horâ decimâ occidat prætereuntem Mævium, Dei fit voluntate æterna, qui ita diſpoſuit omnes cauſas ſimul concurrentes ad hunc effectum producendum, ut eâ ipſâ horâ omnes adſint & operentur, ſcilicet, ut tegula eo tempore ſit ita præparata & ſoluta ab iis, quæ affigebant tecto, ut vel mole ſua vel vento impulſa decidat; ut Mævius tali tempore ita ſit diſpoſitus, voluntatem habens eundi ad iſtum locum; ut omnes circumſtantiæ ita ſint diſpoſitæ, ut hoc ipſo momento, quò decidit tegula, ita ſit conſtitutus, ut tegula poſſit ſic ferire caput, ut vulnus lethale inferatur. Atque ita judicandum de aliis quibuſvis effectis, quæ contingentibus dicuntur fieri cauſis, quæ contingentes non poſſunt dici, niſi habitâ ratione noſtræ cognitionis, quòd nos non attendentes niſi ad unum aliquod eorum, quæ ſimul concurrunt ad iſtiuſmodi effectum producendum, v. gr. ad tegulam decidentem, quæ, quia ſæpe decidit nullis prætereuntibus hominibus, vel non ita conſtitutis, ut caſus ille vulnus lethale queat infligere, dicimus tegulæ lapſum eſſe cauſam contingentem Mævii mortis, quia non attendimus ad reliquas concurrentes circumſtantias, quod nempe tunc temporis Mævius ſit eo ſitu, ut non poſſit non tegulæ lapſus vulnus lethale ei inferre. Sic igitur in rei veritate nulla ſunt futura contingentia, ſed quædam neceſſariò futura dicuntur contingenter futura ob defectum humanæ cognitionis. Atque ſic facile deciditur quæſtio, An Deus certò cognoſcat futura contingentia? Cum enim omnia, quæ fiunt in mundo, non fiant niſi ex divina voluntate, quâ conſtituit ordinem omnium re-

rum

rum, impoſſibile eſt & contradictorium dicere, Deum iſta omnia non certò cognoſcere, quum non poſſit non iſtius ſuæ Voluntatis ſibi eſſe conſcius. Dein, quia iſta omnia, quæ fiunt, fiant per cauſas neceſſarias, quibus omnibus ſimul poſitis & concurrentibus, non poſſit non poni effectus, illæque omnes cauſæ hoc habeant ex diſpoſitione & ordinatione divina, fieri non poteſt, quin Deus iſtorum omnium habeat certam cognitionem. Neque hîc ulla amplius difficultas eſſe poteſt, niſi quæ moveri poteſt ratione cauſarum liberè agentium: verbi gratia bellum movetur inter duos Reges, potentiorem alterum, alterum longè impotentiorem. Conſiliarii potentioris moventur ad proditionem, ad ſuggerendum conſilia noxia, id totum à voluntate eorum pendent, alii enim forte non moverentur; ſequitur Rex conſilia ſibi noxia, cùm poſſet non ſequi; committitur prælium, ſubducunt ſe Duces vel ita pugnant, ut vinci velint, inducti & ineſcati pollicitatione magnæ ſummæ argenti, vincitur Rex fortior; poſtea iterum congrediuntur, alia omnia eveniunt, Rex ducitur aliis conſiliis, removit proditores, ſubſtituit fidos & acres duces, evadit victor, ſed prælio cruento; debilitantur utriusque exercitus vires, trahitur bellum, tandem pax ſancitur certis quibuſdam legibus. Deus tamen hæc omnia exactiſſimè novit, & ſic potuit accuratè prædicere & bellum & ejus eventum. Ab æterno enim conſtituit, ut alterius Regis conſiliariis hoc tempore nummi offerrentur, ut moverentur & ineſcarentur amore iſtorum nummorum, ut conſilia talia ſuggererent, ſic voluit etiam diſpoſitum eſſe Regis animum, ut conſilia iſta prava audiret & ſequeretur & ſic de reliquis.

§. LXIII. Ex his autem, quòd Deus varias creaturas æternâ ſua voluntate condidit & continuò conſervat, naſcitur relatio illarum creaturarum ad Deum & vice verſâ Dei ad creaturas. De eo vix dubitari poteſt ab ullo, qui naturam Dei intelligit, & ea, quæ in ſuperioribus fuerunt dicta, rectè fuerit meditatus, tantùm conſiderandum eſt aliquantò diſtinctius fundamentum iſtius relationis, & modi loquendi cum ipſâ naturâ rei convenientes ritè ſunt diſcernendi, &, qui maximè ſunt convenientes, adhibendi. Relatio iſta dicit unionem quandam creaturarum cum Deo, quæ exprimitur, dùm Deus iſtis creaturis dicitur *adeſſe*. Dum Deus omnes creaturas creavit, adfuit illis, & dum eaſdem adhuc continuò conſer-

ſer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſervat, adhuc illis adeſt. Conſideremus, quomodo res corporeæ adſint aliis, item res cogitantes, & tandem, quomodo Deus aliis adſit intelligemus. Res corporeæ adſunt aliis per id, quod habent, non per id quod non habent. Habent res corporeæ omnes extenſionem, quæ naturam earum ſive eſſentiam conſtituit; quædam etiam habent motum. Adſunt ergo res corporeæ per ſuam extenſionem & per ſuum motum. Referuntur autem res corporeæ vel ad alias res corporeas, vel ad res cogitantes. Res corporeæ relatæ ad alias res corporeas mole ſuâ & extenſione ſua alia corpora excludentes, ſibi ipſis faciunt locum, quem mole ſuâ & magnitudine occupant. Sic dicuntur eſſe in loco, quem ſic ſubſtantiâ ſuâ extenſâ replent, atque ita hujus ſuæ extenſionis extremitate alia corpora circumjacentia contingunt, quibus ſic adeſſe dicuntur. Adſunt ergo propriè iis corporibus, quæ ſic immediatè ſuâ ſuperficie contingunt; aliis corporibus remotioribus ita adſunt, ut diverſo reſpectu ab iis etiam abeſſe queant dici, ſed prioribus dum adſunt, eo ipſo nulla ratione dici poſſunt ab iis abeſſe. His verò adſunt per intermedia corpora, ſicque vel propius adſunt vel remotius, prout plura vel pauciora corpora, item minora aut majora inter hæc & illa corpora intercedunt. Sic verò de Deo non eſt cogitandum. Deus nullam habet molem nullam extenſionem: per eam ergo non adeſt corporibus, non enim poteſt adeſſe per id, quod non habet. Sic Deus propriè loquendo non eſt in loco, non eſt in ubi, non eſt in omnibus locis & ubi, ſive, quod idem eſt, non eſt Ubique. Hæc phraſis, eſſe in loco, eſſe in locis, eſſe in omnibus locis, aliquod corporeum ponit fundamentum, quod in Deum non cadit. Adſunt etiam res corporeæ per ſuum motum aliis corporibus? quod duplici poteſt intelligi ratione, vel quatenus per motum recedunt è vicinia corporum quorundam in viciniam aliorum, vel quatenus per motum alia corpora impellunt & ſic motum quendam iis vel eorum partibus communicant: priori modo ita adſunt, ut ſimul quoque recedant; adſunt per momentum & ſequente abſunt? poſteriori modo aliquid per ſuum motum in corporibus operantur & producunt.

§. LXIV. Sed dicuntur etiam adeſſe rebus cogitantibus. Hujus relationis fundamentum non eſt ſitum in rebus corporeis; ex ſe enim nihil neque per ſuum motum neque per ſuam extenſionem ad id conferre poſſunt; ſed fundamentum illud petendum eſt ex ipſis re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

rebus cogitantibus. Hoc non poſitum eſt in ipſâ cogitatione, quà talis eſt: poſſunt enim res cogitantes finitæ cogitare de aliis rebus, non de his ipſis corporibus. Non ergo adſunt, quando de illis hæ non cogitant. Sed ſi de illis corporibus cogitent hæ res cogitantes, corpora illa adſunt iis, & vice verſa res cogitantes adſunt illis corporibus. Cogitatio autem iſta vel eſt ſimplex illorum corporum cognitio; ita quibuſdam corporibus adſunt tantùm per cognitionem; vel eſt volitio quædam circa illas, eaque vel talis, ut per iſtam voluntatem res iſtas ſibi jungant, cujuſmodi voluntas amor appellari ſolet, ſic adſunt iis amore, & hinc ortum illud diverbium, *Amans eſt ubi amat*; vel cogitatio iſta denotat talem volitionem, per quam in illa corpora operantur & in iis aliquid producunt & efficiunt, ſive immediatè ſive mediatè; ita adſunt corporibus, quæ movent, quibus mutationem aliquam inferunt. Hæ porrò res cogitantes etiam adſunt aliis rebus cogitantibus, ſimilia ob fundamenta, vel cognoſcendo eas vel amando, vel aliquam mutationem in iis efficiendo, v. gr. efficiendo ut intelligant aliarum conceptus; ita anima Titii linguam ejus gubernans, ut certa quædam verba producat, quibus ejus mens exprimatur, quam me vult cognoſcere, efficit ſic, ut ejus intelligam mentem. Ita anima ejus adeſt meæ animæ, & vice verſa mea anima adeſt animæ ipſius.

§. LXV. Deus, qui eſt res cogitans infinita, adeſt quoque & omnibus corporibus & omnibus rebus cogitantibus finitis, per id quod habet, & eo modo quo habet. Sibi ipſi adeſt, ſive præſens eſt æterna ſui ipſius cognitione & amore, juxta ea, quæ prius fuerunt dicta. Habet enim cognitionem ſui ipſius eo ipſo, quòd eſt res cogitans infinita, habet infinitum ſui amorem, vel hoc ipſo, quòd ſe ſummè perfectum perfectiſſimo & infinito modo cognoſcit & exhaurit. Creaturis item adeſt per id, quod habet quod eſt intellectus ſive cognitio, Volitio, Potentia, Eſſentia. Primùm à nobis concipitur adeſſe creaturis per intellectum & cognitionem, dum de iis formavit ideas, per quas eſſentias earum conſtituit, juxta dicta in antecedentibus; non enim habet ideas aliunde dependentes, ſed ipſe omnium idearum de rebus creatis eſt auctor. Intelligendo iſtas creaturas format iſtarum creaturarum ideas & ſic volendo & ſimul cognoſcendo iis adeſt; per eas enim ideas cognoſcit creaturas. Vult etiam Deus creaturas producere, & hâc ipſâ voluntate eas in tempore pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

duxit & adhuc conſervat, atque ſic iis adeſt hac ſua voluntate, per quam operatur in iis creatione vel conſervatione. Operatione ergo adeſt omnibus ſuis creaturis, quas produxit & adhuc conſervat, quæ operatio cùm a Voluntate ejus proficiſcatur, ſic etiam Voluntate ſua cenſendus eſt iis adeſſe. Hujus ſuæ Voluntatis non poteſt non ſibi eſſe conſcius, & per conſequens cognoſcit illas quoque omnes creaturas, quas produxit & conſervat. Sic adeſt omnibus creaturis & cognitione per Intellectum & curâ atque operatione per Voluntatem. Voluntas autem iſta, prout refertur ad creaturas, prout nondum ſunt productæ, ſed poſſunt produci & per eam producuntur, ſortitur nomen divinæ Potentiæ, atque ita rebus illis productis omnibus Deus adeſt ſuâ potentiâ; & hæc Potentia eſt eadem, cum ipſius infinita eſſentia, atque ita quoque Deus adeſſe dicitur omnibus rebus ſua eſſentia. Hoc ordine conceptus noſtros firmare debemus, quem Ordo cognitionis nobis præſcribit. Primùm referimus res creatas ad Deum ratione divinæ operationis, à qua ipſæ illæ res denominantur & *creatæ* dicuntur, dein ratione voluntatis, à qua iſta operatio proficiſcitur; & quia iſtius Voluntatis non poteſt Deus non eſſe conſcius, ſic cenſetur quoque Deus iis adeſſe ſuâ cognitione; nec poſſumus iſtam Voluntatem ſic producentem & operantem conſiderare, niſi ſub ratione Potentiæ, quæ divina eſt Eſſentia, unde etiam Deus iis dicitur adeſſe ratione Potentiæ & Eſſentiæ. Atque hoc attributum divinum nomine *Omnipræſentiæ* divinæ venit. Phraſis iſta præſentem eſſe alicui propriè de hominibus uſurpatur, qui non ſolo corpore, ſed animo h. e. cognitione & voluntate adſunt. Cognoſcimus id ex lege *coram* 209. D. De Verb. Signif. *Coram Titio aliquid facere juſſus non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat: itaque ſi furioſus, aut infans ſit, aut dormiat, non videtur coram eo feciſſe.* In homine duo ſunt corpus & anima: quando adeſt corpus, poteſt Titius, qui fecit aliquid in vicinia ejus, dici adfuiſſe iſti corpori, ſicut vice verſa corpus iſtud adfuit Titio; ſed ſi Titius interea vagetur ſuis cogitationibus, nihil quicquam iſtius rei, quæ fit, curat & cognoſcit, præſens is fuiſſe non dicitur. At id Deo applicari nequit ullâ ratione. Deus ſemper cognoſcit, ſemper vult eſſe creaturas, dum ſemper conſervat, quas ſemel exiſtere voluit. Præſens ergo eſt Deus omnibus corporibus, omnibus rebus cogitantibus finitis, toti rerum uni-

ver-

verſitati, quæ cognoſcit, curat, conſervat & gubernat. Atque hoc eſt Attributum divinum, quod *Omnipræſentiæ* nomine commodiſſimè appellari poteſt.

§. LXVI. Ex iis, quæ hactenus abunde fuerunt dicta de Eſſentiâ & Attributis divinis, nunc facile apparet, Deum eſſe ſimpliciſſimam ſubſtantiam. Ad hoc autem attributum ſimplicitatis explicandum non ſufficit, ut dicatur; *nihil eſſe in Deo, quod non ſit Deus*; etſi enim in corpore nihil ſit, quod non ſit corpus, corpus tamen omne ex his ipſis, quæ in eo ſunt, eſt compoſitum, eo ipſo quo hæc ſunt in illo: at ſimplicitas Dei omni opponitur compoſitioni, atque ſic negativè communiter iſtud attributum declaratur; ut deſignet omnis compoſitionis negationem, per quam vel minima diverſitas in Deo ponatur. Deſignat ergo poſitivè iſtud divinum attributum omnium iſtorum attributorum divinorum inter ſe & cum eſſentiâ divinâ connexionem, ut unum eſſe non poſſit, quin ſimul inferat alterum, vel clarius, abſolutiſſimam identitatem attributorum divinorum & divinæ eſſentiæ. Hoc autem facilè intelligitur ex dictis, ex quibus apparet, omnia attributa divina nihil aliud eſſe quàm *ſimpliciter eſſe*, quod non differt à *Velle* ſuprema & independenti volitione, & *Intelligere* perſpicaciſſimo & planè rem penetrante intellectu, ſed tantùm eſſe aliam iſtius *eſſe* relationem, propter quam aliam etiam ſuſcipit denominationem. Eſt quoque in Deo ſumma inter Intellectum & Voluntatem identitas, quod in fine art. VII. fuit oſtenſum, neque hæc eſt latior illâ, cùm utraque ſit infinita, nec Deus poſſit dici velle id, quod non intelligat, ſicut inter nos homines obtinet. Simplicitas Dei etiam in eo conſpicitur, quòd Dei intellectus & voluntas non ſit niſi unicus & ſimpliciſſimus actus divinus, quo omnia vult & intelligit, nec in Deum poſſit cadere ulla actuum ſucceſſio & ſequela unius poſt alterum, præterea, quod unicus iſte actus ſit ejuſmodi, ut non poſſit alius concipi, ut ita ne quidem ab æterno aliter potuerit velle, quàm reverâ voluit. Apparet Dei ſimplicitas in eo quoque, quòd divina voluntas ab ejus Potentia non differt niſi certo quodam conſiderandi modo, prout id in antecedentibus fuit explicatum. Ita quoque Dei Gratia, Benignitas, Miſericordia, Juſtitia, Sanctitas &c. nihil aliud ſunt, quàm Dei voluntas alio atque alio modo denominata. Et ab illa voluntate ſola nulla alia intercedente in Deo facultate omnia ſunt, quæcunque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

ſunt, & conſervantur. Sic Deus omninò eſt ſimpliciſſimus, nihilque reperiri poteſt hâc in parte ſimile creaturis. Creaturæ nihil habent à ſe, Deus omnia à ſe habet, Eſſentia Dei nihil aliud eſt quàm ſimplex eſſe, & illud *eſſe* eſt infinitus intellectus, eſt infinita voluntas, eſtque ille infinitus intellectus infinita & independens voluntas, & illa voluntas independens eſt independens intellectus, creaturarum eſſentia tota eſt dependens ab infinito Intellectu. Viciſſim creaturarum exiſtentia dependet à divina voluntate, nec ex ſua natura & eſſentia, eo ipſo, quo illa eſt dependens, habent exiſtentiam; at Dei eſſentia eſt ipſa ejus exiſtentia, neque ſinè hac illa ulla ratione poteſt concipi. Creaturæ diſtinctam habent potentiam ab actu, & non eo ipſo, quòd ſunt, habent actum, ſed ad id ſunt ſæpe in potentia, quod nondum ſunt actu : at in Deo talis potentia ab actu diſtincta nulla datur; unicus & ſimpliciſſimus ipſe eſt actus, nunquam Deus eſt in potentia ad ullum actum. Nulla in Deo eſt potentia, cui ſuccedat actus, quod in creaturis ſemper locum habet. Unica & ſimpliciſſima voluntate Deus omnia quæcunque ſunt & erunt efficaciſſimè operatur, quæ reſpectu eorum, quæ nondum ſunt, Potentiæ accipit denominationem. In creaturis multa ſunt, quæ abeſſe poſſunt & ab iis ſeparari, in Deo nihil eſt, quod non ſit ipſe Deus. Et quia creaturæ non exiſtunt, eo ipſo, quòd habent naturam & eſſentiam, hinc nec exiſtunt ab æterno, nec omnia, quæ habent, ſimul & ſemel habent, ſed unum habent poſt alterum exiſtentiæ actum; at Deus, quia exiſtit per ſuam eſſentiam, non habet diverſum ab altero exiſtendi actum ſed ſimplex eſt & indiviſibilis ejus exiſtendi actus, nullo modo differens ab actu eſſendi, quo eſt. Nihil ergo eſt in Deo, quod ullo modo à Deo queat ſeparari, à creaturis omnia, quæ ſunt & habent, adimi poſſunt, & quemadmodum ab æterno nihil fuerunt, ita etiam omnia ab ipſis queunt auferri, ita ut in æternum poſſint iterum eſſe nihil.

§. LXVII. Ex hac ſimplicitate Dei immediatè ejuſdem ſequitur Immutabilitas, quæ nihil aliud denotat, quàm talem eſſentiæ & attributorum divinorum ſtatum, qui nulli variationi ſit obnoxius. Qui enim ita eſt ſimplex, prout illa Simplicitas à nobis fuit explicata, ei nihil poteſt demi; ſi enim aliquid demas, non ſimplex foret; *illi etiam* nihil poteſt addi, quòd ſi quid addas non ſimplex foret amplius. Sed & ſi explicetur intima iſtius ſimplicitatis origo, ex quibus oritur,

illa omnia etiam Immutabilitatem divinam demonſtrabunt. Ubi enim eſt *eſſe ſimpliciter*, in quo nullum ſit non eſſe, nulla mutatio poteſt locum habere; ſi enim mutaretur, eſſet in illo aliquod non eſſe, cui ſuccederet eſſe, vel alicui eſſe aliquod non eſſe ſuccederet; quo poſito Deus non eſſet *ſimpliciter eſſe*, ſed in eo aliquod non eſſe daretur. Dein Deus eſt unicus & ſimpliciſſimus actus, in quo nulla eſt ſucceſſio, atque ita nulla mutatio, imò in quo, ut nulla ſucceſſio, ita nulla mutatio locum habere poteſt. Deus eſt infinitus, adeoque omnem perfectionem poſſidet; ſi autem mutaretur, vel mutaretur in melius, vel in deterius, vel in æquale. Melior fieri non poteſt, quia eſt optimus, quippe habens omnes perfectiones; nec deterior, quia ſic non haberet omnes perfectiones, inter quas non foret ea, quâ immunem ſe conſervare poſſit, ne deterior evadat; nec etiam æquales prioribus perfectiones recipere poteſt, quia aliàs non haberet omnes. Sic quoque Æternitas Dei, quæ omnem ſucceſſionem excludit, eo ipſo Immutabilitatem infert. Nulla eſt mutabilitas in Dei intellectu, nulla in Dei voluntate: atqui eſſentia divina, ſive Dei ſimpliciter eſſe in Dei velle & intelligere abſolvitur. In voluntate nulla poteſt eſſe mutatio, quia voluntas Dei eſt ſapientiſſima, eſt optima, cui nihil inexſpectatum obvenire poteſt, quod mutationem juberet in melius; nihil eam impedire poteſt, nihil ei reſiſtere, quo fieri poſſet, ut evaderet deterior; ſive, ut verbo dicam, voluntas Dei vult optimum, quo melius dari non poteſt.

§. LXVIII. De Scientia Dei dici poſſet, eam mutari ratione futurorum, præſentium & præteritorum; cognoviſſe enim Deum ab æterno Julium Cæſarem ſuo tempore futurum, cognoviſſe poſtea Deum Julium Cæſarem in tempore quando erat, & tandem cognoviſſe eum, quando fuerat. Sic igitur aliam atque aliam eſſe Dei ſcientiam. Sed quæ in antecedentibus à nobis fuerunt demonſtrata ſufficiens nobis præbent fundamentum, cui innitentes nos poſſimus ex his difficultatibus expedire. Vidimus Dei voluntatem de rerum exiſtentia futura, eſſe ſimul cum ejus ſcientia. Hâc autem ſuâ voluntate aſſignavit J. Cæſari omnes & ſingulas proprietates, quas, dum in tempore eſſet, habuit, & quibus ab aliis quibusvis individuis fuit diſtinctus. Sic verò hujus ſuæ Voluntatis ſibi perfectiſſimè conſcius ab æterno omnia & ſingula, quæ in J. Cæſa-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

re erant futura, perfectiſſimè cognovit, eſtque illa cognitio eadem ſemper in Deo, ſive J. Cæſar ſit futurus, ſive actu ſit, ſive antea fuerit, non eſt perfectior nec imperfectior. Non ergo poteſt ulla eſſe mutatio in ſcientia Dei, quia nunquam perfectiùs, nunquam imperfectiùs illum cognovit, ſed eodem plane modo ſemper; in hominibus illa locum habet, quòd eorum ſcientia dependeat ab objecto, quod plures repræſentat nobis realitates, quando nobis præſens eſt, quàm dum abeſt, at Dei Scientia à Voluntate Dei, quæ ſemper eadem eſt, dependet, vel potius, illa ſcientia eſt Dei Voluntas, quatenus ea implicat ſui ipſius conſcientiam; at in Deo æterna iſta ſcientia J. Cæſaris diverſum habet reſpectum ad J. Cæſarem, prout vel ut futurus vel ut præſens vel ut præteritus conſideratur, propter quem diverſam quoque ſuſcipit denominationem, ut dicatur, Deum noviſſe ab æterno J. C. eſſe futurum, in tempore cognoſcere J. Cæſarem eſſe, &, poſtquam fuit J. Cæſar, cognoviſſe eum antea fuiſſe; atque hic reſpectus dicit tantùm diverſam applicationem ſive conjunctionem, quæ fit per noſtrum intellectum, iſtius Scientiæ cum J. Cæſare, prout vel erat futurus, vel erat actu, vel olim fuerat. Sicut ergo per applicationem Voluntatis Dei ad effectum nihil accedit ad ejus Voluntatem, ita nec per applicationem Scientiæ ad rem præſentem, aliud præter iſtum reſpectum, accedere poteſt.

§. LXIX. Atque ita tota illa mutatio, quæ Deo videtur accedere ob mutationem creaturarum, non vera eſt, ſed relativa, hoc eſt mutatio tantùm relationis & reſpectûs, fundamentum habens non in Dei ſed in creaturæ mutatione reali, manetque Deus Immutabilis in eſſentia & in omnibus ſuis attributis, ſicut eſt, & manet Simpliciſſimus, & omninò perfectus, ſimplex Eſſe à quo omne non eſſe exulat. Et quoniam illud ſuum eſſe in Intelligere & Velle conſiſtit, atque is intelligit & vult ſemetipſum primariò, atque in ſe ipſo omnia quæ ſunt aut eſſe poſſunt, amat ſic ſemetipſum perfectè atque pleniſſimè acquieſcit, nihilque eſt quod vel deſideret vel deſiderare poſſit. Ob quam conſiderationem ille ſummè Beatus eſt & dici poteſt, infinitè hac in beatitudine ſuperans omnes creaturas, quarum quædam intellectu & voluntate præditæ etiam beatæ ſolent dici, quatenus Deus ſeſe ſingulari modo cum illis communicat, atque ita perfectiſſimè eorum deſiderium expletur, dum eum, qui

eſt Summum Bonum, poſſident & æterno amore complectuntur. Dum enim hoc modo ſunt beatæ, aliunde ſemper dependent, atque eo ipſo imperfectæ ſunt, præterquam quòd hoc ipſum ſit magna imperfectio, quod potuerint aliquid extra ſe deſiderare. Quòd ſi Deus aliunde ullo modo dependeret eo ipſo infinita careret perfectione, ſimiliter, ſi unquam quicquam potuiſſet deſiderare, non habuiſſet ab æterno omnia, atque ſic Deus non eſſet. Hæc ſunt ſumma capita, ad quæ reduximus eam, quam de Deo aſſecuti ſumus cognitionem; quæ omnia tantùm nobis indicant, infinita ſemper reſtare in illo infinito Deo, ad quæ cognoſcenda mens noſtra ſemper poteſt anhelare, ſicque nos habere infinitum illudque ſumme delectabile Objectum, in cujus ſpeculatione operæ pretium eſt, ut omnes vitæ noſtræ dies impendamus. Huic ſupremo & auguſtiſſimo Numini ſit omnis honor laus & gloria in ſempiterna ſecula. Amen.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Benigne Lector.

DE iis, quæ ſequuntur literis, paucis ſic habe. Vir doctus atque in ſcriptis Spinozæ haut malè verſatus, ad petitionem Auctoris noſtri, argumenta palmaria, quibus communem atque orthodoxam ſententiam de cauſalitate univerſi, ejuſque à Deo diſtinctione impugnat Spinoza, in prima epiſtola complexus eſt, hæc autem in altera, quæ ſequitur, refellit ac plane enervat Noſter Wittichius. Quibus cùm in dijudicandis iis, quæ in utrâque hujus libri parte traduntur, ſiquidem eorum continent ſummarium, te non parum adjutum iri nobis viſum ſit, eaſdem hac occaſione publici facere juris non dubitavimus. Vale, iiſque utere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EPISTOLA I.

Viro plurimum Reverendo atque Celeberrimo

CHRISTOPHORO WITTICHIO.

* * * * * * * * * * * * * * * *

STandum eſt honeſto viro promiſſis, ſi ad minimum recenſeri ſe in numero negligentium non patiatur, minus mihi quidem, quàm cogitaveram, otii ſupereſt, ut de re tam ponderoſa diſputem, meque accingam proferre, quæ pro B. D. S. ſententia circa quæſtionem, *quid Deus ſit?* in medium produci poſſe videntur. Scribam tamen breviter ea, quæ incidunt mihi, & tantò lubentius, quantò magis animo volvo, me à viro tam Solido & perſpicaci lumen purius poſſe fœnerari. Eſto itaque τὸ κρινόμενον, *An Deus ſit alia ſubſtantia ab univerſa natura diſtincta, quæ ex nihilo Mundum creavit: An verò Mundus pertineat ad naturam Dei, quatenus eam conſideramus, ut Ens infinitè cogitans & extenſum.* Poſtremum quidem tueretur B. D. S. quantum potui percipere mentem ejus, ſequentibus rationibus.

Diſtingueret inter ideam de Deo fictam impuramve, vel veram & diſtinctam, cui nihil imaginationis, ſed quod puri tantùm intellectûs eſt, immiſcetur. Eſſe Deum *Ens perfectiſſimnm* apud omnes in confeſſo eſſe, ſtatueret; ſed quid pura puta ratio, ut tale, concipiat, inquiet, non eſt æque facile determinare; tum propter præjudicia infantiæ ſecundùm quæ unuſquiſque ferè, ſi ſe examinet, paulo aliter de Dei natura ſentit, quemadmodum variæ nationes diverſimode de Ente illo cogitant; tum propter officium, amicos, famam aliaque, quibus quilibet propter naturalem conatum conſervandi ſuum individuum ita afficitur, ut aliquando aliter ac aliter pro ſtatûs felicioris vel infelicioris &c. diverſitate de quibuſdam rebus ſentiat; tum poſtremo propter vim noſtræ imaginationis, quâ difficile accidit diſtinguere inter adæquatas & inadæquatas rerum ideas:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

quæ vis, quanta ſit, vel in melancholicis apparet, qui ſæpe per totam vitam ab opinione ſua inſulſiſſima ſe abduci non patiuntur. Sed ad rem propius accedamus, & quædam argumenta, quæ adverſùs noſtram ſententiam produci in medium poſſunt, proponamus, in quibus naturalem præciſe ordinem ſequi haud neceſſum erit: ſed ea, uti mihi nunc ſuggeruntur, exponere ſufficiet.

I°. quidem, dicit autor noſter, impoſſibile eſt formare conceptum *creationis ex nihilo*, quod neceſſe foret ad eam ſtabiliendam: quòd ſi dicas revelatione nos edoceri: ſed ne quidem ſine hâc determinatâ veritate, de tali revelatione Dei certus fieri potero, uti fuſius poſſet demonſtrari; daturque in ideâ creationis ex nihilo, ſecundùm Spinozam, contradictio, uti ex ſequentibus patebit.

II°. Cùm Ens perfectiſſimum neceſſariò agat perfectiſſime, ſequitur quodcunque operatur, aliter eſſe non poſſe; ſi itaque mundus non potuit non fuiſſe, & Deus ſine eo perfectus concipi non poſſit, pertinebit is, ſic volente Spinoza, ad Dei naturam, utpote neceſſarius ac æternus.

III°. Ens beatiſſimum & perfectiſſimum nil poteſt velle præter ſe, quia quid producere extra ſe naturam ſummæ beatitudinis & perfectionis evertit; qui nimirum eâ potitur, quomodo ſine contradictione aliud quid extra ſe velle poteſt concipi? rogabit Spinoza, ac pro reſponſo ſibi ipſi dabit, non magis ac mons ſine convalle.

IV°. Ponamus, inquiet, mundum non pertinere ad Dei naturam, eum, inferet, continere perfectionem quis negabit? erit ergo aliqua perfectio realiter à natura Dei diſtincta. Si regeras, eam perfectionem eſſe in Deo *eminenter*; hoc author pro mero termino habebit, rationem addet, quia illius conceptus nullus formari poteſt in reſpectu ad Ens illud perfectiſſimum. Atque hæc quidem nunc obvia ſunt; quòd vero Deum ut ſubſtantiam à mundo diverſam conſideremus, oriri poteſt, dicet Spinoza, exinde, quod Deum concipiamus ut architectum formatoremve, quos conſuevimus vulgo ab opere ipſo realiter diſtinguere.

Nunc reliquum eſt, ut videamus ſpecialius, an *extenſio* poſſit & debeat ad naturam Dei referri; quod ſic quoque autor conaretur demonſtrare; quia contradictorium eſt, cogitare ſubſtantiam tantùm cogitantem producere aliam ſubſtantiam extenſam, quæ nil cum illâ commune habet, quæ ergo cùm per ſeipſam cognoſci poſſet, alius Deus foret, quod eſt abſurdum. *Ex-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Extenſionem autem naturæ divinæ haud indignam eſſe, hiſce confi-cere ſtuderet rationibus; quia *ſimpliciſſima* eſt, quà talis, ac *æterna* & *infi-nita*, ut ex noſtrâ de extenſione ideâ demonſtrare ſatagit; item tantùm puto intellectu concipitur, ac ſub ſenſus cadere nequaquam poteſt.

Si dices, potentia infinita poterit extenſum ex nihilo produce-re, idem eſt, inquiet, ac ſi diceretur, *infinitum poteſt extra numerum infinitum alium ponere*. Si diſtinguas inter *infinitum extenſione & per-fectione*, regeret, infinitum perfectione cogitari ſine contradictione non poſſe, ſi infinitam extenſionem, quæ & ſummum attributum eſt æternæ perfectionis ab eo removeas. Porrò ſi dicas, *extenſio* non eſt *cogitatio*, Deus autem ſimpliciſſimus concipitur, nec ullam *com-poſitionem* vel realem vel modalem patitur; regeret, illa eſſe at-tributa æternæ ſubſtantiæ, quæ conveniunt in conceptu infinita-tis: Idem namque eſt Ens infinitum, quod modo ſub attributo co-*gitationis*, modo *extenſionis* concipitur. Habemus quidem ideas cogita-tionis & extenſionis, ita ut una idea non ſit alia eo reſpectu, con-ſuevimuſque iis immiſcere ideas ſpeciales corporum & particularium idearum: Sed quia, quid ſit τὸ cogitare, quid τὸ extenſum, quid infinitum eſſe non clare explicare poſſumus, nec etiam poſſibile erit ex eo aliquam compoſitionem concludere: quis namque negare poterit, ſi unumquodque attributum conſiderari poſſet in ſua per-fectione, diſtinctionem exinde nullam orituram, niſi rationis, quæ compoſitionem nullam parit? Sed, perget Spinoza, id ponamus ob-ſcurum, non tamen id, quod clariſſimum eſt attendenti, negan-dum erit: & multò ſimplicius dicet *autor* omnia hâc viâ declarari poſſunt, quàm ſi ponas duas ſubſtantias planè diverſæ naturæ, qua-rum tamen una ab alia producta erit, tutiuſque conſulitur Dei *Simpli-citati* & *Summæ perfectioni*, ſi mundum ad Dei naturam referas, quàm ab eâ diſtinguas; ut omittamus, ea, de quibus circa Dei attribu-ta, decreta & quæſtiones theologicas inextricabiles ſe torque-re ſolent Philoſophi & Theologi plus æquo, ex illâ ſententia pla-na eſſe, & hoc demum modo viam præparari, ut omnes tandem na-tiones in unum coaleſcant, & idem de Deo & religione ſentiant. Atque hæc quidem ſunt Vir Clariſſime, quæ nunc proponere è re ju-dicavi; ſententiam tuam brevi expectabo; dubio procul & eas tibi moviſti difficultates & plures etiam. Vale Vir Venerande & certum habe, quod totus ex animo tuus ſim. Dabam . . . . Kal. Feb. A°. 1681.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

EPISTOLA II.

CHRISTOPHORI WITTICHII

Reſponſio ad præcedentem.

STatum controverſiæ à te non malè ex mente Spinozæ conſtitutum eſſe, liberè confiteor. Video enim Spinozam unà cum aliis ſtatuere, Deum ut Ens perfectiſſimum eſſe concipiendum, & omninò videndum, quod ſive quale ſit illud Ens, quod perfectiſſimum dici queat. Non tantùm autem hîc præjudicia Infantiæ &c. cavenda, nec ſolummodo cavendum, ne vis noſtræ imaginationis ideam illam Dei confuſam, ſive ut loquar more Spinozæ, inadæquatam reddat, ſed etiam, ne perfectionem eam enti perfectiſſimo attribuam, quæ aliquam imperfectionem habeat admixtam & implicatam, in quo peccatum eſſe à Spinozâ mihi animadvertiſſe videor; nec tamen tantopere metuendum nobis eſt ne vis imaginationis nos confundat, ſi Spinozam ipſum audiamus p. 381. & 470. inter ſe invicem collatis. Sed ad argumenta, quæ ex Spinozâ producis. Primum eſt à creatione petitum, de qua dicis, non poſſe nos *creationis ex nihilo* formare conceptum, darique in ideâ *creationis ex nihilo* contradictionem: ſed vellem, ut iſtam contradictionem vel leviter demonſtraſſes, quod non feciſti. Definitio Dei, quæ VI. eſt Spinozæ p. I. Eth. nihil minus quàm Deum exprimit, uti ego prolixè oſtendi, quæ deſcribere hîc longum foret nimis. Ea, quæ de creationis poſſibilitate, imo neceſſitate demonſtravi, tibi antehac legenda exhibui. Certum eſt omnia eſſe à Deo; non negat id Spinoza, ergo ea ita ſunt à Deo, ut ex ipſius naturâ ſequantur tanquam naturæ Dei diverſi modi, vel ut ab ipſo ex nihilo fuerint facta. Prius, quod ſtatuit Spinoza, abſurdum eſt vel eo nomine, quod juxta ipſum Spinozam p. 449 & 453. ſic debeant eſſe in Deo, uti in illo ſunt ipſius decreta, unde creaturæ nihil erunt, niſi ipſa Dei volitio, vel Dei intellectus & cùm Dei intellectus ſit ipſe Deus, lapis erit Deus, homo erit Deus &c. nec opus erit, ut huic rei immoremur, modò oſtenderimus in *creatione ex nihilo* nihil eſſe abſurdi. Hîc vero ante omnia cavendum eſt, ne aliquid hoc ſolo nomine pro abſurdo habeamus, quod nequeamus intelligere: nam ſic & Spinoza non auderet dicere, ſe, quomodo omnia fluant ex Deo tanquam cauſa immanente, non intelligere? vide illum p. 388. Dein diſtinguendum puto inter duas has propoſitiones, *Creatura facit aliquid ex nihilo & Deus facit aliquid ex nihilo.* In priori eſſe repugnantiam concedo, in poſteriori nullam eſſe aſſero. Quando autem dico *Deum facere aliquid ex nihilo*, mens mea eſt, *quòd cùm ab æterno præter Deum nulla res, hoc eſt, nihil eſſet, Dei potentiâ ſit factum, ut res fierent, & ſic quaſi ex nihilo emergerent.* Creaturæ potentia ſemper pro objecto debet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

bet habere materiam, in quam agat, non ita Dei potentia. Dei potentia eſt infinita & maxima, quæ ſi ad operandum prærequirat aliquam materiam, non foret maxima, major enim procul dubio eſt potentia, quæ non prærequirit materiam ad agendum, quàm ea quæ prærequirit, cum ſic ſupponatur à materia dependere; at ſumma potentia à nulla re dependet, (ex nihilo autem aliquid producere nihil aliud ſignificat, quàm illam potentiam, quæ producit, à nulla re dependere) non ergo creatio ex nihilo eſt contradictoria; imò neceſſario ea ſequitur ex eâ potentiâ, quæ à nulla re dependet, cujuſmodi eſt potentia Dei. Dein res, quæ exiſtunt, vel exiſtunt vi ſuæ eſſentiæ, vel exiſtunt per productionem Dei; quod vi ſuæ eſſentiæ exiſtit, illud habet exiſtentiam ab æterno; hæc enim ratio fundamentalis eſt æternitatis, ſive æternitas inde oritur, quòd aliquid exiſtat vi ſuæ eſſentiæ, ergo quod non exiſtit vi ſuæ eſſentiæ, æternum dici nequit, & propterea id, quod exiſtit per productionem divinam, exiſtit in tempore, ſive habet exiſtendi initium, & per conſequens, cùm non ſit ex Deo tanquam ex materia, neque aliquid aliud Deo ſit coæternum, uti conſtat ex dictis, ergo non eſt ex ulla alia re adeoque ex nihilo: Sed ego tranſgreſſus ſum limites reſpondentis, cum Spinozæ foret probare, verùm poſtea brevior ero.

Ad *ſecundum* reſpondeo, ſupponi non probari, Deum ab æterno debuiſſe aliquid producere, Ens perfectiſſimum, quando agit, agit neceſſariò perfectiſſimo modo fateor; ſed nego, non poſſe concipi ens perfectiſſimum, niſi agat, h. e. aliquid extra ſe producat. Nego Deum non poſſe concipi perfectum ſine mundo: Deus ſine mundo eſt *infinita cogitatio*, *infinitus intellectus*, *infinita voluntas*, *infinita potentia*.

Ad *tertium* argumentum dico, verum eſſe, quòd ens perfectiſſimum & beatiſſimum nihil poſſet *velle præter ſe*, ſi per *velle* intelligas *acquieſcere* tanquam in ſummo bono: Sed nego ens beatiſſimum nihil poſſe velle efficere præter ſe, nullam poſſe ponere extra ſe perfectionem finitam, quin imò è contrario ſtatuo rem finitam, ſi exiſtat, uti jam non eſt negandum, non potuiſſe exiſtere, niſi per iſtam voluntatem Dei infinitam, ex ſe enim cùm habeat exiſtentiam tantùm poſſibilem, ut habeat actualem, opus eſt interceſſiſſe *voluntatem* ſive *potentiam infinitam*, probandum enim tibi incumbit *ens beatiſſimum nullam poſſe velle extra ſe ponere perfectionem finitam.*

In *quarto argumento* iterum ſupponitur non probatur, *abſurdum eſſe mundi perfectionem à natura Dei realiter eſſe diſtinctam.* Ego verò contrarium abſurdum putem, idque credo me demonſtraſſe alicubi, quod nunc non neceſſe eſt deſcribere. Sed hoc potius videris requirere, ut oſtendam omnes perfectiones, quæ non ſunt in Deo *formaliter* eſſe in ipſo *eminenter*: Dicis enim *autorem id eminenter pro mero termino habiturum, quia ejus conceptus nullus formari poſſit, in reſpectu ad ens illud perfectiſſimum.* Hujus rei ego nullam video cauſam, niſi ſupponas in Deo omnes perfectiones eſſe formaliter, quod eſt τὸ κρινόμενον In natura Dei neceſſariò concipio abſolutam & ſummam perfectionem eamque in quovis ejus attributo neceſſariò contemplor, adeoque comparationem, inſtituendo attributorum divinorum inter ſe invicem, nullum reperio, quod majorem perfectionem habeat altero.

Dicit Spinoza in explic. defin. VI. part. I. *Quod abſolute infinitum eſt, ad ejus eſſentiam pertinere, quicquid eſſentiam exprimit, ac nullam negationem involvit,* juxta hanc cogitationem Deo non poſſum aſſignare extenſionem; cogitatio exprimit eſſentiam Dei, & negationem nullam involvit, quam etiam Deo aſſignat Spinoza part. 2. Prop. I. Eſt enim cogitatio actus, quem res cogitans in ſe ipſa format, qui ſic quaſi in ſeipſum reduplicatur, quatenus conſcientiam habet, nulla hic involvitur negatio, poſſum cogitationem concipere abſolute infinitam, quæ ex ſe ipſa ſufficiens ſit ad exiſtendum: at extenſio dependentiam, meram aliunde infert, & paſſivè ſe habet; extenſum enim eſt quid paſſivum & dependens dicit, neque id aliter concipi poteſt, minorem enim longe habet perfectionem, quàm eam, quæ in cogitatione reperitur: negationem etiam involvit, quatenus nihil eſt in extenſione, propter quod ea poſſit concipi ut ſufficiens ad exiſtendum: Si igitur extenſio non ſit formaliter Dei, nec ea ſit à ſeipſâ, utique eſt à Deo, ergo Deus habet tantam perfectionem, per quam aliquam poteſt producere perfectionem, quæ negationem involvit. Hæc enim perfectio Dei continet in ſe perfectionem illam, quæ *extenſio* vocatur, quod eſt, quod ſolemus intelligere, quando dicimus aliquid eſſe in alio; *eminenter*: non enim poteſt terminus rejici, quando res admittitur, ad ſummum quæſtio tantum foret de nomine.

Probas poſtea ex mente Spinozæ extenſionem ad Dei naturam poſſe & debere referri. *Dicis contradictorium eſſe cogitare ſubſtantiam tantùm cogitantem producere aliam ſubſtantiam extenſam, q'æ nil cum illa commune habet, quæ ergo cùm per ſeipſam cognoſci poſſit, alius Deus foret, quod eſt abſurdum.* Hæc enim contradictio jam antea ſublata fuit, quatenus oſtendimus *creationem ex nihilo* nullam implicare contradictionem, imo plane eſſe neceſſariam. Ambigua mihi verò valde eſt iſta phraſis, *per ſe cognoſci poſſe*, vel enim denotat ita cognoſci, ut non cognoſcatur in alio tanquam in ſubjecto, vel ſignificat ſic cognoſci, ut non cognoſcatur in alio tanquam in cauſa; priori ſenſu ſi accipiatur iſta phraſis, certum eſt extenſionem per ſe cognoſci, quia non cognoſcitur in alio tanquam in ſubjecto, ſed potius eſt ſubjectum omnium ſuorum modorum. Inde verò non ſequitur, ut ſit alius Deus; ſed tunc demum id ſequeretur, ſi extenſio non cognoſceretur in alio tanquam in cauſa, ſed ſi talis eſſet naturæ, ut ſibi ipſi ad exiſtendum ſufficeret, quod eſt falſiſſimum, & ſic lapſus perpetuo eſt Spinoza in confundendis iſtis, quæ fuerant diſtinguenda. Pergis & dicis *extenſionem Dei natura haud indignam eſſe, quia eſt ſimpliciſſima quâ talis, æterna ac infinita, tantum puro intellectu concipitur, ac ſub ſenſus nequaquam cadere poteſt.* Ego verò nego eſſe ſimpliciſſimam, cùm ſit diviſibilis in partes, ſaltem cogitatione, id quod vel ſic poteſt concipi: negare non poteſt Spinoza, quin iſta pars extenſionis, quam oculis uſurpamus ſit diviſa, quatenus abſciſſa eſt à reliqua parte infinita; potuit e. inde abſcindi per diviſionem & ſic tota illa extenſio infinita potuit dividi, neque etiam putem hîc negari poſſe, quin ab iſtâ extenſione infinita, à qua nunc tanta pars, quouſque oculos noſtros evibramus potuerit major pars, abſcindi, & ſic porro. Reliqua ergo iſta extenſio infinita ſemper ut diviſibilis concipi poteſt. *Extenſio* iſta etiam *æterna* non eſt, quia non exiſtit vi ſuæ eſſentiæ, quod ex antedictis poteſt patere: *infinita* ſi di-

catur non tamen abſolute eſt *infinita*, ne quidem ex mente Spinozæ, cùm negationem involvat, uti oſtendimus, ſed ſimplicitas naturæ divinæ planè evertitur, ſi dicas attributa ei adeo diverſa convenire, quorum quodlibet diverſam plane habet eſſentiam, cujuſmodi eſt cogitatio & extenſio. Potentiam infinitam poſſe extenſum ex nihil producere, non tantùm dixi, ſed ſuperius etiam probavi; ſi juxta Spinozam dicas hoc *idem eſſe, ac ſi dicerem, infinitum poſſe extra infinitum numerum alium ponere*, fateor, me hanc identitatem non capere, niſi forſan eam conciliet confuſa acceptio vocis *infinitum*, quam tollat diſtinctio vocis in *infinitum extenſione* & *infinitum perfectione*: an verò putas potentiam infinitam eſſe nemerum infinitum, atque ita exiſtimas, dum extenſio producitur eam poni extra nemerum infinitum, quis hæc concedet? quando Deus extenſum ex nihilo producit, efficit, ut præter ſe, qui eſt infinitus perfectione, aliud etiam exiſtat infinitum, quod eſt infinitum extenſione, & nihil habet cum priore infinito commune præter nomen. Nihil verò contra iſtam diſtinctionem facit, quod ex Spinoza regeris, *infinitum perfectione cogitari ſine contradictione non poſſe, ſi infinitam extenſionem, quæ ſummum eſt attributum æternæ perfectionis ab eo removeas.* Hoc enim totum nititur diverſâ definitione Dei, quâ eum concipit tanquam *conſtantem infinitis attributis, quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit*, unde concipit in Deo diverſas realitates & eſſentias diverſas, cùm tamen, ſi rectè velimus philoſophari debeamus ſtatuere, *ſubſtantiam habere unum tantum attributum reale, quod ejus eſſentiam conſtituit*, & per quod una ſubſtantia ab aliâ diſtinguitur, quæ diverſum plane habet attributum reale, quod ejus eſſentiam conſtituit, quamvìs varia poſſimus cuilibet ſubſtantiæ aſſignare attributa notionalia. Dum cogitatur *infinitum perfectione*, cogitatur talis perfectio, quæ nullam involvit imperfectionem, & quæ propterea eſt infinita; atque hinc opus eſt, ut iſta perfectio in cogitatione tantùm dicatur conſiſtere, ut ita illud infinitum perfectione explicetur per infinitum cogitatione. Vides quomodo poſſit cogitari infinitum perfectione, etſi ab eo removeas infinitam extenſionem.

Ultimum Spinozæ reſtat, *quod extenſio & cogitatio ſint duo attributa nobis cognita æternæ ſubſtantiæ, quæ conveniunt in conceptu infinitatis, idem namque eſſe ens infinitum, quod modo ſub attributo cogitationis, modo ſub attributo extenſionis concipimus*: Ego verò exiſtimo hunc conceptum infinitatis,in quo conveniunt extenſio & cogitatio, eſſe nimis confuſum, & non niſi notionem aliquam abſtractam repræſentare, quæ non in re, ſed in noſtra cogitatione tantùm conſiſtit: Ens enim infinitum ſic abſtractum ab extenſione & cogitatione vix aliquid aliud nobis repræſentat, quàm communitatem nominis, ſaltem ego nullum diſtinctum conceptum formare queo, quomodo enim Ens illud infinitum, quod ſic abſtractum ab cogitatione extenſione, neſcio quid ſit, poſſum modo ſub attributo extenſionis, modo ſub attributo cogitationis concipere? quomodo erit idem Ens, quod ſub attributo *extenſionis* concipio, cum illo, quod concipio ſub attributo *cogitationis*, niſi idem ſit *extenſio* & *cogitatio*: & ſi idea extenſionis eſt diverſa ab idea cogitationis, uti fateris, ergo

etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

etiam id, quod in re reſpondet iſtis ideis, non poteſt dici idem: Sed dicis *nos τὸ cogitare, τὸ extenſum, τὸ infinitum eſſe, non clarè explicare poſſe*: atque inde putas, *poſſibile non eſſe ex eo aliquam compoſitionem concludere, eò quod ſi unumquodque attributum poſſemus conſiderare in ſua perfectione, diſtinctio inde non alia ſit oritura, niſi rationis, quæ compoſitionem nullam parit.* Quæ equidem miror, quomodo dicas. An negare potes nos intelligere cogitare, quòd ſi hoc non intelligamus clarè, cujus immediatè nobis ſumus conſcii, & per quod, ſi quidquam clarè intelligamus, hoc ipſum intelligamus, non video quid ergo clarè intelligamus; an non intelligit quilibet, quid ſit *extenſum in longum latum, & profundum*; hæc ſanè adeo clara ſunt, ut per definitionem ea non tam clariora ſimus reddituri quàm tenebris obducturi, quod faciendum non eſſe, noſti, monuiſſe Carteſium in I. par. Princ. Omnino quilibet intelligit, qui non ſponte cœcutire voluerit, *cogitationem* eſſe quid plane diverſum ab *extenſione*, ea nihil reale inter ſe commune habere, & per conſequens, ſi ea inter ſe invicem uniantur, *veram & realem compoſitionem ex iis eſſe orituram.* Concludis *multò ſimplicius, inquiet, Spinoza hac via declarari omnia poſſunt, quàm ſi ponas duas ſubſtantias plane diverſæ naturæ, quarum tamen una ab alia producta erit.* Ad quæ non alia regero, quàm, quòd obſervem, cùm hæc via Spinozæ adeo ſit ſalebroſa, caliginoſa & impervia, & tam apertè contradictoria ponat, nos eam relinquere oportere, & viam à Carteſio inventam, eſſe calcandam, quæ vel ex hâc ipſâ comparatione cum viâ Spinoſiſticâ facta eſt luculentior.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 H 48